

Uredil in spremno študijo napisal Matej Hriberšek

Maurus Faidiga,
Bosnia Seraphica

Maver Fajdiga,
Bosna serafska

2. zvezek



UNIVERZA
V LJUBLJANI

FF

Filozofska
fakulteta

Maver Fajdiga, *Bosna serafska*: 2. zvezek

Glavni in odgovorni urednik: izr. prof. dr. Matej Hriberšek

Prepis latinskega in italijanskega besedila: izr. prof. dr. Matej Hriberšek, FF

Prepis nemškega besedila: red. prof. dr. Boris Golec, znanstveni svetnik, ZRC SAZU;
asist. dr. Matjaž Grahornik, ZRC SAZU; dr. Vojko Pavlin, ZRC SAZU; dr. Miha Preinfalk,
višji znanstveni sodelavec, ZRC SAZU

Redakcija latinskega besedila: izr. prof. dr. Matej Hriberšek, FF; izr. prof. dr. David Movrin, FF;
izr. prof. dr. Gregor Pobežin, znanstveni sodelavec, ZRC SAZU

Redakcija nemškega besedila: mag. Niko Hudelja, FF

Redakcija italijanskega besedila: doc. dr. Mirjam Premk Podobnik, FF

Sodelujoči: Anja Kustec (vnos popravkov v nemško besedilo), Oddelek za prevajalstvo FF

Sprema beseda, seznam kratic in okrajšav, imensko kazalo: izr. prof. dr. Matej Hriberšek, FF

Končna redakcija: izr. prof. dr. Matej Hriberšek, FF

Recenzenta: Martin Bele, Matej Klemenčič

Tehnično urejanje: Jure Preglau

Prelom: Petra Jerič Škrbec

Založila: Založba Univerze v Ljubljani

Za založbo: Gregor Majdič, rektor Univerze v Ljubljani

Izdala: Znanstvena založba Filozofske fakultete Univerze v Ljubljani

Za izdajatelja: Mojca Schlamberger Brezar, dekanja Filozofske fakultete

Tisk: Birografika Bori, d. o. o.

Ljubljana, 2025

Prva izdaja

Naklada: 100

Cena: 50 EUR



To delo je ponujeno pod licenco Creative Commons Priznanje avtorstva-Deljenje pod enakimi pogoji 4.0 Mednarodna licenca (izjema so fotografije). / This work is licensed under a Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International License (except photographs).

Monografija je nastala v okviru raziskovalnega programa št. J7-2604 (Latinske in nemške kronike na Slovenskem), ki ga je sofinancirala Javna agencija za raziskovalno in inovacijsko dejavnost Republike Slovenije iz državnega proračuna.

Knjiga je izšla s podporo Javne agencije za znanstvenoraziskovalno in inovacijsko dejavnost Republike Slovenije v okviru Javnega razpisa za sofinanciranje izdajanja znanstvenih monografij.

Besedilo je bilo pripravljeno z vnašalnim sistemom ZRCola (<http://zrcola.zrc-sazu.si>), ki ga je na Znanstvenoraziskovalnem centru SAZU v Ljubljani (<http://www.zrc-sazu.si>) razvil Peter Weiss.

Prva e-izdaja. Publikacija je v digitalni obliki prosto dostopna na <https://ebooks.uni-lj.si/ZalozbaUL>

DOI: 10.4312/9789612976323

Kataložna zapisa o publikaciji (CIP) pripravili v Narodni in univerzitetni knjižnici v Ljubljani

Tiskana knjiga

COBISS.SI-ID=245335555

ISBN 978-961-297-628-6 (zv. 2)

E-knjiga

COBISS.SI-ID=245378563

ISBN 978-961-297-632-3 (PDF)

Kazalo vsebine

II. CONVENTUS B'mae V. Mariae Gratiarum Tersacti In Dalmatia citeriore	396
III. CONVENTUS B'mae Virginis Mariae Gratiarum In Monte Sancto In Comitatu Goritensi	626
IV. CONVENTUS Ad Sanctum Leonardum Confessorem Neostadii Seu Rudolphswerti In Carniolia inferiori	782
V. CONVENTUS Ad S. P. N. Franciscum In Civitate Segniensi In citeriori Dalmatia	839
VI. CONVENTUS Ad D. JACOBUM APOSTOLUM in Civitate Lithopolitana, seu Camnicensi In Ducatu Carnioliae	889
VII. CONVENTUS ad S. LEONARDUM in Sylvis In Regno Croatiae.	940

II. CONVENTUS

B'mae V. Mariae Gratiarum

Tersacti

In Dalmatia citeriore

Caput I.

De Regno Dalmatiae.

I. Dalmatia, quae Dalmio Principe, vel, ut aliis placet, à Delminio Civitate Illyrica nomen trahere videtur, olim multò latius, quam nunc patebat **testante Porphyrogenito, qui c. 30.** ait: *Vor alters nahm Dalmatien seinen Anfang von den Grenzen Dirrachii oder Antibaris* (quam civitatem etiam **ex hodiernis Geographis** aliqui ad Dalmatiae regnum reponunt, alii Albaniae adnumerant) *und reichte biß zu den Histerreichischen Grenzen* (etiam hos fines hodie obtinet) *der Breiten nach aber strekte sichs biß an den Donau strom.* Illyrios et Dalmatas fuisse olim eadem gentem plures contendunt, qui errore eo, quo quis Carnioliam, Austriam esse assereret, decepti Dalmatiam cum Illyrico confundebant, etenim sub Illyrico olim non tantum Dalmatia, sed etiam Liburnia, Croatia, Sclavonia, Bosnia, et Carniolia audiebant, et ab uno Rege Illyricorum regebantur; Unde sicut nec Carniolia, nec Carinthia nec Styria dicitur ex eo Austria, quia Archiduci Austriae subsunt, ita nec Dalmatia Illyricum dici debet ex eo, quod Rex Illyrii etiam Dalmatiae imperaverit. Sub Gentio vero Illyricorum Rege Dalmitani, seu Dalmatae se in libertatem vindicârunt, vigintique oppida in sua ditione habuerunt, eique Regioni Dalmatiae nomen imposuerunt. Deinde aliis sexaginta sibi ascitis, cum ad mare pervenissent Dalmatae Tragurinisque, et Epetinis infecti evasissent, id occasionem praebeuit primi belli Dalmatici, et tunc Dalmatia in Provinciam erecta fuit à Comanis. Sed postea Dalmatae Liburnis ab occidente agrum ademerunt, Romanis verò Illyricum proprium, ut refert **Michael Baudrand in lexic. geogr. Antonii Ferrarii tom. 1. pag. 238.**

II. De amplitudine antiquae Dalmatiae etiam **Sebastianus Münsterus lib. 4. c. 72. fol. 1222.** mentionem facit, ubi inter alia haec habet: *Dalmatia ist vor Zeiten*

gar ein mächtig Land gewesen, also das seine Einwohner sich setzten wieder die Römer und verliessen sich auf 50. hübsche Castel, und Stadt, die Kayser Augustus verherget. Es ziecht sich ein berg durch Dalmatiam mit nahmen Adrius, der theilt das Land in Zwey Theil, eines gegen dem meer und das andere gegen Vngerland. Die haubtstadt dieses Lands heist Jadera oder Zara und liegt am Meer, die Venediger haben sie oft den Vngarn entzogen. Postquam Agron Rex Illyricorum mortuus esset, et ejus uxor Teuca nomine regni solium conscedisset, illud rapinis, et deprædationibus stabiliri, et augeri posse arbitrata, plures naves ad finitimas Provincias rapinarum causâ destinavit, eapropter Romani conquesti sunt coram ea, et, ut his rapinis, et latroconiis finem imponerent, per duos ad hunc finem emissos legatos eam obnixè obtestabantur, quibus cum illa faemineâ imprudentia, et animi arrogantia respondisset, se velle quidem curare, ut Romanis nil injuriæ â suis subditis inferatur, prohibere autem Illyrios, ne quilibet pro suo particulari bono lucrum in mari quaerat, esse contra usum, et consuetudinem Regni, quo aspero responso audito Junior ex legatis indignabundus in haec verba proripuit: *Sed ô Teuca, quia Romani etiam istam consuetudinem habent, ut vim, et offensionem privatis factam publicè ulciscantur, conabimur cum auxilio Deorum, ut tu brevi cogaris has regias consuetudines emendare.* Quibus verbis vindictæ cupida Teuca ita efferbuit, ut contra jus gentium post abeuntes Legatos sicarios mitteret, qui iuniorem in via trucidarent, quo infami facto exacerbatos Romanorum animos, quos placare debuisset, magis contra se concitavit. Quapropter Romani, dum ad eos fama hujus infamis actus pervenit, mox duos Consules C. Fulvium cum 200. navibus, et A. Posthumium cum militia pedestri miserunt in Illyricum, ut de perpetrato contra jus gentium scelere vindictam sumerent. Teuca aliàs grandi tumescens superbia coram Romanis adeo humiliata est, ut ab iis pacem juxta ipsis placitas conditiones petierit, quam autem non aliter, nisi cesso regno obtinere potuit. Romani obtento Illyrico, sub quo etiam Dalmatia comprehendebatur, etiam alias adjacentes Provincias, ut Istriam, Liburniam, Macedoniam, Dardaniam, Moesiam, Thraciam etc. suo adjecerunt Imperio. Licet verò Dalmatae, et Illyrii Romanorum jugum saepius excusserint, tempore tamen Octaviani Augusti Romanorum Imperatoris plane domiti erant.

III. A. C. 817. Dalmatia tota â Slavis habitabatur, qui Dalmatiam maritimam incolebant. Subditi erant Imperatori Constantinopolitano, et Praefecto ejus

Jaderae (hodie Zarae) residenti, qui verò Dalmatiam Savo medio subjacentem, Croatis vicinam tenebant, Imperatoribus Romanis Carolingicis Francicis parebant, et per Ducem Foro-juliensem regebantur, in interioribus Dalmatiae erant Sorabi in parte hodiernae Bosniae, et Serviae. Ita habet Cl. D. **Joannes Christophorus de Jordan de Orig. Slav. p. 1. c. 23. §. 8. fol. 155.** Si verò tempus, quo Dalmatia Hungariae Regno adjuncta fuerit, scire desideras, recale dicta supra p. 1. c. 1. §. 3. n. 1. et 2. â me allata.

IV. Moderna Dalmatia (quae occidentem versus Liburniam, et Istriam pro termino habet, ad septentrionem Croatiam, Bosniam, et Serviam respicit, ad orientem Albaniam tenet, ac ad meridiem mari Adriatico terminatur) hodie valde constricta est, nam si computaretur ejus ab Oriente scilicet â Cattaro usque Flumen S. Viti longitudo, comprehenso etiam statu Ragusino, ac Ducatu S. Sabae, haberet ad 66. germanica milliaria, ast latitudo ejus â mari Adriatico usque ad Bosniam adeo exigua est, ut vix adaequet 10. mill. germ. si tamen ipsas Insulas in mari Adriatico sitas, et ad Dalmatiam spectantes excipias. In Dalmatia nunc descripta plures Supremi Domini ab invicem independentes dominantur, nam aliqua pars Croatiae finibus contermina spectat ad Coronam Hungariae, alteri parti jus dicit Turcarum Imperator, partem Respublica Ragusina occupat, maxima verò paret Duci Venetiarum. Civitates in Dalmatia sunt sequentes sub ditione Austriaca, seu Corona Hungariae, quam Archiduces Austriae portant, Segnia, Buccari, Carlobagum, Venetis subsunt Clim, seu Chnin, Jadera, seu Zara, Sebenicum, Spalatum, et Cataro praeter Civitates in insulis sitas, sub Turcica servitute gemunt Scardona, Zernicza, et Dulcigno, qui praeter totum Ducatum S. Sabbae (qui potius ad Bosniam, quam Dalmatiam spectare dignoscitur) etiam aliquam partem de Comitatu Corbaviensi, et Lika possidet.

Caput II.

De Civitate Fluminensi S. Viti, et Territorio Tersactensi.

I. Flumen S. Viti, germ. *Fiume* vel *S. Veith am Pflaum*, Carn. *Reka* Civitas Liburniae, ditionis Austriacae, dioecesis Polensis, ad mare Adriaticum, seu Sinum Flanaticum, italis *Golfo di Carnero* sita est. Olim vocabatur *Tarsiae* villa, et ùt aliis placet *Promona*, aut *Promina* [?] ³⁴⁶ civitas, ùt innuit **Schönleben** [!] ³⁴⁷ **citans Appianum.** Hodiernam nomenclaturam Civitas â praeterfluente fluvio *Fiumara* dicto trahere videtur; etenim *Fiumara* nomen fluvii cum germanico *Fiume*, aut latino *Flumine* optime cohaeret; cognominatur autem *S. Viti* ex eo, quia Civitas hunc Sanctum pro suo veneratur Patrono, et Titulari, licet Civitas magnis et altis domibus exornata consurgat, amoenitate

ob angustas plateas, ad quas diversae faeces projiciuntur caret. Multum verò splendoris eidem tribuit suburbium penes mare â praeterfluente fluvio, qui hic in mare labitur, Fiumara dictum, in quo non tantum multae, et elegantes domus, sed et plures mercatorum officinae exstructae conspiciuntur, et novae in dies adjiciuntur. Maximum ornamentum, pariter et emolumentum Civitati, et vicinitati accrevit his postremis temporibus, dum non procul â Civitate 5. fabricae, in quibus Saccharum conficitur, erectae fuerint: multi otiosi, qui suam operam impendere volunt, in his fabricis panem sufficientem lucrari possunt.

II. Huic Civitati olim dominabantur Comites de Valsa, quorum stirpe extincta devoluta fuit ad domum Austriacam, ac Ducatui Carnioliae incorporata, â quo verò circa annum 1541. denuo disjuncta fuit, et â propriis Capitaneis ab Archiducibus Austriae deputatis gubernabatur usque ad annum 1776. quo anno Civitas Fluminensis Regno, seu Coronae Hungariae, â qua prius per fluvium Fiumara dividebatur, annuente Aug^{tmis} Maria Theresia Regina Hungariae, ac Josepho II. Romanorum Imperatore, Archiduce Austriae, et Conregente, adjuncta fuit, ut etiam Hungari, quatenus superflua Regni facilius distrahere, et necessaria leviori pretio comparare valeant, portum maritimum habeant, qui ob hanc causam portus liber declaratus fuit.

III. Praeter alias parvulas Ecclesias, est in hac Civitate Ecclesia Collegiata ex Archidiacono, et 6. vel. 7. aliis Canonicis constans. Archidiaconus amplam habet potestatem, utpote, qui non tantum Clero in Civitate praeest, sed suam jurisdictionem in tota Dioecesi Polensi ex parte Imperii quasi episcopalem exercet, puta in Castua, Vapriniz, Lourana, Bersez, et Moschenize; etenim Episcopus Polensis, utpote ditioni Venetae subjectus non admittitur ad visitandas sibi subjectas Parochias ex parte Imperii sitas. Ecclesiam Collegiatam sequitur Coenobium R. R. P. P. Ordinis S. Augustini Eremitarum nuncupatorum, qui ibidem antiquitus, anno mihi ignoto, â Comitibus de Valsa, dum adhuc eidem Civitati praeerant, fundati fuêrunt. Anno 1662. D. Franciscus Chnessich fundavit non procul ab Ecclesia Collegiata Monasterium pro Monialibus Ordinis S. Benedicti, ad quod die 16. Augusti solemniter introductae erant. Hae anno 1751. dum Civitas Fluminensis frequentibus, et horribilibus terraemotibus quateretur, Conventum deseruerunt, et penes PP. Cappucinos in erecto ex asseribus tuguriolo per aliquod tempus habitabant, dum vero terra quievisset â concussionibus, antequam ad Conventum regrederentur, processionaliter B. V. Tersactensem salutaturae, ac gratias acturae ascenderunt, ubi peracta devotione, et sumpto jentaculo Flumen reversae sunt, ac denuo in Conventum introductae. Extra Civitatem anno 1612. â Ferdinando Archiduce Austriae aedificatus fuit Conventus RR. PP. Cappucinatorum. Supra Civitatem in monticulo nonnihil eminentiori conspicitur Mons Calvariae.

IV. Ferdinandus II. Romanorum Imperator Archidux Austriae suscitavit anno 1627. Collegium, et Gymnasium pro PP. Societatis Jesu, ad quod etiam die 16. Augusti eodem anno introducti erant. Hoc Collegium postea multis redditibus locupletavit, ac Seminarium fundavit, adjudicando ei multa bona in **distri[cti-]bus**³⁴⁸ Castuae, Vapriniz, et Moschenicze jacentia, Ill'ma Domina Ursula Comitissa â Thonhausen. Hoc Collegium Patres Societ. Jesu inhabitaverunt annis 146. videlicet ab anno 1627. usque ad annum 1773. quo suppressi erant. In Ecclesia positus est miraculosus Crucifixus multis clarus prodigiis: Casus qui hic accidit horrendus auditu est: anno Christi 1296. quidam foliorum lusor nomine Petrus Lonzarich ob sinistram in lusu fortunam, in rabiem actus hunc Crucifixum (qui tunc in platea ante dictam Ecclesiam steterat) pertransiens, eum non modo multis convitiis affecit, et blasphemis, sed etiam e terra levatum lapidem in ejus sinistram latus projecit, jactu lapidis latus aperuit, ex quo copiosus manavit sanguis, ac lapis in latere infixus mansit, qui adhuc hodie crystallo obductus cernitur cum hac subscriptione: *Ex hoc Crucifixo hujus lapidis ictus excussit sanguinem*. Ad propositum non ineptè quidam Poeta sequens formavit Distichon

Infligunt Solymis Judaei vulnera quinque
augetur sextum Flumine Christe tibi.

V. Sed, quae putas secuta est infelicissimum Christi percussorem poena? horribile dictu! in eo instanti aperuit terra os suum, et devoravit viventem, sola dextera infelix prominebat extra terram manus, quae jussu Domini quondam Baronis de Rauber pro tunc gubernatoris Civitatis per Carnificem ad aliorum exemplum combusta, ac cineres in aera dispersi fuere, in cujus rei perennem memoriam manus lignea sub praedicto Crucifixo suspensa manet. Profecto res horribilis auditu, ast poena justissima; si enim Dathan, Abiron, et Core cum ducentis quinquaginta, quia contra Moysen servum Dei murmurârunt, terra deglutivit vivos, ut habetur **Num. c. 16. v. 31. 32. et 33.** *Dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, et universa substantia eorum, descenderuntque vivi in infernum aperti humo, et perierunt de medio multitudinis*, quanto aequius debetur haec poena infaustae memoriae homini non contra servum Dei murmuranti, sed ipsius Dei blasphemo injuriatori, ac percussori?

VI. Trans Fluvium *Fiumara*, qui olim *Titius* vocabatur, Liburniamque â Dalmatia, seu Croatia secabat, est monticulus quidam acclinis *Tersactum*, vulgo *Tersat* dictum [**Dioecesis olim Corbaviensis, nunc Modrussiensis Segniensi canonicæ unitae**]³⁴⁹ in quo sita est Arx nunc diruta, olim munitissima Inclytae Familiae Anicianae, â fractione panis, quem Romae in magna populi penuria pauperibus liberaliter erogabant, de Frangepanibus dictae, ex qua non tantum multi toga, armisque praestantes, sed et sanctitate insignes prodierunt viri, qui multis regionibus,

divitiis, possessionibus locupletati erant, dominarunt etiam Segniae, Modrussae, Corbaviae, Clissae, et Vegliae, quae regiones illis â Bela IV. Hungariae Rege ob fideliam sibi praestita beneficia donatae erant. Mox sub arce est Ecclesia Parochialis S. Georgio dicata. Est quoque penes Arcem oppidum itidem Tersactum dictum, quod proprium habet Cancellarium, et Iudices, vulgo *Sudacz*. In fine oppidi consedit domus Nazarethana Angelorum ministerio ê Palaestina huc allata, de cujus mirabili translatione sequenti capite plura adducam. Unde sit

Caput III.

De adventu domus Nazarethanae ê Galilaea Tersactum, et inde Laurethum discessu.

§. I.

Origo, [et excellentia]³⁵⁰ Almae domus Nazarethanae.

I. Domus Nazarethana denominationem trahit âb olim Civitate, nunc oppido *Nazareth* sito in Palaestina (ab aliis terra *Chanaan*, terra *promissionis*, terra *Sancta*, aut etiam *Judaea* dicta) in Tribu Zabulon. Haec est illa beatissima ac fortunatissima â Divina Sapientia ab aeterno praeordinata, et prae millibus una electa, in qua cunctipotens Deus praecipua humanae reparationis mysteria peragere dignatus est; hanc etenim, ut *Nicephorus Callistus lib. 1. c. 10. Hist. Eccles.* affirmat Veteris Testamenti Patriarchae, et Prophetæ primitus incoluerunt. Ad hanc Sanctissimi B'mae Virginis Mariae parentes Joachim, et Anna, postquam ex Judaea ob bellicos tumultus transmigrârunt, stabiliter ad dies vitae inhabitârunt. In hac S. Anna, cum viginti annis sterilitatis morbo laboraret, per obsecrationem â Deo accepit, concepit, et in lucem edidit Immaculatam Virginem Mariam, eamque lactavit, ac triennio educavit. Hic Nobilissimum par conjugum Joachim, et Anna ex hac vita migrârunt. Ad hanc, postquam B'ma Virgo, Virginum omnium primiceria, undecim annis in templo commorata fuisset, cum Sancto Josepho castissimo sponso remigravit.

II. Verum magnitudinis hujus almae domus nondum est finis; nam, ût *tradit S. Evodius* primus post Divum Petrum Antiochenus Episcopus, in hac aede, quarto post mense â reditu Jerosolymitano, primum redemptionis humanae jactum est fundamentum, quando ex ore Coelestis B. V. Mariae Paranympi illa Sanctis Patribus in limbo redemptionem expectantibus jucundissima, et toti mundo saluberrima vox intonuit: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus ... Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi*

vocabitur ... Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Luc. c. 1. v. 28. 32. et 35. Hic Angelus Domini apparuit Divo Josepho in somno dicens: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est: pariet autem Filium et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matth. c. 1. v. 20. et 21. In hac domo pariter Christus habitabat, postquam reversus est ex Aegypto, quò à facie Herodis quaerentis ad necem puerum fugere oportuit, testante eodem Evangelista c. 2. v. 23. *Et veniens habitavit in Civitate quae vocatur Nazareth.* Hic Christus morabatur, edit, et dormivit usque dum Matri suae valedicens, nostrae salutis opus consumaturus Vicos atque Castella obiret praedicando, et miracula patrando. Unde non immerito de hac domo exclamare licet cum Propheta Baruch c. 3. v. 24. *Ô Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus, magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus.*

III. Augustissimam hanc Nazarethanam domum Apostoli post admirabilem Christi Ascensionem in Templi formam redegerunt, ac Divus Petrus propriis manibus ritu solemniori Divino cultui dicavit, ac consecravat, [†]³⁵¹ ibi Princeps Apostolorum erecta Ara lapidea omnium primò Sacrosanctum Missae Sacrificium celebravit: ibi Beatissima Mater, dum in humanis agebat, Sacratissima Communionem reficiebatur, ut testatur Metaphrastes: *Ad Divina mysteria quotidie accedebat, ut corpus, quod prius in utero gestaverat, saepe visceribus insereret:* ibi Apostoli Christi fidelibus Sacram Eucharistiam ministrabant. Ad hanc venerandam saepissimè Divina Mater, comite dilecto Domini Discipulo Sancto Joanne Evangelista [...] ³⁵² Jerosolymis Nazarethum properabat, testante Canisio: *Placebat Nazareth civitatula prior, et diuturnior sedes Emanuelis.* Ibi Sancti Apostoli et discipuli, testibus Ruperto, Ildephonso, Sophronio primum celebrarunt consistorium [[?]*³⁵³], et de Divinis arcanis, atque mysteriis à Coelesti Magistra edocebantur.

IV. Post gloriosissimam Beatae Virginis in Coelum assumptionem, ex totius Orbis terrae partibus mirabili pietate in dies magis, magisque peregrinationis, devotionisque causa concurrebant ad hanc Sacratissimam domum non tantum homines vulgares, sed etiam viri Principes, et Matronae singulari memoria dignae. Sane Divam Helenam Constantini Magni Matrem eandem religiosissima peregrinatione visitasse, testatur Spondanus in suis Annalibus ad A. C. 1291. Et Nicephorus lib. 9. c. 8. his verbis: *Annos salutis circiter tercentesimo Sancta Helena Augusta ex monte Tabor orientem versus descendens pervenit Nazareth, et salutationis Angelicae domo reperta, Dei Genitricis super illud peramoenum Templum excitavit, omni deinceps tempore mira Christiani populi, eò quotidie ventitantis devotione celebratum.* Sancta item Paula vidua nobilissima Matrona Romana anno Salutis 338. Comitibus filia sua dilectissima Sancta Eustochio, ac S. Hieronymo celeberrimo Ecclesiae Doctore, Nazareth Domum Christi nutriculam invisit,

et ipsemet **S. Hieronymus epist. 27. ad Eustoch.** testatum reliquit. Non refero insignem pietatem Goffredi Lotharingiae Domini, et Supremi Gallici exercitus Belliducis, qui anno 1100. **teste Paulo Aemilio lib. 4.** hanc beatissimam domum non tantum lustravit, sed et donis pretiosissimis locupletavit. Silentio praetereo Tancredum Normanorum Principem, qui circa idem tempus **referente Gulielmo Tyro Archiepiscopo Tyrionum lib. 5.** cellam Deiparae devotissimè visitavit. Non commemoro **Jacobum Vitriacum Patriarcham Jerosolymitanum, ac S. R. E. Cardinalem,** qui **in descriptione terrae Sanctae de se ipso** fatetur, quod crebrò Nazarethum perrexerit, et saepissimè in Aede Beatae Virginis, praecipuè verò in anniversaria Angelicae Salutationis festivitate, divina officia celebraverit. Unicum adduco exemplum Ludovici IX. hujus nominis Gallorum Regis, qui hanc sacram aediculam omni, qua par est, animi submissione visitavit, ut **ex Paulo Aemilio refert Jodocus Clichtoveus Serm. de S. Ludovico** his verbis: *Anno 1245 prima illa Religionis Christianae incunabula perlustrans ex Tabor in Nazareth iter intendit. Et ubi primum Deiparae aspicit Aedem, desilit ex equo, procumbit in genua, natalem illam Virginis domum, ipsamque salutatur Virginem: inde progressus Templum adiit. Aderat Annuntiationis Deiparae festum, in cujus provigilio Rex, cilicio ad carnem indutus, pane duntaxat, et aqua jejunavit. In ipso autem festo Missa in hac Aede regio apparatu celebrata est, in qua magnam vim lacrymarum profundens Sacram sumpsit Eucharistiam.* Hujus Sanctissimi Regis vestigia plures et sanguine, et pietate clari viri, et mulieres in visitanda hac domuncula secuti sunt, quos brevitatis gratia omitto.

§. II.

De miraculosa Almae Domus B. V. Mariae è Civitate Nazareth in collem Tersactanum translatione.

I. Quamvis soli Deo nota sit causa, ob quam Sacratissimam domum, in qua conceptus, et educatus fuit, è loco Nazareth, ubi 1200. et ultra annis summa in fidelium veneratione fuit à populis non tantum vicinis, sed et à dissitis mundi partibus utriusque sexus accurrentibus quam devotissimè frequentabatur, Angelorum Ministerio levare, et ad hunc Tersactanum collem collocari voluit, ratio tamen congruentialis non omnino spernenda videtur esse, excitati in Palaestina bellorum tumultus; etenim Bendachar Aegypti Sultanus Tripolim primò, deinde Antiochiam, postremo Ptolemaidem Christianis aut caesis, aut captis suo subjugavit imperio circa medium Aprilis anno 1291. quo facto fideles toto eliminati Oriente, et à Christi patrimonio extorres Sancta Canibus derelinquere coacti erant: quapropter Unigenitus Dei Filius sedulus materni honoris zelotes, ejusdem originale domicilium, in quo ille caro factus, et opus Redemptionis nostrae inchoaverat

ne quid illo indignum accideret, ex Palaestina funditus abradi, et Angelico succo-
latu deferri Tersactum jussit, ut sic Deus pacis materna cum aedícula purissima hu-
mani generis arca, in qua sine labe conceptus erat, sordes impiorum, et bella fugiens
ad eam se Christianitatis partem reciperet, quae sola ex Divina providentia ab omni
dissensionis caligine praeservabatur immunis.

II. Itaque anno 1291. die 10. Maji, quae ceciderat in diem Sabbathi infra
Octavam Ascensionis Domini, Tersactum sub Comitatu Modrussae, Dioecesis item
Modrussensis ditionis Frangepaniana in confinio citerioris Dalmatiae, vel (ut alii
volunt) Croatiae ad Hadriatici vulgo Adriatici maris septentrionalem ripam prope
Civitatem Flumen S. Viti nuncupatam, in colle utcumque prominenti situm, polo,
soloque citra consuetum pacatis, Nazarethana domuncula, ex Palaestina Angelo-
rum ministerio allata, in quadam collis planitie vulgò *Raunizza* appellata ad latus
exiguae vallis vulgò *Dolaz*, ubi extabat hortus Agathae viduae Tersactensis, obse-
quenter deponitur: sedente in Petri Cathedra Nicolao IV. Piceno, prius Hieronymo
ab Asculo dicto ex Ordine Fratrum Minorum: Clavum R. imperii tenente in Occi-
dente Rudolpho I. ex Augustissima Austriacorum stirpe Caesare, in Oriente vero
Andronico I. Palaeologo. In Hungaria Andrea III. Rege, et in Croatia, ac Sclavonia
Nicolao de Frangepanibus ex vetustissima Aniciorum progenie Pro-Rege, seu, ut
vocant Banno, nec non Castri Tersactensis fortunatissimo Domino, ac iurisdicente.

III. Vix Mons Tersactanus, verè Mons Dei, mons pinguis, mons stillans
dulcedinem, Sacratissima Virginis Aulâ fuit mira sorte beatus: ecce! mox adsunt
superna prodigia, siquidem beatam domum circumfulsit immensus quidam splen-
dor caelestis, eoque conspecto, incolae rei novitatem admirantes turmatim eò un-
dique festinant, ac rei eventum referunt Parochialis Ecclesiae S. Georgii Curato
nomine Alexandro De Georgio ex Modrussia oriundo viro morum innocentia, vi-
taeque Sanctitate conspicuo, ac devotissimo Virginis cultori. Hic gravissimo, et
incurabili hydropis laborabat trium annorum spatio languore absque spe naturaliter
recuperandae salutis, ut autem à suis familiaribus intellexerat mirabilia, quae Deus
in hoc Monte operari dignatus est, magno coepit ardore flagrare videndi visionem
hanc magnam ac aediculam Sacram venerandi. Et ecce! eadem nocte somnum inter,
et vigiliam gloriosissima Domina Angelicis stipata choris, de Coelorum sublimi-
tate descendens, Clienti suo miserè decubanti, veste candidissima circumamicta,
praesentialiter apparuit, totum cubiculum splendore clarissimo illustravit, de ad-
ventu suae sacratissimae Domus edocuit, ac integram sanitatem promisit.

IV. Disparente visione Alexander vehementer obstupuit, miscebat timore
gaudium: atque ex gratioso Virginis aspectu sibi tam mirabiliter, quam familiariter
apparentis, excessivam quamdam concipiens laetitiam, confestim exiliit è lecto, ac
sublata

omni, quae per triennium affligebatur, infirmitate, pristinae sanitati ex integro restitutus, festinus peregrinam aedem accessit, ac humillimis gratiis pro recuperata salute Deiparae actis, oppidanos, ac undique copiosè ad tam mirum spectaculum confluentes populos, sermone de inaestimabili divino acquisito thesauro diserte edocuit, ac ad benedicendum Dominum toto spiritus fervore provocavit, ut **testantur P. Glavinich Hist. Tersact. c. 4.** dicens: *Fuit enim Presbyter Alexander pius licet aegrotus, idcirco simul cum oraculo, ac caelesti odore accepit pectoris gaudium, virtutemque membrorum. Tursellinus lib. 1. c. 3. Bartoli aliique permulti.*

V. Certiores proinde redditi de munere caelesti, ac dein mox sparsa per vicinos in circuitu populos tanti mysterii novitate, atque volitante per regna, per Urbes veridica fama, omnes turmatim ad hanc civitatem refugii properabant, ac quibus poterant rebus pro temporum illorum consuetudine, ac facultatum tenuitate eandem ornare, ac magnificare coeperunt. Etiam ipsemet Nicolaus Comes de Frangepanibus, ut audivit, quod Deus tanto thesauro sibi subjectum solum ditaverit, confestim Modrussâ, ubi tunc residebat, Arce biduo Tersacto distante movit, ac Tersactum ad videndam prodigiosè illuc allatam Deiparae domum iter acceleravit. Vidit ibidem, ubi nusquam pro priori steterat peregrinam aediculam forma, et materia hujatibus inusitatam, et insolito circumfusam splendore de perpetratis subinde miraculis edoctus, et revelata per Alexandrum Curatum revelatione acclinis ingreditur Sacros lares et Augustissimae Caelorum Reginae prostratus pedibus, qua par erat veneratione pro tanto sibi, et in Bona sua collato beneficio Deo ter Optimo Maximo, ejusque Magnae Matri perennes exolvit gratias, dein ut illibatum illud puritatis, et Omnipotentiae Receptaculum â sordibus quibuscumque, tum â temporum, tum ab animantium, quae contiguo in nemore pasci assolebant, praemuniretur injuriis, confestim sacram Aediculam ad Regionis ritum denso trabibus tabulato circumvallari curavit.

VI. Haec Sacratissima Domus non ex muro lateritio, ut aliqui autumant, sed plane lapideo subrufi coloris absque singulari artis industria extructa cernebatur, figuram quadrangulam oblongam praeseferens, cujus longitudo erat quadraginta quatuor, latitudo viginti, et altitudo viginti octo palmorum geometricae mensurae. Parietes verò cubiti unius fermè crassitudinem attingebant. Unicam duntaxat ex parte occasus januam, unicam pariter fenestram habuit. Nullum in ea nec ligneum nec lapideum extitit pavimentum, aderat tamen tectum perbelle laquearibus concameratum, quod ceruleo colore obductum, stellae inauratae honestabant, extra tectum prominebat turricula unius duntaxat campanulae capax. Parietes, ligneos quosdam arcuos, asservandis vasis fictilibus ac creteis scutellulis aptos. Unicum intus aderat altare lapideum nonnullis velis, ac mappis decenter vestitum, Antipendioque coloris

hyacinthini mira varietate exornatum, quod quamvis singularem elegantiam, quam aut ingenium artis aut materiae raritas praestare solent, non habuerit, mirum tamen, ac insolitum terrorem devotionemque introeuntium cordibus altè imprimebat. Supra Altare Crux lignea quinque circiter palmis alta, et totidem lata cernebatur, in cujus superiori parte hic salutis fulgebat titulus **JESUS NAZARENUS REX JU-DAEORUM**. In Cruce depicta erat imago Crucifixi pedes disjunctos habentis, ex quo apparet, Redemptorem nostrum (ut etiam sentiunt **Gregorius Turonensis**, et **Eusebius**) fuisse quatuor clavis Cruci affixum. Paulo infra stabat Mater dolorosa ex una, ex altera verò parte S. Joannes Evangelista, sub quibus majusculis litteris in tabella uno palmo lata, et tribus longa scripta erat Salutatio Angelica: à dextris praefati Altaris adfuit altera effigies, seu statua beatissimae Virginis in ligno citrino fere duorum cubitorum non ineleganti manu efformata: à sinistris Jesus stabat duodecim circiter palmorum altus, sinistra globum aureum, mundum repraesentantem tenens; dextera verò priores digitos in morem benedictis erectos habens. Tam Jesus, quam sua Sanctissima Mater ex eadem citrina materia ad instar fimbriarum eleganter exornata coronati, candidisque vestibus induti intuebantur. Retro Altare conspiciebatur humilis Caminus, in quo ut scribit **P. Clarus Pasconi in Hist. Tersact. c. 2. n. 4. fol. 18.** citans **Victorem Briganti, aliosque historicos**, humillima Domina fovum excitabat, ac pauperes tenuisque cibos solita erat praeparare, hujus Camini sinistram partem quoddam armariolum intersertum tabulis occupabat. En pie lector, Supremae Coeli Terraeque Reginae ante oculos habes palatium, à quo si id, quod pietas Apostolorum, dum illud in formam Ecclesiae reducerat, subtrahas, quid aliud, quam altissimae paupertatis, ac profundissimae humilitatis remanet domicilium.

§. III.

De discessu Almae Domus Tersacto Recinetum, inde Laurettum, deque moderna imagine.

I. Jucundabatur Tersactanus collis tanto ditatus thesauro, ast gaudium, quo incolae hujus montis perfusi erant propter adventum Sacratissimi Virginis domicilium, non duravit longo tempore, post tres enim annos ac septem menses mutatum fuit in luctum, nam anno 1294. die verò 10. mensis Decembris inscrutabili Dei nutu nocturno tempore sedente in Petri Cathedra S. Coelestino V. Adolpho Nassaviae Principe in Occidente imperante, et eodem Andronico Palaeologo ac Rege Hungariae Andrea itidem III. novo prodigio trans mare Adriaticum Recinetum primo, dein eodem anno ter mutata statione, firmiter suam usque ad haec tempora sedem Laurethi stabilivit. Hinc Pius II. Summus Pontifex inquit: *Quamvis tua potestas beata Virgo nullis coarctetur finibus, Laurethi tamen tibi placidam se-*

dem exornas.

II. Quantos hujates accolae lacrymarum imbres fuderint, quam dolenter ingemuerint, quas querelas infinita lamentatione prodiderint, ex hac tanta Sacratissimi pignoris ablatione, ac tam infallibilis praesidii destitutione? fidelium cordibus potius considerandum relinquo, quam calamo exarandum, ut tamen lugentis populi leniret dolorem, et semetipsum solaretur D. Nicolaus Comes de Frangepanibus, ibidem ubi Alma domus steterat, in vestigiis relictis, quae solo impressa cernebantur, Capellam, seu Sacellum superaedificari curavit ad sempiternam tanti prodigii memoriam, quod postea incolae ob loci reverentiam, et sanctitatem antonomasticè *Sanctuarium* appellarunt. Hanc capellam postea Urbanus V. Romanus Pontifex in tristes ob discessum Almae Domus populi solatium insigni ditavit thesauro. Is enim, dum Avenione Romam iter institueret, ut à Joanne Palaeologo Orientis Imperatore, qui etiam eodem anno 1367. Romam venit fidei professionem exciperet, per Laurentum hanc domum visendi gratia iter accepit: et cum Laurethanam domum primò è Nazareth evolutu per triennium, et septem menses Tersacti commoratum fuisse comperisset, ad leniendum Tersactensium dolorem atque ad promovenda erga Virginem Deiparam devotionem anno 1367. Româ, quo 16. Octobris ejusdem anni pervenit, supplicantibus Frangepanis per quemdam Patrem Bonifacium Neapolitanum Concionatorem Apostolicum, ac virum valde devotum Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum transmisit Iconem Beatissimae Virginis Divi Lucae Evangelistae penicillo in tabella cedrina eleganter adumbratam, quae maximo pietatis ardore, ac summa veneratione à populo suscepta, atque in Ara Sacrosanctae Capellae collocata, maximis nunc usque coruscat signis, et miraculis, quorum principaliora alibi recensebo.

III. Notandum est hic incidenter, quod Urbanus V. creatus fuerit Pontifex absens tunc in Italia degens, Avenione in Galliis die 28. Octobris 1362. dum verò ex Italia Avenionem redux advenisset coronatus fuit die 6. Novembris. Romani autem, aut in Italiam nunquam venit nisi anno 1367. ubi mansit propter dilatum Palaeologi Orientis Imperatoris adventum usque 24. Septembris 1370. quo die iterum Avenionem contendit, ibique 19. Decembris mortem oppetiit, ut *habet Sandini in vit. Rom. Pont. fol. 657. et sequ. alique Scriptores Ecclesiastici*. Unde si Urbanus V. eo anno, quo Romam ivit, Iconem B'mae Virginis Tersactum misit, sic factum fuit anno 1367. et non anno 1362. prout in imaginibus cartaceis ejusdem Virginis Tersactensis imprimitur. Neque adhaerendum est *P. Francetich, qui in hist. Tersact. c. 6. fol. 15.* putat, Urbanum V. hoc anno 1367. sedem Romanam Avenione transulisse, nam licet Urbanus tribus ferme annis Romae commoratus fuerit, non tamen ibidem stabiliter mansit, sed in Galliam remeavit, ibidem mortuus, ibique ejus Successor Gregorius XI. electus fuit, et

coronatus. Hic Pontifex hortatu S. Catharinae Senensis Pontificiam Sedem restituit Romam anno 1377. ut **affirmat Raynaldus §. 17. ad hunc annum**, et **Spondanus ad ann. 1377. §. 1.** diserte ait: *Retulit igitur Sedem Pontificiam Gregorius Romam proprium et verum suum locum, septuaginta annis (ut plerique numerant) postquam in Galliam translata fuisset.* Consonat etiam **Brev. Roman. ad diem 30. Aprilis.**

IV. Imago Beatissimae Virginis Tersactensis (quam à S. Luca Evangelista, natione Syro, Patria Antiocheno, professione Medico, ac pictore, atque B'mae Virginis Secretario pictam fuisse non tantum perpetua traditio, sed et **Authorum caterva** indubitanter **asserit**) duos habet altitudinis palmos, et unam unciam, seu pollicem, latitudinis tres palmos, et duas uncias, ejusque grossities, seu profunditas ad tres ferme digitos sese extendit. In medio tabulae cedrinae cum Divina Matre, non quidem ad pedes usque expicta, sed ventre tenus, Puer est Deus Homo, quem illa, capite leviter inclinato in sinu fovet, ulnisque gestat, nudato ubere papillam porrigendo, addita ab ipso Evangelista hac graeca inscriptione

$$\begin{array}{cccc} \frac{\circ}{\text{MH}} & \frac{\circ}{\Theta\text{Y}} & \frac{\circ}{\xi\text{C}} & \frac{\circ}{\text{XC}} \end{array}$$

id est: *Mater Dei Jesu Christi.* Facies Virginis non puellae, sed ad instar Majoris natu mulieris est effigiata. Facies vero Jesuli in gremio Genitricis suae reclinati, blandulè divinis suis ocellis intuetur intuentes. Medium Sacratissimae Iconis quatuor circumstant latera. Dexter lateris superioris Gabrielem Archangelum Filii Dei Incarnationem Mariae Divino jussu annuntiantem coloribus, quam affectuosissimè exprimit. Inferioris verò Divum Bartholomaeum Apostolum cum duobus ad instar Diaconorum adstantibus repraesentat. Laeva lateris superioris Christum Dominum è Cruce pendentem, ac ex amorosissimo latere suo pretiosissimum sanguinem ad terram usque profluentem, cum Matre ex una, ac Joanne Evangelista ex alia parte stantibus exponit. Inferioris autem tres praesefert Apostolos, quorum nullus nisi divinando discerni potest, praeter Doctorem Gentium Paulum, utpote manu sinistra gladium tenentem. Haecque Imago usque ad haec tempora magnis corruscat miraculis, inter quae illud maximum est, quod nulla temporis edacitate laesa, sed semper perstiterit, et etiamnum perstat post septendecim saecula incorrupta, et inviolata.

V. Cur porro haec domus Sanctissima triennio, et septem mensibus tantum Tersacti fixerit stationem? rationem à priori adducere nullam valeo, sed **cum Apostolo ad Rom. c. 11. W. 33. et 34.** exclamare cogor: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus. Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* Nam omnipotens Deus, cujus nutui universa, quae in Caelo, in terra, et subter terram sunt, subjacent, *Juxta voluntatem suam facit tam in virtutibus Coeli, quam in habitatoribus terrae, et non est, qui resistat manui ejus, et dicat ei: quare fecisti?* **Daniel c. 4. W. 32** Attamen piè sentiendum est, Divinam providentiam altiori dispositione in solidam

Sacrosancti Domicilii sedem minimè Tersactum, sed Italiam praelegisse, uti habet **P. Franciscus Glavinich Hist. Tersact. Utini anno 1658. typis editae part. 1. c. 6. fol. 10.** Sicut enim Deus suae dilectissimae Matris domum è Nazareth Palaestinae ideo elevâsse, et aliò transportâsse voluisse creditur, ne à Saracenis Palaestinam invadentibus profanaretur, ita etiam, ne similem injuriam in Italia pateretur, in prima translatione eam in Italia collocari noluit, sed in loco tuto nimirum Tersacti, tunc ab omni bellorum tumultu libero interim deponi voluit, donec bellici tumultus in Italia sedarentur; ea namque tempestate Guelforum et Gibellinorum factionibus dilaniabatur Italia, et Venetos Genuenses, Galli Neapolitanos impetebant.

§. IV.

Rationibus, et Autoritatibus probatur, Sacram Aedem Nazarenam fuisse verè prodigiosè primò è Palaestina Tersactum, inde in Italiam translata.

I. Hunc paragraphum neutiquam scribendum assumpsissem cum toti [fermè] Catholicae Ecclesiae firmiter persuasum sit, quod domus Nazarethana B. V. Mariae primum domicilium è Nazareth Palaestinae anno 1291. die 10. Maji translata fuerit ad collem Tersactanum in Dalmatia Angelorum ministerio, et eodem anno 1294. die 10. Decembris Tersacto trans mare Adriaticum in agrum Picenum transportata, nisi blasphemi Haereticorum latratus, qui acuentes linguas suas serpentinae, omnia Dei admiranda opera explodunt, subsannant, calumniantur, ejusque Sanctissimae Genitricis domum cavillant, proscindunt, et exterminare contendunt, quorum temerarios ausus hodierni Libertini seu Indifferentistae suis ineptiis non tantum exaequant, sed etiam superant, me ad id provocarent, ut plurimorum fide dignorum virorum testimoniis detraham velamen caecitatis ab oculis eorum, ut et ipsi videant, et cognoscant magnalia Dei.

II. Praeprimis Alexander presbyter Parochus tum Tersactensis morti proximus, à B'ma Virgine ea ipsa nocte suae Tersactum adventus domus visitatus, bono animo esse jussus, pristinam, et integram sui languidi, et quasi exanimis corporis sanitatem obtinuit, et sequenti die omnium cum admiratione praeaudatam aediculam invisit Sanctissimae divinarum gratiarum dispensatrici pro obtenta salute immortales rependit gratiarum actiones. Idem Alexander, à Domino Nicolao de Frangepanibus jurisdictione Tersactensi, ut certior fieret, an re ipsa foret Aedicula illa Nazarena, quae in Tersactano colle cunctis stupentibus noviter apparuerat? una cum tribus aliis spectata Nobilitatis viris, inter quod (ut ajunt aliqui) numerabantur Domi-

nus Liber Baro Sigismundus Orsich, et Dominus Joannes Greguroczi) in Palaestinam ad perquirendam omnem veritatem ablegatus fuit. Omnibus proinde necessariis ad iter tam arduum abundanter provisi, Flumine navim conscendunt, ac aura secunda mare Adriaticum, Creticum, ac Cyprium transmeantes, Jerosolymam sospites pervenerunt. Ibi adorato Sanctissimo Christi sepulchro, Nazarethum veluti praefixam itineris metam, recta properantes, summa animi contentione â Barbaris adaequatam totius rei seriem acceperunt. Omnium primò asserebant, Sanctissimam domum Arcano mysterio aliò transmigrasse: ostenderunt dein recentia ejus vestigia, imo et patentis Templi â Diva Helena extructi ruinas, per quas mira Angelorum potentia, perrupto fornice fuerat asportata. Dimensis demum vestigiorum reliquiis, secundum longitudinem, et latitudinem, nec non de tempore discessus plenissimè eruditi, singula ad unguem fortunatissimae Aediculae Tersactum divinitus translocatae, uniformia compererunt. Strenuè igitur suo munere perfuncti, quatuor mensium intervallo, prospero cursu ad patrios lares revertuntur, cuncta per ordinem laetanter exponunt, ac collatis mensuris, caeterisque adminiculis, citra dubium aediculam illa Nazarenam Tersactum fuisse translatam, unanimi calculo concluderunt.

III. Ut veritas clarius elucescat, adjungo bis repetitae priori similis peregrinationis, et veritatis investigationis testimonia; Quam primum enim Nazarena B'mae Virginis domus Tersactò in Marchiam Anconitanam inperscrutabili Dei judicio translocata fuit, mox Picentes pari studio, ac ardore, ut fecerat Nicolaus Frangepanus, ex agro Piceno sexdecim viros lectissimos (inter quos praecipui erant quatuor Recinetenses, videlicet Politus, filius Comitis Martii de Politis, Matthaeus filius Comitis Simonis Raynaldi, Lucius Rainaldus J. U. Doctor, Cicottus Monaldutius de Monaldutiis pariter Juris Doctor) Tersactum delegarunt, ut ibi investigarent, quae fama de adventu Sacrae domus Tersactum per universam Europam promulgavit. Illuc igitur pervenientes sine mora aptatis mensuris secum allatis, ac notata die aliisque indiciis tam admirabilis translationis, cuncta concordia, ac simillima compererunt. Tandem Palaestinam navigantes, et ibi haud aliter, quam Tersacti correspondentia sunt admirati. Tandem Clemens VII. anno 1523. in Petri Cathedram evectus, ut tandem obseraret ora malignantium Haereticorum, qui non cessabant sua fulmina in Divam ejusque Sacram Habitationem, corde plus, quam Sathanico ejaculari, res singularis devotionis viros, qui sibi â secretis erant, divino afflatus Spiritu selegit, eosque ut **refert Tursellinus, Balthasar Bartoli et Petrus Peraglia Tuscus**, omnium primò Tersactum, dein Nazarethum in Palaestinam destinavit, ut ibidem omni circumspectione cuncta perquirerent. Tersactum igitur veniunt, Sacrae domus mensuras Lauretho asportatas studiose, ac diligenter adaptant, inde Nazarethum Galilaeae urbeculam advolant, ubi omnia adamussim conformia reperientes, laeti rei veritate compertâ, Romam ad pedes Summi Pontificis festinârunt.

IV. Praeter tam diligentes veritatis saepius institutas inquisitiones, adest caterva Scriptorum Ecclesiasticorum, qui unanimiter affirmant Sanctissimam Deiparae domum fuisse in prima sui è Palaestina translatione ab Angelis in colle Tersactano depositam. Sic **Petrus Canisius in Comment. de Maria Deipara lib. 5. c. 25.** ait: *Sacellum hoc ex Palaestina primum in DALMATIAM translatum, circa oppidum FLUMEN consistit. Franciscus Suarez tom. 2. disp. 9. sect. 5. Eadem illa domus, in quam Annuntiatio facta est: ministerio Angelorum primum in ILLYRICUM, postea in Italiam translata est. Baronius tom. 1. Annal. ad A. C. 1291 inquit: Porro domus illa, in qua de Verbi Incarnatione Beatissima Virgo Coelestem accepit Nuntium: adhuc magno miraculo, non tantum integra perseverat, sed Angelorum ministerio ab Infidelium manibus vindicata, in DALMATIAM primum, inde in Italiam translata est. Odoricus Raynaldus in suis Annal. ad A. C. 1291 ait: Claudimus hunc annum insigni prodigio saeculorum omnium futurorum admiratione, et praedicatione celebrando. Eodem hoc anno, quo amissam Syriam luximus, contigit, Sacram illam domum, in qua salutante Angelo Beatissima Virgo Spiritus Sancti virtute conceperat, olim ab Apostolis in Sacelli formam redacta, in Europam ministerio Angelorum translata fuisse, atque TERSACTUM inter, et FLUMEN Dalmatiae oppida in Montis leniter assurgentis imminentisque Adriatico mari aequata planitie collocatam. Spondanus ad. A. C. 1291. ait: Hoc denique anno, qui fuit suprema Palaestinae clade insignis, Deo dilecta Domus Beatissimae Virginis Nativitate et Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi illustris è Syria pariter cum Religione discessit, Angelorum manibus ex Civitate Nazareth, et ex Templo ab Helena Augusta olim Sacrae Domui circumdato avulsa, et in Dalmatiam, monticulum TERSACTUM inter, ac FLUMEN oppida leniter acclivem Adriatico imminentem mari maximo miraculo translata etc. Si cuiquam adductae auctoritates non sufficiunt, illum saltem plurimorum Summorum Pontificum commovebunt oracula.*

V. Imprimis **Julius II. in Bulla de Domo Laurethana** rem his verbis explanat: *Nos attendentes, quod in Ecclesia de Lauretho non solum est Camera, sive Thalamus, ubi ipsa Beata Virgo concepta, ubi educata, ubi ab Angelo salutata, Salvatorem saeculorum Virgo concepit, lactavit, et educavit. Ubi, quando de hoc saeculo nequam ad Sublimia assumpta extitit, orando quiescebat: quamque Apostoli Sancti primam Ecclesiam in honorem Dei et ejusdem B. Mariae consecrarunt; Ubi prima Missa celebrata fuit. Ex Nazareth, Angelicis manibus, ad partes Sclavoniae, ad locum FLUMEN nuncupatum primò portatam, inde per eosdem Angelos ad nemus Laurethae mulieris, ipsius Beatae Virginis devotissimae: à dicto nemore, propter homicidia et alia facinora, quae perpetrabantur, in Colle duorum Fratrum: et postremò ob rixas et contentiones inter eos exortas, in Vicum publicum Territorii Recanatensis translata extitit. Pariter Leo X. Julii praedicti immediatus Successor in prooemio Bullae*

de Dom. Lauret. inquit: *Gloriosissimae Virginis Matris Dei Mariae, à cujus laudibus, sicut neminem cessare fas est, ita ad illas explendas neminem sufficere arbitramur Cum enim Beatissima Virgo, ut fide dignorum comprobatum est testimonio, è Nazareth imaginem et cubiculum suum Divino nutu transferens, postquam apud FLUMEN DALMATIAE oppidum primò, et deinde in Agro Recanatensi in loco nemoroso, ac rursus quodam in Colle ejusdem Agri particularibus personis addicto posuit. Demum in via publica, ubi modo constitit, illud Angelicis manibus collocando sibi delegit, et in eo assiduè miracula innumera illius meritis operatur Altissimus. Clemens VIII. Pontifex Maximus in lapide marmoreo Laurethana in Aede etiamnum visibili, sequentia incidi curavit: *Christiane Hospes! qui pietatis votique causa huc advenisti: Sacram Laurethanam Domum vides Divinis mysteriis et miraculorum gloria toto orbe terrarum venerabilem. Hic Sanctissima Dei Genitrix Maria in lucem edita. Hic ab Angelo salutata. Hic aeternum Dei Verbum caro factum est. Hanc Angeli primum è Palaestina in ILLYRICUM advèxere ad TERSACTUM oppidum anno Salutis 1291. Nicolao IV. Summo Pontifice. Triennio post initio Pontificatus Bonifacii VIII. in Picenum translata prope Recinetum Urbem, in hujus collis nemore, eadem Angelorum opera, collocata est. Ubi loco intra anni spatium ter commutato, hic postremò sedem divinitus fixit.* etc. Tandem Clemens XI. gloriosissimae memoriae Pontifex Maximus, ne memoria translationis Almae Domus è Nazareth ad locum Tersacti ulla unquam oblivione deleteretur, benigne die 23. Septembris anno 1709. indulset, ut Officium, quod pro die 10. Decembris Innocentius XII. concessit pro Provincia Picena, sub ritu duplici majori die 10. Maji tam à Clero Saeculari, quam Regulari Dioecesis Segniensis, nec non ab omnibus Religiosis Strictioris Observantiae S. Francisci Conventus Tersactensis, ac totius Provinciae Croatiae Carnioliae, quotannis recitari possit de Translatione Almae Domus una cum Missa. Ad Sextam lectionem ejusdem Officii de consensu ejusdem Summi Pontificis sequentia addita sunt: *Quam gratiam Clemens XI. extendit ad Conventum, et locum TERSACTI, universamque Provinciam Fratrum Minorum Strictioris Observantiae Sancti Francisci Croatiae et Carnioliae, nec non ad totam Dioecesim Segniensem tam pro Clero Saeculari, quam Regulari die 10. Maji, qua recurrit translatio dictae Sanctae Domus è Nazareth Galilaeae ad praedictum locum TERSACTENUM.**

VI. Neminem fore putaverim, qui ex his luculentis testimoniis veritatem translationis Almae Domus Nazarenae in Collem Tersactanum non evidenter eruat. Si quis vero praeter spem his auctoritatibus ad credendum tantum Divinae Omnipotentiae prodigium non moveretur, is consulat Georgium Holsteum, Ludovicum Centoflorenium, Franciscum Turrianum, Petrum Roestium, Ludovicum Riebum, Hieronymum Angelitam, Theophilum Raynaudum, Joannem Baptistam Mantuanum, Bartoli, Horatium Tursellinum, Gulielmum Gumpfenberg, Antonium Sandini,

Franciscum Glavinich, Petrum Francetich, Franciscum Xav. Marotti, Clarum Pasconi, qui omnes **historiam Laurethanam et Tersactensem** fusius pertractant. Imo et ipsi Haeretici id ipsum fatentur, prout **D. Dapper**, quem citat **Erasmus Franciscus in Topographia Carnioliae D. Valvasor in itin. Palaestinae fol. 79. et seqq.** hanc miraculosam translationem agnoscit, licet nonnihil timidè, ne offensam apud suos incurrat, nam, ne veritatem fateatur aperte, utitur his terminis: *fertur, dicitur, sic credunt Catholici*. Hoc quippe modo Haeretici etiam agnitam veritatem ne forte intellegerent, et converterentur, impugnare solent, quos cum nec ratio nec autoritas movet; igitur te ô Diva Thaumaturga appello, hostibus tuis spontaneam caecitatis larvam detrahe, ut veritatis radios aspiciant, et tua nobiscum admiranda suscipiant, resipiscant, teque, tuumque Filium in hac Sacra Tersactana Domo unicè colant, adorent, venerentur.

Caput IV. De aedificatione Ecclesiae, et Conventûs, ac introductione Fratrum Minorum.

I. Insinuavi cap. praec. §. 3. n. 2. quod Ill'mus D. Nicolaus Comes de Frangepanibus post discessum Almae Domus Nazarenae in agrum Recinetensem supra vestigia, quae solo impressa remanserant, ad consolationem maestissimi ob ablationem tam pretiosi thesauri, populi prorsus priori, et originariae Capellae consimilem supraaedificari curaverit, quae multis coepit clarere miraculis, praesertim postquam Urbanus V. Romanus Pontifex imaginem â S. Luca Evangelista depictam Tersactum exmiserat, et obinde non tam â Vicinis, sed et remotioribus populis copiosè frequentari: Cum autem Cappellula nimis angusta videbatur capiendi toti ex diversis mundi partibus affluenti populo, meditabantur Frangepani Nicolai Successores in Sacrosantis illis Nazarethani Domicilii vestigiis grande quoddam venerationis specimen edere, ast publicis, aut bellicis negotiis continuo distracti pia eorundem desideria Posteris è vita decedentes commendabant.

II. Martinus tandem â Frangepanibus Segniae, Vegliae, Modrussiaeque Comes Antecessorum memoria, paterni voti, nec non propriae devotionis stimulo commotus non tantum Ecclesiam Sanctuario, seu Capellae adjungere, sed et Conventum pro Fratribus Minoribus Provinciae Bosnae excitare statuit ipsamque Ecclesiam certis suis bonis dotare, eo quod propria prole, cui bona relinqueret, careret, ut ex ipsius litteris, quas **ex Copia authentica** produco, nam **originales** in incendio Conventûs Tersactensis anno **† [...] ³⁵⁴ 1626.** exorto periisse creduntur, **de dato in Castro Novi die 7. Aprilis 1431.** clarius patebit, quae hujus sunt tenoris:

Nos Martinus de Frangepanibus Divina miseratione Segniae, Veglae, Modrussiaeque etc. Comes, Universis, ad quorum

manus pervenerint, Christifidelibus praesentes litteras inspecturis praesentium, et futurorum notitiam, ad perpetuam rei memoriam significamus, quibus expedit omnibus, quod Nos Divina gratia existentes in bona sanitate mentis nostrae, una cum Consorte nostra Charissima Domina Ursia ===== Comitissa, considerantesque, quod sobole ex utero nostro careamus, quam possessionibus nostris relinqueremus haeredem, elegimus pleno affectu, animo deliberato, ac tota voluntate habere sub Deo Patre, et Christo ejus Filio, Beatam gloriosam Virginem Mariam pro nostra, haeredumque nostrorum Patrona, et Domina, ipsamque specialiter elegeris, eidemque nos tota devotione adstringi. Et quia affectus gloriam respicit, ad laudem Omnipotentis Dei, et Beatae Virginis Mariae honorem, ac Christiani populi utilitatem, decrevimus aedificare e fundamento aedificium, et Ecclesiam in honorem Intemeratae, et gloriosissimae Dei Genitricis Virginis Mariae ob specialem devotionem, quam eidem gerimus saepedictae Ecclesiae Beatae Mariae Virginis in districtu de Vinodol prope Castrum nostrum vocatum Tersath: in qua quidem Ecclesia per nos extructa (ut jam dictum est) in honorem Virginis Mariae ad canendum laudes, et psalmos Omnipotenti Deo in remissionem peccatorum nostrorum, et pro salute animarum Praedecessorum nostrorum, statuimus, imo deliberando decrevimus viros Deo devotos Fratres Minores Ordinis Sancti Francisci de Observantia Vicariae Bosnae, cui Ordini specialem devotionem gerimus, eisdemque dictam Ecclesiam commendare regendam, more aliorum Monasteriorum dicti Ordinis, et nunc, et perpetuis temporibus: Ut igitur ipsi Fratres in ipso Monasterio degentes, temporalibus subsidiis sufficienter adjuti, liberius Deo serviant, et ipsius misericordiam pro salute animarum nostrarum assiduis ipsorum orationibus valeant impetrare, illis pro animae nostrae remedio, et omnium praedecessorum nostrorum possessiones nostras sub praefato Castro nostro Tersath concedimus, ponendo metas, videlicet: lapis triangularis in litore maris et deinde ascendens versus partem orientalem ad primam semitam, vulgariter vocatam *Praekrishie Podgerz*: deinde ascendens per viam publicam confinium ad secundam semitam vulgariter vocatam *Praekrixich*: deinde vergit ad manum sinistram per viam publicam ex boreali parte ad tertiam semitam in planitiis, semper quidem ascendens per viam publicam, per quam curribus ad Castrum nostrum Tersath ascenditur ad arborem vocatam *Kopriva*: deinde per viam publicam ad angulum Capellae nostrae S. Georgii penes Castrum ex parte Orientali: deinde directè descendens per montem incultum ad Flumen, quae quidem dividit *Recham* cum Castro nostro Tersath, per medium fluminis longitudinis 33. passuum per medium laci maris versus partem occidentalem, et deinde venit per lacum marinum ad meridiem, et terminatur in prima meta supradicta, cum terra, et latitudine canarum, seu stangarum Croatarum mensura, simul cum cunctis earum pertinentiis terrisque videlicet, arabilibus cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, faenilibus, sylvis, nemoribus, vineis, aquis, aquarum decursibus, molendinis, molendinorum locis, et generaliter cum quibus-

cumque integritatibus, utilitatibus, usufructibus, proventibus et emolumentis, qualitercumque vocatis sub earum, vel eorum veris metis ad eosdem, seu easdem spectantibus, et pertinentibus, seu spectare, et pertinere praefato Monasterio Beatae Mariae Virginis fundato prope dictum Castrum Tersath: et Fratribus in eo familiariter Deo servientibus in perpetuam eleemosynam dedimus, donavimus, adjudicavimus, et contulimus. Ac dedimus insuper dicto Monasterio Vadum nostrum, unum molendinum, et unam stuppam in fluvio *Recha*, nec non faenilia in valle dicta Draga cum veris metis, et terminis ejusdem sine aliqua diminutione, quae ad nos spectabant. Ex quibus omnibus supra nominatis possessionibus elegimus esse dotem dictae Ecclesiae pro victu, et usibus Fratrum ibi commorantium: et pro reparatione, et utilitate Ecclesiae praenominatae convertantur. Ante nostrum ex hac luce decessum aliis dotationibus dictam Ecclesiam dotabimus. Idcirco per praesentes legavimus, dedimus, et contulimus confidentes de Salvatoris promissione, qui ob [...] ³⁵⁵ pollicitus est restituere centena pro uno, et etiam vitam aeternam daturum, ut etiam nos cohaeredes facere dignetur: propterea ipsum Salvatorem Dominum Nostrum Jesum Christum, et suam benedictam Matrem Virginem Mariam possessionum praefatarum tenore praesentium haeredes instituimus, creavimus, et fecimus jure perpetuo, et irrevocabiliter imprecantes omnes, et eorum conscientias onerantes, quod huic nostrae voluntati, donationique ausu temerario non contradicant, nec quidquam minimum usurpando, vel Christum Dominum nostrum, et ejus Matrem exhaereditare praesumant, et si fecerint, tales temerarii tenentur respondere coram Tribunali D. N. J. C. in die judicii, noverintque justè Divino judicio ipsos exhaereditandos de Regno Caelorum. Idcirco omnes tales, cujuscunque status, conditionis, et praeminentiae exstant, qui hanc nostram donationem, et concessionem infringere studuerint, vel operam dederint, maledictionem, et indignationem Dei Omnipotentis, beataeque Virginis Mariae, beatorumque Apostolorum Petri, et Pauli, et totius Coelestis curiae, nec non excommunicationem Summi Pontificis eo facto incurrant: prohibentes autem, ut nulli Fratrum nostrorum, aut Nepotum, haeredumque eorum hanc donationem liceat violare, frangereque in perpetuum: seu quomodolibet impedire, cum et ex eorum voluntate, et consensu processerit. Ut autem praefata donatio nostra perpetuum robur, et firmitatem obtineat, praesens instrumentum fecimus, mandavimusque sub appensione nostri majoris sigilli roborandum. Datum in Castro nostro Novi die 7. Aprilis Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo primo indictione septima.

Ego Joannes Bap'ta Aqueus Tergestinus publicus Sacra Imperiali auctoritate Notarius, ac Judex Ordinarius supradictam privilegii, concessionis, ac donationis copiam ex authentico sigillato solito majori sigillo intacto, et illaeso praefati quondam Ill^{mi} Comitis Martini de Frangepanibus etc. de verbo ad verbum prout jacebat, nil addens, vel minuens fideliter extraxi ad instantiam, et requisitionem R^{mi} Patris Fratris

Francisci Jaycensis *Ministri* "*Croatiae et Bosnae*".³⁵⁶ Ideo me in fidem subscripsi, signo cum nominibus meis appositis consuetis in fidem et testimonium omnium praemissorum etc.

Iudices Ordinarii S. Viti terrae Fluminis universis, et singulis has praesentes nostras inspecturis, fidem facimus suprascriptum D. Joan. Bapt. Aqueum esse Notarium legalem, et authenticum, ejusque Scripturis publicis plenam hinc ab omnibus adhiberi fidem, et ubique merito adhiberi posse. In quorum fidem etc. Datum Flumine S. Viti die 21. Martii 1567.³⁵⁷

(L. S.)

Bartholomaeus Manlius

Cancellarius de mandato.

III. Ut suum desiderium ad effectum deduceret Martinus de Frangepanibus, Romani Pontificis Eugenii IV. hoc eodem anno 1431. electi assensum requisivit, quia autem post electionem Eugenii Romana Sedes civilibus Urbis armis, aliisque gravibus vicissitudinibus oppressa adeo erat, ut Eugenius monastica veste contextus fugam capessere coactus fuerit, haec facultas obtineri non potuit, nisi post viginti duos annos à Nicolao V. fortunatiori Eugenii Successore, qui praememoratae petitioni subscripsit quarto Idas Julii anno 1453. litteris sequentis tenoris:

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei

Dilecto filio Nobili viro Martino de Frangepanibus

Segniae, Modrussiae, Veglaeque Comiti salutem, et Apostolicam benedictionem.

Exigit devotionis tua probata sinceritas, ut piis votis tuis, illis praesertim, per quae cum Divini cultus augmento, et Christifidelium animarum salute, Religionis Sacrae propagatio procuratur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu singulari devotione motus, et ut etiam votum per quondam Nicolaum Patrem tuum, dum vixit, factum, adimpleatur, propè Ecclesiam Sanctae Mariae super Tersath Corbaniensis (supple *Corbaviensis*) Dioecesis, ad quam Christi fideles illarum partium propter diversa miracula, quae Omnipotens Deus intercessione praelibatae Virginis Mariae retroactis temporibus demonstravit, singularem gerunt devotionis affectum, unam domum cum claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortaliis, et aliis necessariis officinis pro usu, et habitatione Fratrum Minorum de Observantia de novo fundari, construi, et aedificari facere ferventer exoptes, dummodo tibi super hoc per Sedem Apostolicam licentia concedatur, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi praedictam licentiam concedere, aliasque super hoc oportere providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur tuum pium, ac laudabile propositum hujusmodi in Domino plurimum commendantes, tuis, nec non Venerabilis Fratris nostri

Episcopi Corbaniensis, ac Christifidelium praedictorum in hac parte supplicationibus inclinati, tibi unam Domum cum Claustro, Dormitorio, Refectorio, hortis, hortaliis, et aliis necessariis officinis prope dictam Ecclesiam cujusvis alterius super hoc licentia minimè requisita de novo fundandi, construendi, et aedificandi, seu fundari, construi, et aedificari faciendis nec non Fratribus dicti Ordinis Minorum de Observantia Domum ipsam pro eorum usu, et habitatione recipiendi, tenendi, inhabitandi plenam et liberam licentiam auctoritate Apostolica tenore praesentium elargimus.

Et insuper universis Fratribus Ordinis Minorum de Observantia in dicta Domo pro tempore commoraturis, quod omnibus, et singulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, quibus aliae Domus dicti Ordinis, ac Fratres in eis degentes in genere gaudent, et utuntur, uti valeant pariter et gaudere, eadem auctoritate concedimus per praesentes. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris Nostri prohibitione,³⁵⁸ ne Fratres Ordinis Minorum in quovis Castro, loco, vel villa ad inhabitandum loca de novo recipere, vel eatenus recepta mutare praesumant absque Sedis praefatae licentia speciali, facientes plenam, et expressam de prohibitione hujusmodi mentionem et aliis Apostolicis Constitutionibus, caeterisque contrariis quibuscumque, jure tamen Parochialis Ecclesiae, et cujuslibet alterius, alias in omnibus semper salvo. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae largitionis, et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quadringentesimo, quinquagesimo tertio. Quarto Idus Julii Pontificatus nostri anno septimò.

(L. S.)

CFideli.

IV. An Conventus anno 1431. vel verò anno 1453. post obtentam licentiam Romanam aedificari coeperit? omnino certum non est. Pro priori anno pugnare videtur Martinus de Frangepanibus, qui in supra citatis suis litteris quaedam bona sua legat Ecclesiae Tersactensi, et Fratribus Minoribus pro eorum victu, ubi non tantum de praesenti illis verbis: *possessiones nostras sub praefato Castro nostro Tersath concedimus*. Suam donationem significat, sed etiam jam factam, et ad effectum deductam demonstrat illis verbis: *Idcirco per praesentes legavimus, dedimus, et contulimus*. Pro anno 1453. militant mox allegatae litterae Apostolicae, quae illis verbis: *Cum tu unam domum cum claustro etc. pro usu, et habitatione Fratrum Minorum de Observantia de novo fundari, construi, et aedificari facere ferventer exoptes*, potius votum, et desiderium aedificandi Conventum denotant, quam factum, prout etiam ipsemet Martinus

praecitatis litteris non dicit *aedificavimus*, sed *decrevimus aedificare*. Etiam **in posterioribus litteris ipsius Martini de Frangepanibus** postea adducendis continetur, quod ipse habita Pontificia licentia Conventum construxerit, ait enim ibi: *Locum, et Claustum per annuentiam Sanctissimi in Christo Patris, et Domini D'ni Nicolai Papae quinti in ejus vera Bulla plumbea ipsis Fratribus de Observantia concedere, et construere curavimus*. Quid enim prohibet Ecclesiam dotari potuisse, ante constructionem Conventûs? Unde Salvo meliori iudicio puto Conventum fuisse post obtentam Romanam licentiam aedificari coeptum.

Caput V.

De reliquis foundationibus Frangepanianis Romanorum Imperatorum, et Hungariae Regum confirmationibus ac Summorum Pontificum dispositionibus, et Familia Frangepaniana.

Cum Martinus de Frangepanibus **in suis primis** priori c. allatis **foundationibus litteris de dato in Castro Novi die 7. Aprilis 1431.** promiserit, quod velit antea suum ex hac vita decessum Ecclesiam B'mae Virginis Mariae Tersacti et aliis bonis dotare, hinc ob connexionem materiae eas praesenti capite adducendas assumpsi. Ut autem omnia clariora evadant, praesens Caput in 4. partiar paragraphos, in quorum *primo* ultiores **foundationes** à Comitibus de Frangepanibus Ecclesiae Tersactensi factas commemorabo. In *secundo* Romanorum Imperatorum et Hungariae Regum **diplomata**, **Bona** Ecclesiae Tersactensi **legata concernentia** adducam. In *tertio* Romanorum Pontificum **Bullas** quantum ad has foundationes attinet, proferam. In *4^{to}* denique **Encomia** Inclytae Frangepanianae Familiae depraedico. Unde sit

§. I.

De ulterioribus foundationibus à Comitibus de Frangepanibus Ecclesiae Tersactensi B. V. Mariae factis.

I. Videns piissimus Fundator Martinus de Frangepanibus, crescente furia, et invasione Turcarum Provincias adeo vastari, et spoliari, ut Fratres puris elemosynis, ut moris eorum erat, vivere, et ipsum claustrum pro debito Divini cultus augmento absque alio subsidio gubernare, et officiare nequeant, aliam donationem fecit aliquorum suorum bonorum in mox ex ipso Originali adducendis litteris Specificatorum, quorum haeredes instituit ipsum Christum Dominum, ejusque dilectissimam Matrem, ut **ex sequentibus litteris** magis clarescet, quae hujus sunt tenoris:

Nos Martinus de Frangepanibus Veglae, Segniae, Modrussiaeque Comes. Ad perpetuam rei memoriam tenore praesentium notum fecimus, quibus spectat universis. Quod nos considerantes futura praemia bonis temporalibus redimi, et aeterna supplicia evitari posse. Etiam integrae fidei, et sinceræ devotionis affectum

quem hactenus, et in antea ad Minorum Ordinis de Observantia nuncupatos Fratres propter fructus uberes, quos eorum exemplari vita, et ammonitionibus circa salutem animarum Christifidelibus afferunt, gessimus, et habuimus, ac de praesenti gerimus, et habemus in eo, quod ad honorem Dei Omnipotentis, et ejus gloriosissimae Matris Virginis Mariae, et Sancti Francisci locum, et claustrum Ecclesiae ipsius Beatae Mariae Virginis prope Castrum nostrum Tersathi Modrussiensis Dioecesis per annuentiam Sanctissimi in Christo Patris, et Domini, Domini Nicolai Papae quinti in ejus vera Bulla plumbea ipsis Fratribus de Observantia concedere, et construere curavimus, et quaedam pie de Bonis nobis à Deo concessis, et largitis in nostra ultima voluntate testamentaliter dictis Fratribus de Observantia pro ampliatione, et fabrica suarum domorum praedictae Ecclesiae Beatae Mariae, ipsorumque Fratrum necessitate vitae legare, pro Divini cultus augmento, et nostrae animae, nostrorumque Genitorum, et haeredum salute animarum proposuimus, quod ob meritum consequendum ex admissione, et speciali gratia ipsius Summi Pontificis praedictum Claustrum, et Ecclesiam, quae antea Capella fuit, cum paramentis, calicibus, libris, crucibus, turribus, ornamentis, et Reliquiis, ac omnibus aliis pertinentiis, praedictae Ecclesiae, ipsis Fratribus Sancti Francisci de Observantia Vicariae Bosnae dedimus, et contulimus, imo per praesentes damus, et conferimus, ipsosque Fratres Vicariae Bosnae in ipso Claustro vivere, et disponere, sicuti faciunt de aliis Conventibus sibi antiquitus collatis. Praeterea considerantes, quod in dies crescente furia, et invasione Turcarum adeo sunt Provinciae circumquaque desolatae, et spoliatae, quod eleemosynis, ut moris eorum est, vivere et ipsum claustrum pro debito cultu Divino absque alio subsidio gubernare, officia nequeant: ideo ne temporibus nostris, aut nobis ab hac luce decedentibus, ipsum Claustrum Beatae Mariae Virginis propter defectum rerum necessariorum ad hoc deveniret, quod sustentari, et reformari, cultusque Divinus exerceri non posset pro sustentatione praedicti claustrum de Bonis nostris tale facimus sublevamen. Primò proventus et emolumenta omnium apothecarum fieri solitarum in circuitu ipsius Ecclesiae Beatae Mariae in omnibus ipsius Virginis gloriosae festivitibus, simul cum medietate totali proventuum, et emolumentorum, nundinarum celebrandarum annuatim sub praedicto Castro penes mare in festo Assumptionis Virginis Mariae indifferenter. Item unam Capellam Sancti Laurentii sub praedicto Claustro penes mare constructam cum horto, pergulis, prato, et ipsius cunctis utilitatibus, eleemosynis, et emolumentis. Item totalem medietatem provenientem ex duobus molendinis et una Ztuppa vulgariter nuncupata constituta super fluvium dividens *Reckam*, et ipsum Castrum nostrum *Tersath*. Item unam villam nostram *Kottor* vocatam in pertinentiis *Vinadoli* habitam cum omnibus ipsius Villae cessionibus, jobagionibus, possessionibus, pratis, silvis, terris arabilibus, cultis, et incultis, vineis, rubetis, aquis, aquarumque decursibus, mollendinis, et eorum locis ad ipsam villam *Kottor* pertinentibus, et ex ipsa provenire de jure

debentibus, nil juris, nilque proprietatis in ipsa Villa, et ejus attinentiis (medietate quoque ipsorum duorum molendinorum, et Ztuppae praedictae, ac pertinentiis ipsius Capellae Sancti Laurentii, et emolumentis omnium apotecarum fieri solitarum in ambitu Ecclesiae Beatae Mariae in omnibus festivitatibus ipsius, nec non medietate totali, et indifferenter praefatarum nundinarum) pro nobis, et posteris nostris, successoribusque ipsorum reservantes, neque reservamus, sed omne jus, et omnem auctoritatem, quod, et quam in ipsis in anima habuimus, et in posterum habere speraremus, ipsis Fratribus de Observantia Vicariae Bosnae parte ad vestitum, et habitum, parteque ad victus eorum sustentationem dedimus, et donavimus, et assignavimus jure perpetuo, et irrevocabili: medietatem autem provenientem ex medietate nundinarum praefatarum ad habitus ipsorum Fratrum, aliam autem medietatem ex praemissa medietate provenientem ad auxilium lampadum, et provisionem olei, ac librorum Ecclesiae Beatae Mariae Virginis praedictae. Item de pertinentiis, et redditibus Castri nostri *Bacchar* centum libras solidorum, et decem spodia vini mensurae ipsius loci una cum quatuor domibus Morlachorum per nos eis constitutorum, quae quatuor domus ipsis Conventui, et Fratribus cum his, cum quibus nobis, et Castro nostro *Bacchar* fideliter serviebant, servire teneantur, et de caetero sint obligati. Nosque, nec quempiam Officialium nostrorum, et haeredum aspiciant, nisi ipsos Guardianum, et Fratres ipsius loci Beatae Mariae. Item de pertinentiis, et redditibus Castri nostri *Bribir* dicti sexaginta libras solidorum et decem spodia vini mensurae ipsius loci. Item de pertinentiis et proventibus Castri nostri *Novigrad* dicti centum libras solidorum et viginti spodia vini mensurae illius loci cum duabus domibus duorum Morlachorum de pertinentiis ipsius Castri *Novigrad* per Nos cum his servitiis, cum quibus ipsi Castro, et nobis serviebant, constitutorum, et ad servitia ipsius Claustri, et Ecclesiae, ac Fratrum praedicti loci cum omni fidelitate deputatorum. Item de pertinentiis, et proventibus Castri Nostri *Othočac*, quantum ad partem nostram sexaginta staria tritici, decem millii, et alia decem staria ordei. Item de pertinentiis, et proventibus Castri nostri *Okić* decem porcos annuatim. Item de pertinentiis, et proventibus Castri nostri *Costajnica* decem porcos: cujus quidem donationis nostrae has ducentas, et sexaginta libras solidorum omni anno provenire debent ex inserta assignatione Castrorum nostrorum praefatorum assignamus, et volumus eas assignari, et dari ad coopertorium, et reformationem Claustri, et Ecclesiae praedictorum: Victualia autem ex praescriptis Castris nostris provenientia, et hic consignata videlicet Vina blada, et porcos damus, et assignamus annuatim praetactis Fratribus pro victu eorundem, et aliorum pauperum inibi Deo servientium perpetuo, et irrevocabiliter, ac pleno jure, quo usi sumus in aliis donationibus ex Bonis, et possessionibus nostris nobis a Deo collatis, possidendas, extrahendas pariter, et habendas damus, donamus, assignamus, et tenore praesentium fundamus. Et quia praedicti Fratres, cum sint de Observantia, Nobis pro hujusmodi Testamento resistebant, nec volebant acquiescere, ut acceptent: Nos quos zelus Domus Dei comedit, et praesertim ipsius Ecclesiae Sanctae Mariae, ubi et sepulturam praelegimus eis Fratribus litteris Apostolicis silentium imposuimus, ac eos consentire fecimus, prout in eisdem litteris, et Bullis videlicet S'mi Patris, et Domini, Domini Sixti P. P. IV.

expressè continetur. Volumusque quod ipsae pecuniae, et victualia provenientes, et provenientia ex proventibus praefatorum Castrorum nostrorum, qui redditus vulgariter nuncupantur *Bir*, per ordinarios, quos pro tunc videbitur ipsis Fratribus procuratores congregentur et recolligantur, ad manusque praedictorum Guardiani, et Fratrum realiter, et cum effectu absque omni subterfugio, et dilatione deponantur. Et quia confidentes de Salvatoris promissione centena, qua his, qui temporalia ob sui amorem relinquunt bona, pollicitus est etiam insuper vitam se daturum aeternam, ut ipse nos sibi cohaereditas facere dignaretur, eum ipsum Salvatorem nostrum Dominum Jesum Christum, et suam benedictam Matrem Virginem rerum omnium praefatarum, atque legatarum tenore praesentium haereditas constituimus, et fecimus jure perpetuo, et irrevocabiliter. Imprecantes omnibus, et eorum conscientias onerantes, qui huic nostrae voluntati, et testamento ausu temerario contraire, aut de his quid imminuere usurpando vel infringere, vel Christum Dominum nostrum et ejus Matrem Benedictam his quoquomodo exhaereditare praesumpserint, ac ipsi tales temerarii praesumptores respondere coram Tribunali ejusdem Domini Nostri Jesu Christi in die judicii cogantur seque noverint justo Dei judicio exhaereditandos de regno Coelorum. Quoniam in omnes tales cujuscumque statûs, conditionis, et praeeminentiae extiterint, vel existunt, qui hanc nostram ultimam voluntatem, et testamentum infringere studuerint, vel operam dederint efficacem excommunicationis sententiam, et anathematis ultionem à Christi Vicario, qui quod solvit in terris, solutum est in Coelis, et quod ligat in terris, ligatum est in Coelis, per Bullas plumbeas, uti expressè in eis litteris patet, procuravimus, quam largitionem, voluntatem, legationem, et Testamentum nostri majoris sigilli roboravimus, et firmavimus appensione. Datum in Castro nostro Tersati 12. mensis Augusti Anno Domini MCCCCLXVIII.

(L. S.)

II. Joannes Comes de Frangepanibus Martini sui Apatrui haeres confirmat omnes donationes, legationes, et concessionem tam factas, quam faciendas Ecclesiae B. V. Mariae in Tersath à praedicto Martino Comite, ut videre est *in suis litteris*, quas *ex ipso originali desumptas* adduco, suntque hujus tenoris:

Nos Hans de Frangepanibus Veglae, Segniae, et Modrussiae Comes. Memoriae commendamus tenore praesentium quibus incumbit universis. Quod consideratis animae nostrae, Progenitorum et Parentum nostrorum salute etiam his, quibus tempore vitae ipsorum Parentes, et Apatrui nostri testamento Ecclesiis dederunt, et de bonis eorum piè legârunt, manutenere, et adimplere pro posse velle. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod spectabilis, et Magnificus Dominus Martinus de eadem Frangepanibus similiter Veglae, Segniae, et Modrussiae Comes Apatruus noster existens sanus tam corpore, quam mente pro salute animae suae ad honorem Dei Omnipotentis, et Gloriosae ejus Genitricis Mariae, et beati Francisci de bonis, et possessionibus sibi à Deo collatis tam in Vinodolo, quam alias dedit, donavit, et concessit, imo dat, donat, et perpetuo concedit, auxilium quoque, et adjutorium Ecclesiae Beatae Mariae Virginis prope Castrum Tersathi dictum super *Reckam*

et Fratribus Sancti Francisci de Observantia Vicariae Bosnae inibi commorantibus per annuentiam Summi Pontificis praestitit, et fecit, praestaturque, et imposterum facit, prout plenius continetur in litteris suis authenticis superinde confectis, pro quibus quantum ad ea, quae nobis ipse magnificus Comes Martinus Apatruus noster adhuc tempore vitae suae post mortem suam assignavit, sive, quae etiam post decessum suum ad manus nostras quoque modo devenire possent et succedere, ubi praenotatus Comes Martinus aliquos proventus, et redditus, sive servitia praefata Ecclesiae Beatae Mariae Virginis, et Fratribus Sancti Francisci testamento, et in sua ultima voluntate dimisit, aut imposterum dimittet, affirmamus, concedimus, et de omnibus pariter per ipsum Comitem Martinum Apatruum nostrum piè legatis contenti sumus, ita, quod omnia, et singula per jam fatum Dominum Comitem Martinum praedictae Ecclesiae beatae Mariae et Fratribus Sancti Francisci de Observantia Vicariae Bosnae piè, ut praemittitur pro sua, et haeredum suorum animarum salute, ad honorem Dei, et ejus gloriosissimae Matris Mariae legata, donata atque concessa, sive imposterum concedenda tam in pecuniis, vinis, bladis, jobagionibus, Villis, et possessionibus, quam etiam aliis bonis mobilibus, argentariis, ornamentis, et generaliter quibusvis rebus aliis, et bonis suis, ut de suis possessionibus provenientes, manutenere, conservare, et praeservare, ac ipsam Ecclesiam beatae Mariae Virginis, et ipsos Fratres Sancti Francisci de Observantia Vicariae Bosnae ab omnibus impetitoribus toto posse nostro, et contra quosvis hanc ultimam donationem infringere nitentes se sublevare, defendere, et protegere volumus. Pecunias autem, et Victualia, quas, et quae praenotatus Dominus Comes Martinus Apatruus noster pro reformatione praedictae Ecclesiae, et sustentatione Fratrum ibidem Deo famulantium super Bacchar, Bribir, et aliis Castris suis dimisit, et assignavit, ac perpetuo fundavit, et potissimè in his, quae jam ad manus nostras assignata sunt post mortem suam, aut casu quo devenire possent, volumus, et promittimus per nostros Officiales recolligi, et adunari, et ad manus ipsorum Guardiani, et Fratrum praedictorum, aut ipsorum Procuratori deponi, et assignari annuatim realiter, et cum effectum; spondemusque Deo et ejus gloriosae Matri Mariae, et sub animae nostrae salute, fide quoque nostra Christiana, mediante qua promittimus omnia, et singula pariter per ipsum Magnificum Comitem Martinum, aut alios Apatruos, et fratres nostros concessa, aut imposterum concedenda praescripta Ecclesiae beatae Mariae, et Fratribus absque subterfugio, et occasione adinventum per Nos, et nostros observare, et tenere, omnesque haeredes, et Successores nostros petimus propter Deum, et ejus gloriosam Matrem, ut hanc fundationem, et donationem toto posse manuteneant, et ipsos Fratres defendant, et si in contrarium suggerente maligno spiritu, quod Deus avertat, contraierint aliqui haeredum, et successorum nostrorum, maledictionem, et indignationem Dei, Gloriosae Virginis Mariae, beatorumque Petri, et Pauli Apostolorum ejus, et nostram, ac totius Coelestis Curiae, nec non ex-

communicationem Summi Pontificis eo facto incurrant. Datum in Bacchar vigesima secunda die mensis Februarii Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto sub sigillo nostro impendenti consueto.

(L. S.
pen.)

Stephanus Francigna Cancel^{rius}
in praemissis ex speciali commissione
ipsius Magnifici Comitis Hans.

III. Eodem hoc anno 1474. Martinus de Frangepanibus factis prioribus donationibus supperaddit alios proventus ex Villa *Grishane* quotannis Ecclesiae Beatae Mariae Virginis Tersacti pendendos, prout *ex ejusdem Originalibus litteris in Archivio Tersactensi etiamnum conservatis* patet, quae hunc continent tenorem:

Nos Martinus de Frangepanibus Divina miseratione Segniae, Veglae, Modrussiaeque etc. Comes. Ad perpetuam rei memoriam per praesentes significamus, quibus expedit omnibus. Quod nos Divina gratia existentes in bona sanitate mentis nostra considerantesque, quod Mundus iste transit cum concupiscentia sua, consequenter Divino, aeternorumque tracti amore pro eorum quibusdam, quae bono modo, iustoque jure, ut homines in terris possidemus, caelestia mercari cupientes, ut praefertur, sana mente ultima nostra voluntate testamentaliter legamus, et legavimus Monasterio, quod nos aedificavimus, pro salute nostra Sanctae Mariae Virginis Genitricis Dei prope Castrum nostrum Tersath, Villam Grishane, de qua annuatim, quoadusque Deo dante vivimus, centum libras praefatae Ecclesiae, et Monasterio beatae Virginis dedimus, et damus. Postque nostrum ex hac luce decessum, dictam Villam Grishane totam, ac integraliter, cum veris terminis, et metis ejusdem sine aliqua diminutione cum omnibus servitiis, proventibus, ac utilitatibus, quae de ipsa Villa ad nos spectabant. Quam Villam, ut magis liberum, et tutius, ac efficacius hoc Testamentum nostrum fieret, eminus à Generosa Domicella Margaretha sorore quondam Magnifici Comitis Bartholomaei, Nepoteque Nostra, prout in ejusdem litteris expressè continetur. Et quia ipsi Fratres Vicariae Bosnae, cum sint de Observantia habentes scrupulum conscientiae, nolebant nobis in hoc consentire, nec acceptare, Nos eam Villam, et alia, quaecumque legavimus, ita fecimus, ut dominium Sedi Apostolicae immediatè subeat per Ejusdem Sedis litteras bullatas: usus verò solùm tum ipsius Villae, tum Monasterii, tum aliarum rerum legatarum quarumcumque ipsis Fratribus praefatis etiam per praesentes legavimus, dedimus, et contulimus. Et quia confidentes de Salvatoris promissione centena, qua his, qui temporalia ob sui amorem relinquunt bona, pollicitus est etiam insuper vitam se daturum aeternam. Ut ipse Nos sibi cohaeredes facere dignaretur, eum ipsum Salvatorem nostrum Dominum Jesum Christum, et suam benedictam Matrem Virginem Villae praefatae Grishane tenore praesentium haeredes constituimus,

et fecimus jure perpetuo, et irrevocabiliter. Imprecantes omnibus, et eorum conscientias onerantes, qui huic nostrae voluntati, et testamento ausu temerario contraire, aut de his quid imminuere usurpando, vel infringere, vel Christum Dominum nostrum, et Ejus Matrem benedictam his quoquo modo exhaereditare praesumpserint, quod ipsi tales temerarii praesumptores respondere coram Tribunali Ejusdem Domini Nostri Jesu Christi in die judicii cogantur: seque noverint justo Dei judicio exhaereditandos de regno Coelorum, quoniam in omnes tales, cujuscumque status, conditionis, vel praeeminentiae extiterint, vel existunt, qui hanc nostram largitionem, voluntatem, et testamentum infringere studuerint, vel operam dederint efficacem excommunicationis sententiam, et anathematis ultionem à Christi Vicario, qui, quod solvit in terris, solutum est in Coelis, et quod ligat in terris, ligatum est in Coelis, per Bullas plumbeas, uti expresse in eis litteris patet, procuravimus. Quam largitionem, voluntatem, legationem, et testamentum nostri majoris sigilli roboravimus, et firmavimus appensione. Datum in Castro nostro Novi die 17. mensis Decembris Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto.

(L. S.
pen.)

IV. Praeditas donationes etiam confirmavit Stephanus frater carnalis Martini de Frangepanibus cum suo filio Bernardino *sub dato Modrussiae die 20. Julii 1475.* Cum autem harum litterarum tenorem *Ferdinandus Imp. suis confirmatoris litteris* inseruerit, §. sequenti adducentur, eas huc transferre non judicavi esse necessarium. Unicè adhuc *ex ipso Originali* adferam *litteras ultimas Martini de Frangepanibus*, quas uno anno ante suum ex hac vita decessum signavit, in quibus litteris Ecclesiae B. V. Mariae Tersacti donat, seu potius donationem Villarum *Kottor*, et *Grishane* confirmat, suntque hujus tenoris:

Martinus de Frangepanibus Segniae, Veglae, Modrussiaeque Comes etc. Omnibus Christifidelibus praesentibus, et futuris, praesentium notitiam habituris salutem in salutis largitore. Licet Plasmator omnium, de cujus munere venit, ut sibi à fidelibus dignè, et laudabiliter serviatur, à juventutis nostrae primitiis illam cordi nostro benignè infuderit gratiam, qua ad sui nominis gloriam, et honorem cunctas in dominiis nostris constructas Ecclesias, favoris continuatione duxerimus confovendas, taliter, ut ipsius diligentiae nostrae studio eis provisio fructuosa, et salubris condecenter à nobis provenire videatur. Cum igitur videamus Progenitores nostros pro remedio animarum suarum in diversis locis Comitatum nostrorum diversa Monasteria fundasse, et ea possessionibus, libertatibus, aliisque bonis dotasse. Nos tum eorum exemplis imbuti, tum etiam propriae devotionis voto moti, ad Monasterium beatae Mariae Virginis Ordinis beati Francisci Fratrum Minorum de Observantia in districtu Vinodol prope Castrum nostrum Tersath vocatum in honorem Intemeratae, et Gloriosissimae Dei Genitricis Virginis Mariae ob specialem devotionem, quam ad eandem gerimus, per nos denuo fundatum, et constructum. Ut igitur ipsi Fratres in ipso Monasterio

degentes temporalibus subsidiis sufficienter adjuti liberius Deo vacent, ipsique serviant, et ipsius misericordiam in districto examine nobis assiduis ipsorum orationibus valeant impetrare, illis pro animae nostrae remedio, et omnium Progenitorum nostrorum totales possessiones nostras Grishane, et Kottor vocatas in praefato districtu de Vinodol existentes, et habitas, simul cum cunctis earumdem pertinentiis, terris videlicet arabilibus, cultis, et incultis, agris, pratis, pascuis, faenilibus, silvis, nemoribus, vineis, vinearum promontoriis, aquis, aquarum decursibus, molendinis, molendinorumque locis, ac generaliter quarumcumque utilitatum integritatibus, usibus, fructibus, fructuositatibus, proventibus, et emolumentis quibuscumque, et qualitercumque vocatis, sub earum veris, et antiquis metis: de jure, et ab antiquo ad easdem spectantibus, et pertinere debentibus, praefato Monasterio Ecclesiae beatae Mariae Virginis prope dictum Castrum nostrum Tersath fundato, et Fratribus in ipso Deo famulantibus in perpetuum eleemosynam dedimus, inscripsimus, donavimus, et contulimus: Addidimus insuper dicto Monasterio quamdam Capellam B. Laurentii sub dicto Castro nostro Tersath sitam cum uno horto, una vinea, quae vulgo Braida nuncupatur, ac uno faenili ibidem penes vineam existente, nec non unum molendinum, et unam stuppam in fluvio Recha decurrentem. Praeterea unam planitiem terrae incipiendo juxta dictum Monasterium, et terminando penes hospitale dedimus, donavimus, et contulimus, imo damus, donamus, in perpetuamque eleemosynam inscribimus, et conferimus jure perpetuo, et irrevocabiliter tenendi, possidendi pariter, et habendi, nil juris, nilque proprietatis, et dominii in eisdem possessionibus, portionibus, ac omnibus supradictis, pro nobis, fratribus, fratrulibusque, et cognatis nostris reservantes, sed totum jus omnemque juris, et dominii proprietatem, quod, et quam, in eisdem quomodocumque, et qualitercumque hactenus habuimus, in praefatum Monasterium beatae Mariae Virginis de Tersath, ac Fratres Ordinis B. Francisci de Observantia in eodem commorantes transtulimus pleno jure. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes sigillo nostro majori, et authentico impendenti communitas memoratis Fratribus duximus concedendas. Datum in Castro nostro Novigrad secundo die festi Assumptionis Virginis gloriosae Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo.

(L. S.
pend.)

9^o m'ppa D'ni
Comitis.

V. Hae sunt piissimae foundationes â Magnifico Domino Comite Martino Anicio de Frangepanibus Monasterio, et Ecclesiae B'mae Virginis Mariae Tersacti factae: Quas ut lectori citius in conspectum cadant, succincte refero. *Primò* legavit territorium Tersactense juxta terminos in suis primis litteris assignatos cum Molendino, stuppam, et piscatione ad 33. passus in *Fiumera* et mari; *secundò* faenile in Valle Draga nuncupata. 3^{tiò} Capellam S. Laurentii cum horto, et vinea dicto Braida. 4^{tiò} Vadum, et emolumenta nundinarum. 5^{tiò} certos redditus ex suis castris *Bacchar*, *Bribir*, *Novigrad*, *Othozaz*, *Okich*,

et *Costagniza*. 6^{to} *Villas Grishane*, et *Kottor*, de quibus infra plura dicentur.

§. II.

Hungariae Regum, et Imperatorum diplomata bona fundationalia concernentia.³⁵⁹

I. Quamvis Domini Comites de Frangepanibus multis bonis à Deo locupletati erant ab antiquis temporibus, eis tamen Bela IV. Hungariae Rex multa alia bona ad mare Adriaticum sita pro praestitis eidem fidelibus servitiis donavit. Bela Andreae II. Hungarorum Regis filius, et frater S. Elisabethae Hungariae Reginae post mortem sui Patris Rex Hungariae salutatur, et de more coronatur, quod regnum multis afflictus incommodis moderabatur: ejus enim tempore trecenta Asiaticorum Tartarorum millia, Duce Cadano eorum Rege, totam Hungariam, ferro, caedibus, ac incendiis crudelissimè devastârunt adeo, ut etiam ipse Rex fuga sibi consulere coactus fuerit, qui se penes Mare intra Segniam, et Flumen abscondebat, qui locus ab eo tempore *portus Regius*, vulgo *Kraljevicza* nuncupari coepit. Pars Tartarici exercitus fugitivum Regem insecuta, in Grobnicensi planitie fixerat stationem: ac interim barbari totam ferme viciniam suis excursionibus depredantes, timidorum inimicorum aggerem contemnebant. Comites Frangepani tantis malis opportunam medelam adferre volentes, congregato selectorum militum exercitu copioso, unà *cum Hungaris residuis*,³⁶⁰ tanto bellici furoris impetu Tartaros aggrediuntur, ut in Campo Grobnicensi iis omnibus caesis, celeberrima, ac memoranda potiti victoria, immortale sibi nomen comparaverint. Propterea ad haec usque tempora, locus ille Slavo idiomate intitulatur *Grobnik* denominatione desumpta *od Grobu tartarskih*, id est *à loco Sepultura Tartarorum*.

II. Profligato exercitu, ac prostratis residuis Barbarorum reliquiis, Comites de Frangepanibus Fridericus, et Bartholomaeus Belam Regem in Hungariae Regiam iterum collocârunt, qui memor tanti beneficii Frangepanianos non tantum multis privilegiis, sed etiam amplissimis bonis munificentissimè ditavit. Et quia inter haec bona multa sunt, quae dein à Martino de Frangepanibus Ecclesiae Tersactensi legata erant, hinc, ne lector eorum originem ignoret, **litteras donationales Bellae IV. Hungariae Regis** de verbo ad verbum **licet ex copia tantum illegali** adduco, quae hujus sunt tenoris:

Bela per misericordiam Dei Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Gribisiae, Galitiae, et Lodomeriae. Omnibus veris Christianis inspecturis hanc litteram, salutem in illo, per quem Reges regnant, et Domini tenent terram. Dei et Majestatem Regiam providere hac lege omni nationi, et omni linguae, qui se cordialiter submittunt, ut alii, qui post ipsos venient, per eruditionem eorum fiant hilares, et plenè, et majori amore, majorique virtute attendant facere opera,

et verba, et ea, quae pertinent fidelitati Regiae. Ideo per hanc humilitatem volumus, ut veniat ad cognitionem omnibus illis, qui nunc sunt, et post nos erunt, siquidem cum jam congregata sit multitudo peccatorum, et malorum ab omnibus habitantibus in Regno nostro propter violationem, et tentationem illius antiqui inimici Diaboli generis humani, et cum jam multiplicatum sit malum et peccata, plus quam arena in littore maris, nolente amplius Deo, ut mala eorum ultrò progrediantur, sine paenitentia, et punitione ejus, elevavit Tartarorum iram contra Christianos, per quos Tartaros, ut cognoscerent virtutem suae Divinitatis contra homines plenos omni malignitate, et ut transportaret eos de terra: propter quae peccata Omnipotens Deus, ut â nobis averteret misericordiam suam hac conditione, ut nos dimicantes cum Tartaris in campo, in tantum, ut nos victi omni via, et lege, et caesi ab illis. In fine videntes nos non habere ullum auxilium, solum fugere, fugimusque ad partes maritimas, quaerentes locum abscondendi nos penes mare: ubi nos plorantes velut Rachel recogitantes miseriam, et mortem crudelem nostrorum fidelium hominum, quia fuimus desolati propter eorum desolationem. Ast Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur omnes fideles in omni angustia, et tristitia, aperuit nobis fontem misericordiae suae, et misit, uti ex Coelo consolare Nos, Perillustres viros Fridericum, et Bartholomaeum Frangepani, fidei lege excogitarunt, et ostenderunt nobis in scyphis aureis, et argenteis plus quam 20000. Marcharum in pecunia, et in scyphis uno verbo magnae existimationis, suae nominationis, et in fine cum avertisset Dominus Deus iram suam â nobis, recogitantes nos servitutem, et honorem praedictorum Perillustrium Dominorum, donavimus unum nostrum locum, qui est penes mare, Vinodol, et Segniam cum omnibus suis pertinentiis, mercaturis, quae ad ipsam pertinent, dictis Friderico, et Bartholomaeo, eorumque Successoribus in perpetuum, ita, ut numquam possit ab illis dimoveri, et ut dicta loca dominantur illa virtute, et potestate, uti et nos antea dominabamur. Annuntiantes etiam hoc, quod si unus ex illis decederet sine prole, Successor alterius possit dicta loca dominari, quorum confinia sunt ex parte Aquilonis imprimis penes aquam dictam *Recha*, et Civitatem Fluminensem, in monte maris incipiendo, et nostra libera aqua vulgò *Reczina* usque ad pontem penes *Grohovo* trans aquam, primus terminus in uno lapide, in quo est littera incisa A. Aqua sequitur libera nostra, quae exit ex confinio nostro Grobnicensi, Murus desuper *Zuir* supra *Siglievicz*, quod est ultra murum, murus in arenario, versus *Praprutischie* ex illa parte *Tirstenich*, dictum. Tirstenich autem remanet liber noster: ex *Praprutishie* versus rubum lapidem dictum â lapide Rubo versus pollitum lapidem dictum, â polito lapide versus Albam aquam in declivio *Praeputnich*, a declivio *Praeputnich* versus summitatem *Pirinschiach*, â summitate *Pirinschiach* versus acervum lapidum ab acervo lapidum versus metam in campo *Babino* dicto. Ista sunt vera confinia â Monte usque ad campum dicto Babino: et in confir-

mationem dictae donationis, et in perpetuam memoriam dedimus dictis Friderico, et Bartholomaeo hanc nostram litteram apertam duplici nostro sigillo obsignatam datam per manus docti viri Magistri Farkassa Electi in Alba dilecti, et fidelis nostri, Supremi Cancellarii in Bonis nostris. Anno Domini 1260. Regni vero nostri 20.

III. Ut donationes Ecclesiae Beatae Mariae Virginis in Tersath â Martino de Frangepanibus factae firmiores essent, ac perpetuum robur obtinerent, petiit, et obtinuit assensum, et confirmationem â Mathia Corvino Hungariae Rege, cui etiam idem Martinus³⁶¹ 6. Castra donaverat, prout ex ipsius litteris desuper confectis clarè patet, quae hujus sunt tenoris:

Vos Mathias Dei gratia Rex Hungariae, Bohemiae etc. memoriae commendamus per praesentes, quod nos consideratis imprimis fidelitatis, et fidelium servitorum gratuitis meritis fidelis nostri Spectabilis, et Magnifici Martini de Frangepanibus Segniae, Vegliae, et Modrussiae Comitum, tum verò gratum habentes responsum ad illam dispositionem, quam nobis super devolutione sex Castrorum suorum post mortem suam ad nostram Majestatem fieri debentium, vigore litterarum suarum inscriptionalium fecit: quorum praetextu cupientes ipsum Comitem Martinum favore nostro prosequi gratioso, ut ejus humillimae supplicationis instantiam nobis propterea oblatae, id ei gratiosè duximus annuendo, et concedendo, imo annuimus, et concedimus praesentium per vigorem, ut temporum in processu, si quid donationis, fassionis, vel collationis ipse de bonis, et possessionibus suis, quae justo juris titulo possidet, cuipiam familiarium suorum pro servitiis ipsorum fecerit, vel etiam si aliquid de Bonis, et possessionibus suis ob refrigerium animae suae in perpetuam eleemosynam Ecclesiis, et Altaribus largitus fuerit, demptis solummodo praefatis sex Castris, quia Nobis simul cum omnibus eorum pertinentiis per litteras suas inscripsit, et sine praejudicio juris nostri Regii, liberè fateri, donare, et conferre valeat, atque possit; Cui quidem fassioni, collationi, et donationi sive largitioni per dictum Comitem justè, atque rationabiliter fienda eximit, et ex tunc, sicut eximit, Nostrum Regium consensum praebuimus, imo praebemus benevolum pariter et assensum, salvis semper juribus alienis, harum litterarum nostrarum vigore, et testimonio mediante. Datum Budae feriâ secunda proxima post Dominicam *Quasi modo*. Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo. Regnorum nostrorum Hungariae anno jam vigesimo, Bohemiae verò octavo.

IV. Hic inserendae essent **litterae Maximiliani II. Romanorum Imperatoris, et Hungariae Regis**, mediantibus quibus omnia bona â Martino de Frangepanibus Ecclesiae Tersactensi B. V. Mariae donata confirmat, ac de novo donat, quia autem **praefatas litteras Leopoldus I. suis confirmatoriis inseruit**, utrasque infra adducam. Hic tantum **litteras Ferdinandi III. licet nulla legalitate donatae sint**, adducam, in quibus Bona â Comitibus

de Frangepanibus Ecclesiis Tersactensi, et Ordinis S. Pauli primi Eremitae sub Novigrad confirmat, quae quidem hujus sunt tenoris:

Nos Ferdinandus tertius Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae-que etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Dux Lucemburgae, ac superioris, et inferioris Silesiae, Witembergae etc. Princeps Sueviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, et Goritiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes, quibus expedit, universis: Quod pro parte, et in persona fidelium nostrorum Venerabilis Pauli Ivanovich Prioris Generalis, nec non caeterorum Religiosorum Fratrum Ordinis S. Pauli primi Eremitae, exhibitae sunt Nobis, et praesentatae cartae quaedam litterae spectabilium, ac magnificorum q^m Stephani de Frangepanibus, et Bernardini filii ejusdem, Segniae, Vegliae, et Modrussiae Comitum in pargameno patentes confectae, sigillisque eorundem, ac manus propriae subscriptione communitae, et in anno videlicet Millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, et in Civitate Modrussiae emanatae, quibus mediantibus spectabilis, ac Magnus quondam Martinus de eadem Frangepanibus similiter Segniae, Vegliae, et Modrussiae Comes, frater utpote eorundem carnalis, et uterinus, pro singulari affectu, et zelo, quo erga dictum Ordinem S. Pauli primi Eremitae ferebatur, aliisque specialibus respectibus totales, et integras possessiones suas *Kottor*, et *Belgrad* nuncupatas, inque districtu Vinodol existentes, et habitas, cum omnibus earundem utilitatibus, et pertinentiis quibuslibet ad easdem de jure, et ab antiquo spectantibus, et pertinere debentibus, Monasteriis Ecclesiarum Beatae Mariae Virginis, et Fratribus in eisdem degentibus, ipsorumque Successoribus in Tersath, et sub Novigrad situatis, et fundatis, sub modis, et conditionibus in praetactis litteris conditionalibus, seu possessionibus clarius denotatis, et expressis, jure perpetuo dedisse, donasse, et inscripsisse, per manusque tradidisse, et assignasse dignoscebatur tenoris infrascripti: Supplicatum itaque extitit Majestati nostrae, Nominibus, et in personis antelatorum fratrum debita cum instantia humillimè quatenus praescriptas litteras praefatorum Comitum de Frangepanibus, omnia, et singula in eisdem contenta rata, grata, et accepta habenda, litteris nostris inseri, et inscribi facienda, praemissis perennalibus dationi, donationi, collationi, per manusque traditioni, et assignationi, aliisque omnibus, et singulis in iisdem litteris clarius denotatis, et expressis, Nostrum Regium consensum benevolum pariter, et assensum dignaremur: Quarum quidem litterarum tenor est talis: »Nos Stephanus de Frangepanibus, et Bernardinus filius ejus Segniae, Vegliae, et Modrussiae Comites. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quia spectabilis, et Magnus Dominus Martinus de eadem Frangepanibus similiter Segniae, Vegliae, et Modrussiae Comes frater noster Carnalis ob honorem intemeratae, et Gloriosissimae Dei Genitricis Virginis Mariae, et ob spem salutis animae suae, et Progenitorum nostro-

rum, quasdam possessiones suas videlicet Kottor, et Belgrad vocatas, in districtu Vinodol existentes, et habitas, cum universis, et singulis earum pertinentiis, proventibus, utilitatibus, metisque, et confinibus ad easdem possessiones ab antiquo, et de jure spectantibus Monasteriis Ecclesiarum Beatae Mariae Virginis in Tersath, et sub Novigrad fundatis, in perpetuam eleemosynam subscripsit, et donavit: Quare et nos ipsi pium, et saluberrimum opus considerantes, eidem inscriptioni, et donationi nostrum benevolum praebuimus consensum, imo praebeamus pariter, et assensum, promittentes bona fide nostra Christiana, quod nos nullo umquam tempore dicta Monasteria in ipsis possessionibus, vel ipsarum pertinentiis, proventibus, confinibus, ac metis impediemus, et neque haeredes nostri impedient, sed pro posse nostro contra ipsorum impeditores defendemus, ubi verò nos dicta Monasteria in ipsis possessionibus, vel ipsarum pertinentiis, proventibus, confinibus, ac metis impediremus, molestaremus, aut turbaremus, sive haeredes nostri impedirent, aut turbarent: Ex tunc nos in quinque millibus florenorum auri contra Serenissimum Dominum Regem Nostrum, vel suos Successores Reges scilicet Hungariae ac dicta Monasteria, et Fratres in eisdem pro tempore degentes convincamur, et haeredes nostri convinci debeant ipso facto: de quorum quinque millium florenorum auri una medietate Serenissimus Dominus Rex noster, vel Sui Successores Reges Hungariae immediatè solum vigore praesentium sine strepitu alicujus Judicii, juxta probabilia tamen documenta ipsorum Fratrum irremissibiliter Suae Majestati, sive Fisco Regio satisfacere, et de altera medietate dictarum pecuniarum eisdem Monasteriis, ac Fratribus ex parte nostri, et haeredum nostrorum valeant, atque possint. In cujus rei robur, et testimonium praesentes litteras nostras sigilli nostri majoris appensione fecimus communiri. Datum in Nostra Civitate Modrussia die 20. Julii Anno Domini 1475.« Nos itaque hujusmodi humillima supplicatione pro parte praefatorum Religiosorum Fratrum praementionati Ordinis S. Pauli primi Eremitae Nostrae modo, quo suprà porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita, clementer et admissa per insertas litteras dictorum Comitum Stephani, et Bernardini de saepe fata Frangepanibus, non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, et suspicione carentes, praesentibus litteris nostris de verbo ad verbum sine diminutione, et augmento aliquali insertas, et inscriptas, quoad omnes earundem continentias, clausulas, et articulos eatenus, quatenus eadem rite, et legitimè existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, ratas, gratas, et acceptas habendas praemissis perennalibus donationi, dationi, et inscriptioni, per manusque traditioni, et assignationi, aliisque omnibus, et singulis superius in iisdem litteris clarius denotatis, et expressis Nostrum Regium consensum praebuimus, imo praebeamus benevolum pariter et assensum. Et nihilominus, cum à nonnullorum fidelium nostrorum humillimam supplicationem Nostrae propterea factam Majestati, tum verò moti pietate, et singulari Clementia, atque benignitate nostra Regia, qua ergo praelibatum Ordinem afficimus, totum item

et omne jus Nostrum Regium, si quod in praetactis totalibus, et integris possessionibus *Kottor*, et *Belgrad* nuncupatis, et in Comitatu *Vinodol* existentibus habitis, etiam aliter, qualitercumque haberemus, aut eadem nostram ex quibuscumque causis, viis, modis, et rationibus concernerent Majestatem, simul cum cunctis suis utilitatibus, et pertinentiis quibuscumlibet, terris videlicet arabilibus, cultis, et incultis, agris, pratis, pascuis, campis, faenilibus, sylvis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, vinearum promontoriis, aquis, aquarum decursibus, fluviis, piscinis, piscaturis, pisciumque clausuris, Molendinis, et eorum locis, generaliter verò quarumlibet utilitatum, et pertinentiarum suarum integritatibus, quovis nominis vocabulo vocitatis, sub suis veris metis, et antiquis limitibus existentibus ad easdem possessiones de jure, et ab antiquo spectantibus, et pertinere debentibus, memoratis Fratribus in dictis Monasteriis Ecclesiarum Beatae Mariae Virginis in Tersath, et sub Novigrad fundatis, degentibus, ipsorumque futuris Successoribus universis dedimus, donavimus, et contulimus, imo damus, donamus, et conferimus jure perpetuo, et irrevocabiliter, tenendas, possidendas pariter et habendas salvo jure alieno. Harum nostrarum secreto sigillo Nostro, quo ut Rex Hungariae utimur, impendendas communitarum vigore, testimonio litterarum, quas in formam privilegii Nostri redigi faciemus, dum Nobis in specie fuerint reportatae. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae, die undecima mensis Julii Anno Domini Millesimo Sexcentesimo quinquagesimo primo. Regnorum nostrorum Romani decimo quinto, Hungariae, et reliquorum Vigesimo Sexto, Bohemiae verò vigesimo quarto.

Ferdinandus

V. Maximilianus II. etiam, prout jam memini, **speciali diplomate** omnia Bona Ecclesiae Tersactensi à Martino de Frangepanibus donata confirmavit, quod etiam praestitit piissimus Imperator **Leopoldus I.** qui, cum **in suo Diplomate** inserat **litteras Maximiliani**, ambas simul **ex ipso Originali depromptas** transcribo, quae hujus sunt tenoris:

Nos Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae etc. Rex: Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Dux Lucemburgae, ac superioris, et inferioris Silesiae, Wirtembergae, et Thecae, Princeps Sueviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferreti, Kyburgi, et Goritiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis, quod pro parte fidelium nostrorum Religiosorum Fratrum Ordinis Sancti Francisci Confessoris Minorum Reformatorum in Conventu, seu Monasterio Ecclesiae beatissimae Virginis Mariae, Matris gratiarum, prope Castrum Tersath vocatum, in annotato Regno nostro Croatiae, Dioecesi que Modrussiensi extructo commorantium, et consequenter ipsius etiam Conventûs, sive Monasterii exhibitae

sint Nobis, et praesentatae certae quaedam litterae Sacratissimi olim Principis, ac Domini Maximiliani Secundi Romanorum Imperatoris, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, etc. Regis, Praedecessorisque nostri felicissimae memoriae desideratissimi, novae donationis privilegiales, in Civitate nostra Vienna Austriae, die decima octava mensis Aprilis in anno Domini Millesimo, quingentesimo septuagesimo quarto dudum evoluto, de, et super totalibus ipsorum Bonis, quocumque nomine censendis, ad praenotatum monasterium ab antiquo spectantibus, ac per Comitem olim Martinum de Frangepanibus eorum piè, et in perpetuum applicatis confectae, et emanatae tenoris infrascripti. Supplicatum itaque extitit Majestati nostrae nominibus, et in personis praefatorum Religiosorum Fratrum Ordinis Sancti Francisci Minorum Conventualium debita cum instantia humillimè quatenus Nos praetactas litteras donationales, omniaque, et singula in iisdem contenta, ratas, gratas, et acceptas habentes, litterisque nostris privilegialibus inseri, et inscribi facientes, auctoritate nostra Regia approbare, roborare, ratificare, ac pro jam fatis Religiosis Fratribus, ipsorumque Successoribus, et consequenter praememorato Conventui, seu Monasterio perpetuò valituras, gratiosè confirmare dignemur. Quarum quidem litterarum tenor sequitur hunc in modum: Nos Maximilianus Secundus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes, quibus expedit, universis. Quod Nos, cum ad nonnullorum fidelium Religiosorum nostrorum humillimam supplicationem nostra pro parte fidelium Religiosorum nostrorum Fratrum Ordinis Sancti Francisci Confessoris in Monasterio Ecclesiae Beatissimae Virginis Mariae prope castrum Tersath vocatum, in Regno scilicet nostro Croatiae, ac in Dioecesi Modrussiensis extracto commorantium nostrae Majestati factam, tum vero ex zelo, et devotione nostra, quibus erga ipsam intemeratam Deiparam Virginem Mariam afficimur, ejusque cultores, et Ministros in Ecclesiae Dei jugiter, sineque intermissione famulantes complectimur, totalia ipsorum Bona, quocumque illa nomine censeantur ad praefatum Monasterium ab antiquo spectantia, districtum videlicet, sive territorium contiguè ipsum Monasterium circumadjacentia, unà cum Vado, nec non Molendino, et stuppa super fluvium *Recha* extractis, nec non faenilibus in Valle Draga habitis, dictis scilicet Fratribus olim per Magnificum quondam Comitem Martinum de Frangepanibus piè, et devotè collatis, eodemque pro refrigerio animae suae in perpetuum applicatis, in quorum omnium quieto, et pacifico dominio, atque usu iidem Fratres sese ab antiquo perstitisse, et modò quoque pacificè persistere, litterasque, et litteralia instrumenta superinde sufficientia habuisse, ea tamen sub praeteritis disturbatis temporibus ab ipsis quodam malo casu deperdita, et abalienata esse asserunt: Totum item, et omne jus nostrum Regium, si quod in praetactis totalibus Bonis, nimirum districtu, sive territorio circa praedictum Monasterium adjacentibus, nec non vado, molendino, et stuppa supra dictum fluvium *Recha* extractis: item faenilibus in Valle praescripta *Draga* vocata habitis,

etiam aliter, qualitercumque haberemus, aut eadem nostram ex quibuscumque causis, viis, modis, et rationibus concernerent Majestatem simul cum cunctis suis utilitatibus, et pertinentiis quiblibet, terris scilicet arabilibus, cultis, et incultis, agris, pratis, pascuis, Campis, foenetis, sylvis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, vinearumque promontoriis, aquis, fluviis, piscinis, piscaturis, aquarumque decursibus, Molendinis, et eorundem locis, generaliter verò quarumlibet utilitatum, et pertinentiarum suarum integritatibus, quovis nominis vocabulo vocitatis sub suis veris metis, et antiquis limitibus existentibus ad eadem de jure, et ab antiquo spectantibus, et pertinere debentibus, praemissis, sicut praefertur, stantibus, et se habentibus memoratis Fratribus Ordinis Sancti Francisci, ipsorumque Successoribus universis, novae nostrae donationis titulo dedimus, donavimus, et contulimus, imo damus, donamus, et conferimus jure perpetuo, et irrevocabiliter tenendi, possidendi pariter, et habendi salvo jure alieno. Harum nostrarum vigore, et testimonio litterarum, quas in forma privilegii nostri redigi faciemus, dum Nobis in specie fuerint reportatae. Datum Viennae decima octava die Aprilis Anno Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo quarto. ... Maximilianus = = = Joannes Listhius Jauriensis = = = Nos itaque hujusmodi humillima praerecensorum Religiosorum Fratrum Ordinis Sancti Francisci Minorum Reformatorum memorati Conventus prope Castrum Tersath situati pro nostro etiam, quo erga intemeratam Dei Genitricem Virginem Mariam, ejusque Cultores, et Ministros ferimur zelo, pietissimoque studiò, et affectu praeinsertas donationales litteras non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, et suspicione carentes, praesentibus litteris nostris privilegialibus de verbo ad verbum sine diminutione, et augmento aliquali insertas, et inscriptas quoad omnes earundem continentias, clausulas, et articulos eatenus, quatenus eadem rite, et legitimè existunt emanatae, viribusque earundem veritas suffragatur, et in quantum in continuo earundem usu praenarrati Religiosi, et Conventus perstitissent, et etiamnum persisterent, ratas, gratas, et acceptas habentes, autoritate nostra Regia approbavimus, roboravimus, ratificavimus, proque praefatis Fratribus, et Successoribus eorundem universis, ac ipso pariter Conventu, seu Monasterio supra specificato, perpetuo valituras gratiosè confirmavimus. Harum nostrarum secretò sigillò nostrò, quò ut Rex Hungariae utimur, impendenti communitarum vigore, et testimonio litterarum. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae die vigesima mensis Aprilis Anno Domini Millesimo Sexcentesimo nonagesimo quarto. Regnorum nostrorum Romani trigesimo sexto, Hungariae, ac reliquorum trigesimo nono, Bohemiae verò trigesimo octavo.

Leopoldus

(L. S.)

Comes Franciscus Keri m'ppa
Franciscus Somogy m'ppa

VI. Ex praememoratis Maximiliani, et Leopoldi Romanorum Imperatorum, et Hungariae Regum gloriosissimae memoriae litteris facile patet, quod vigore earumdem confirmata sit donatio Martini de Frangepanibus **in suis primis fundationalibus de dato in Castro Novi die 7. Aprilis anno 1431.** tantum contenta videlicet territorium Tersactense cum Vado, Molendino, stuppa, et aquis, nec non faenilia in Valle Draga, ratio est, quia harum donationum **litterae Originales,** nescio, quo casu **deperditae** sunt, et solum **una copia authentica** tamen superest: **posterorum** verò **donationum litterae Originales** etiamnum extant, hinc non erat opus eas novis litteris confirmare, quia **litterae Originales** in quocumque iudicio quibusvis aliis praevalere debent. Unde si nunc nullae extarent litterae fundationales praetactas fundationes continentes, sufficerent litterae Maximiliani Imperatoris, quia praedicta Bona non tantum confirmat, sed etiam de novo dat, donat, et confert, omneque jus Regium, si quod in illa Bona haberet, transfert in ipsos Fratres Minores, et Conventum Tersactensem.

§. III.

Summorum Pontificum circa Bona fundationalia dispositiones.

I. Quantam curam adhibuerit pyssimus Coenobii, et Ecclesiae Tersactensis fundator Martinus de Frangepanibus, ut bona à se praedictae Ecclesiae donata contra omnes injustos impeditores, et usurpatores iniquos firmam, et stabilem protectionem haberent, patet ex §. praec. n. 2. ubi insinuavi Mathiae Hungariae Regis consensum, et ratificationem ab ipso Martino Ecclesiis factorum legatorum: ast Regia confirmatione non contentus Martinus, etiam Pontificiae potestatis robur, et firmitatem interpellavit. Quapropter Paulus II. Romanus Pontifex ad ejusdem preces, omnes iniquos usurpatores Bonorum Ecclesiis Beatissimae Virginis in Tersath Ordinis Minorum, et sub Novi Ordinis S. Pauli primi Eremitae donatorum, nisi moniti intra 30. dies restituant, excommunicationis sententia innodavit, ut **ex ejusdem litteris datis Romae tertio decimo Kalendas Julii Anno Domini 1467.** quas **ex Originali** transumptas adduco, suntque hujus tenoris:

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei

Dilecto filio Nobili viro, Martino de Frangepanibus Vegliae, et Segniae, Modrussiaeque Comiti salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Constantis fidei integritas, et sincerae devotionis affectus, quibus Nos, et Romanam Ecclesiam, quam Dei Filius Jesus Christus auctor ipse pietatis instituit, revereris, non indignè promeretur, ut vota tua, ex quibus Divini cultus augmentum salusque provenire speratur animarum, pii Patris affectione prosequamur, et ut optatum sortiantur effectum plenius favoribus confoveamus. Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio

continebat, quod tu, qui ad Minorum de Observantia nuncupatos, et Sancti Pauli primi Eremitae sub Regula Sancti Augustini Ordinum Fratres propter fructus uberes, quod eorum exemplari vita, et admonitionibus circa Salutem animarum Christifidelibus afferunt, specialem geris devotionis affectum in eo, quod condere proponis de Bonis tuis in tua ultima voluntate, testamento dictis Fratribus pro ampliatione, et fabrica suarum domorum Sanctae Mariae extra Tersath prope Flumen, et ejusdem Sanctae Mariae sub Novi oppida Modrussiensis Dioecesis, et ad alios licitos eorundem Fratrum usus, nec non aliis Ecclesiis, et piis locis, ac alias ad pias causas, et pro remuneratione tibi fideliter servientium, quaedam piè legare, ac alias disponere, et ordinare pro Divini cultus augmento, ac tuae, et Progenitorum tuorum animarum salute proponis, vereris tamen, ne haeredes, et successores tui, quae piè disposueris, seu hactenus disposuisti, exequi malitiosè, seu negligenter omittant, aut ipsi, et alii tuum laudabile propositum hujusmodi, quod Dei, et Gloriosae Virginis praefatae laudem, et animarum salutem concernit, effectum sortiri sine rationabili causa propria eorum temeritate defacto impediant. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut talia praesumere tentantibus resistere, et ne id faciant, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda inhibere, aliasque in praemissis opportune provide tibi de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur votis tuis in hac parte favorabiliter annuentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, volumus, et Apostolica auctoritate decernimus, quod quicumque haeredum, et successorum tuorum, ac aliorum quorumcumque ad implendum ea, quae de Bonis ad te legitime pertinentibus valide, et servata formâ juris in ultima voluntate tua ad commodum praedictarum domorum, et Ecclesiarum quarumlibet, ac aliorum piorum locorum, se pro decenti remuneratione praemissa quomodolibet piè disposueris, et ordinaveris pro tempore obligatorum per Fratres praedictos, vel alios, quorum intererit, desuper debitis loco, et tempore requisitus infra triginta dies tunc immediate sequentes, vel si qualitas negotii longius tempus exposcat, infra tempus, infra quod arbitrio boni viri id fieri poterit, ea, ad quae tenetur, efficaciter implere, studiosè, vel negligenter distulerit, et quicumque alius, qui quominus dispositiones, et ordinationes hujusmodi debitum sortiantur effectum, directe, vel indirecte impedire praesumpserit, et requisitus, ut desistat ab impedimentis, infra triginta dies immediatè sequentes non destiterit, cujuscunque dignitatis, statûs, vel conditionis existat, sententiam excommunicationis incurrat, à qua, nisi, quae piè disposueris, et ordinaveris, ut tenetur, impleverit, et ab omni impedimento, et molestia cessaverit cum effectum, ab alio, quam Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constitutus, nequeat absolutionis beneficium obtinere. Non obstante, si haeredibus, et successoribus, ac obligatis, et aliis impediens praedictis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim à Sede Apostolica indultum existat, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet

alia dictae Sedis indulgentia generali, vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de qua, cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis, et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicae Millessimo quadringentesimo sexagesimo septimo. Tertio decimo Kal. Julii Pontificatus nostri anno tertio.

IC. de Urbino

II. Inserendae hic fuissent *litterae Sixti IV. incip. Romanus Pontifex dat. Tibure anno 1473. et Julii II. litterae*, in quibus citatas Sixti litteras confirmat, quae incipiunt *Hodie emanârunt dat. Romae apud S. Petrum anno Christi 1511. decimo Kal. Februarii*. Ast quia hae litterae, in quibus Fratres Minores dispensantur, et habiles redduntur ad possidenda bona immobilia, non tantum Conventum Tersactensem, licet eundem maxime concernunt, respiciunt, sed totam Bosnae Croatiae Provinciam, eas hic non adduco, sed lectorem ad p. 1. c. 12. §. 2. n. 3 remitto, ubi eas integras insertas reperiet. Solùm hic *ex Annalibus P. Luccae Waddingi ad an. 1500. adduco litteras Alexandri VI. incip. Divini cultus dat. Romae apud S. Petrum anno 1500. tertio idus Septembris*, in quibus omnia, quae Martinus de Frangepanibus Conventui, et Ecclesiae Tersactensi donaverat, confirmat, eaque ad serenandam Fratrum conscientiam Sacristiae dictae Ecclesiae applicat, prout ex ipsis litteris clarius patet, quae hujus sunt tenoris:

Alexander P. P. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Divini cultus augmentum etc. sane pro parte dilectorum filiorum Guardiani, et Fratrum domus Castri Tersacti Ordinis Minorum Fratrum Modrussiensis Dioecesis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias cum quondam Martinus de Frangepanibus Vegliae, Segniae, Modrussiae Comes licentia Sedis Apostolicae sibi super hoc per litteras fel. record. Nicolai Papae V. Praedecessoris Nostri concessa, ad Dei laudem, et ipsius Religionis propagationem, Divinique cultûs ejusdem augmentum, et suae, ac Successorum, et antecessorum suorum animarum salutem in dicto Castro ad ipsum Martinum Comitem pertinente, domum praedicatam pro usu, et habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis Regularis Observantiae cum Ecclesia, Campanili, Campana, Coemeterio, claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, et aliis necessariis officinis, propriis sumptibus, et expensis construui, et aedificari fecisset, et in eam Fratres dicti Ordinis Regularis Observantiae introduxissent, con-

siderans, quod dictum Castrum confinibus Turcarum proximum existebat, et quod forsán contingere posset, quod Fratres in dicta domo pro tempore habitantes necessarias eleemosynas, ac subventionem pro eorum victu, et vestitu, quam etiam dictae domus constructione, et aliis eorum necessitatibus à Christifidelibus dictum Castrum, seu prope illud inhabitantibus, recipere non possent, ac volens in praemissis eorundem Fratrum necessariae subventioni, dictaeque Domus constructioni opportunè providere, et consulere, etiam quibusdam litteris piaae mem. Sixti Papae IV. praedecessoris Nostri, ut dicti Fratres Bona eis per dictum Martinum concedenda recipere possent, sufficienti facultate muniti proventus, et emolumenta omnium apotecarum fieri solitarum intuitu ipsius Ecclesiae in omnibus gloriosae Virginis Mariae, festivitatis scilicet cum medietate omnium proventuum, et emolumentorum, nundinarum celebrandarum annuatim sub claustró dictae domus penes mare, et in festo Assumptionis ejusdem Beatae Mariae Virginis, ac unam Capellam, sive Oratorium, quae, seu quod proprium Rectorem habere non consueverat, cum illius horto, pergulis, prato, et aliis emolumentis, quae ipse Martinus Comes percipere consueverat, nec non certas alias possessiones, et Bona, et certos redditus annuos, et mensuras vini ad praefatum Martinum Comitem legitime pertinentia, domui, ac illius Fratribus tam pro sustentatione Guardiani, et Fratrum dictae domus, et eorum necessitatibus, quàm domus, et Ecclesiae, ac Officinarum praedictarum conservatione, et aliis piis operibus tunc expressis perpetuò, et inviolabiliter donavit, concessit, et assignavit, prout in quibusdam litteris dicti Martini Comitis desuper confectis, et ejus sigillo munitis plenius dicitur contineri. Quare pro parte eorundem Guardiani, et Fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationi, concessioni, et assignationi pro illarum subsistentia firmiori, robur Apostolicae confirmationis, ac pro potiori cautella praedicta omnia eisdem Guardiano, et Fratribus donata, et concessa Sacristiae ejusdem domus perpetuò applicare, appropriare, aliàsque in praemissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur etc. Bonorum, et emolumentorum situationes, denominationes, quantitates, ac illorum, et dictae Sacristiae veros annuos valores praesentibus pro expressis habere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, donationem, concessionem, et assignationem praedictas auctoritate Apostolica praesentium tenore approbamus, et confirmamus, et singulos defectus, si qui forsán intervenerint in eisdem, supplemus: dictisque Guardiano, et Fratribus, quod redditus, et Bona hujusmodi pro praemissis absque alicujus conscientiae scrupulo percipere, et retinere liberè, et licitè valeant, eadem auctoritate concedimus, et indulgemus, et nihilominus potiori pro cautella illa omnia Sacristiae dictae domus pro praemissis, eisdem auctoritate, et tenore perpetuo applicamus, et appropriamus. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo, quingentesimo tertio idus Septembris Pontificatus nostri Anno nono.

III. Sicut Julius II. anno 1511. commendavit Archiepiscopo Colocensi, et Episcopo Quinque Ecclesiarum, ac Primicerio Ecclesiae Chasmensis, ut Fratres Minores Conventus Tersactensis contra injustos vexatores, et Bona eidem Conventui à Martino de Frangepanibus donata contra iniquos usurpatores defendant, protegant, et tueantur, ut supra p. 1. c. 12. §. 2. n. 3. visum. Ita ejus Successor Leo X. anno 1515. ut Fratres ab omnibus vexationibus liberi quietam vitam ducere valerent, scripsit Episcopis Modrussiensi, et Albanensi, ut Fratribus contra Praedonum, raptorum, et invasorum audaciam defensionis praesidio assistant. Quia autem contra hujusmodi iniquos Bonorum Beatissimae Virginis invasores non tantum *in litteris foundationalibus Martini de Frangepanibus*, sed etiam *Romanorum Imperatorum Rescriptis*, ac *Pontificiis scilicet Pauli II. et Julii itidem II. Diplomatis* sufficienter provisum est, superfluum esse putaverim *Leonis X.* adducere *litteras*.

IV. Cum pietas fidelium indies magis cresceret erga Thaumaturgam Matrem Tersactensem, multi in suis ultimis voluntatibus, et testamentis vineas, et hortos pro refrigerio animae suae Fratribus, et Ecclesiae B. Virginis legare voluerunt: quia autem Fratres similia adventitia bona acceptare sibi non fidebant, recurrerunt ad *Urbanum VIII.* supplicantes, ut is de plenitudine Apostolicae potestatis in his providere benignissimè dignaretur, qui ad Fratrum humillimas preces etiam indulsit, ut vineas, hortos, aliaque bona stabilia, si iisdem legata fuerint, sine conscientiae remorsu securè recipiant, ac receptis fruantur, prout *ex ejus litteris incip. Sacri Apostolatus datis Romae die 21. Julii 1625*, quae *ex ipso Originali* transumptae sic sonant:

Urbanus P. P. VIII.

Ad perpetuam Rei memoriam

Sacri Apostolatus ministerio meritis licet imparibus superna dispositione praesidentes votis illis benevolum praestamus assensum, per quae felici domorum Regularium quarumlibet, praesertim prope infidelium terras, et dominia existentium successui, ac personarum in eis Altissimo famulantium manutentioni consulitur, et his, quae ad eum effectum à Christifidelibus donata esse dicuntur, ut firma perpetuò, et illibata persistent, nostrae confirmationis robur, cum à Nobis id petitur, libenter adjicimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Guardianus, et Fratres Domus regularis Castri Tersati Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum Modrussiensis Dioecesis, quod cum alias videlicet de anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, postquam Regnum Bosnae, in quo triginta sex, et forsan plura loca, sive domus regulares dicti Ordinis existebant, in ditionem Turcarum pervenisset, et necessè fuisset tunc existenti Vicario, et Fratribus Provinciae Bosnae dicti Ordinis à dicto regno recedere, et praedicta triginta sex loca deserere, ac ad citiora loca ditionis fidelium hinc inde dispersos proficisci, fel. record. Paulus Papa II. praedecessor Noster tunc existentibus Vicario, et Fratribus praedictis, ut sex domos, sive loca in partibus Dalmatiae, Croatiae, Carinthiae, atque Istriae, si illa sibi pia fidelium largitione pro ipsorum usu concederentur, recipiendi, illaque cum Ecclesiis, aliisque necessa-

riis Officinis construi, et aedificari faciendi, ac perpetuò inhabitandi licentiam concessit, et subinde cum tunc in humanis agendi Martinus de Frangepanibus Vegliae, Segniae, Modrussiaeque Comes licentia Sedis Apostolicae sibi super hoc per litteras fel. record. Nicolai Papae V. etiam praedecessoris Nostri concessa ad Dei laudem, et ipsius Religionis propagationem Divinique cultus ejusdem augmentum, ac pro Suae, et Successorum, ac antecessorum suorum animarum salute in dicto Castro ad ipsum Martinum Comitem pertinente Domum praedictam pro usu, et habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis Regularis Observantiae cum Ecclesia, Campanili humili, campana, claustro, dormitorio, refectorio, ac aliis officinis necessariis propriis sumptibus, et expensis construi, ac aedificari fecisset, et in eam Fratres dicti Ordinis regularis Observantiae introduxisset, considerans, quod dictum Castrum in confinibus Turcarum proximum existerat, et quod forsitan contingere posset, quod Fratres in dicta Domo pro tempore habitantes necessarias eleemosynas, ac subventiones tam pro eorum victu, et vestitu, quam et dictae Domus conservatione, et aliis eorum necessitatibus à Christifidelibus dictum Castrum, seu prope illud inhabitantibus recipere non possent, ac volens in praemissis eorundem Fratrum necessariae subventioni, dictaeque Domus conservationi opportunè providere, bona nonnulla, proventus, domos, et praedia, certosque redditus annuos, ac mensuras Vini, et alias res ad praedictum Martinum Comitem legitime pertinentia dictae Domui, ac illius Fratribus tam pro sustentatione Guardiani, et Fratrum dictae Domus, ac eorum necessitatibus, quam domus, et Ecclesiae conservatione, ac aliis piis operibus tunc expressis perpetuò et inviolabiliter donavisset, concessisset, et assignavisset: recolendae memoriae Alexander Papa VI. etiam Praedecessor Noster eisdem Guardiano, et Fratribus tunc existentibus, ut Domos, bona, terras, praedia, ac alia sibi per dictum Martinum Comitem, sicut praefertur, donata, concessa, et assignata recipere, et retinere possent, concessit, et indulgit, illorumque omnium donationem, concessionem, et assignationem Apostolica sua autoritate approbavit, et confirmavit, ac pro potiori cautella illa omnia Sacristiae dictae Domus applicavit, et appropriavit, prout in singularibus litteris Apostolicis desuper expeditis plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, temporum injuria, et Turcarum, ac aliorum illarum partium infidelium, et Haereticorum saevitia potior pars Bonorum Domui praedictae per dictum Martinum Comitem donatorum ablata, distracta, et occupata reperiatur, cumque recuperari non valeat, nonnulli Christifideles earumdem partium quaedam alia Bona, praedia, terras, et redditus annuos pro manutentione Domus, et Fratrum praedictorum etiam perpetuò donaverint, concesserint, et assignaverint, seu donare, concedere, et assignare parati sint. Nos dictarum litterarum Apostolicarum, nec non Instrumentorum donationis hujusmodi tenorem, ac dat. etc. bonorumque, et possessionum qualitates, quantitates, confines, vocabula, et denominationes, ac annuos illorum valores praesentibus pro expressis habentes ipsosque exponentes specialibus favoribus, et gratiis proseguiri vo-

lentes, nec non Guardianum, et Domus regularis hujusmodi singulares personas â quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis â Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, porrectis Nobis pro eorum parte super hoc supplicationibus inclinati eisdem Guardiano, ac Fratribus, quod redditus, et Bona jam donata retinere, seu donanda hujusmodi pro praemissis absque alicujus conscientiae scrupulo acceptare liberè, et licitè valeant, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, et indulgemus, et nihilominus pro potiori cautella illa omnia Sacristiae dictae Domus pro iisdem praemissis eadem auctoritate Apostolica similiter ex nunc, prout postquam donata fuerint, applicamus, et appropriamus, ipsosque exponenter desuper â quocumque quovis quaesito colore, vel ingenio, molestari, inquietari, aut quoquo modo impediri non posse. Irritum quoque, et inane decernimus, si secus super his â quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non Domus regularis, et Ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis, eis, eorumque Conventibus, Superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus etsi de illis illorumque tenoribus specialis, specifica, et expressa mentio in praesentibus facienda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, latissimè hac vice dumtaxat specialiter, et expressè derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Per praesentes autem non intendimus donationem factam approbare, sed licentiam tantum donandi, et acceptandi in usus dictae Sacristiae tantum, et non aliter insumenda, aliàs praesentes nullae sint eo ipso, concedere. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 21. Julii 1625. Pontificatus nostri anno secundo.

Joseph Anselm

A. Bondonatus.

V. Si quis omnia in his tribus paragraphis contenta bene, et attento animo perpenderit, vix sibi in animum inducere poterit, posse aliquem tam deperditae esse vitae, ac eo temeritatis devenire, ut violentas manus immiteret in haereditatem Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Matris ejus Virginis Mariae, cùm omni possibili, et excogitabili firmitate roborata existat: Nam Bona â Martino de Frangepanibus Conventui, et Ecclesiae Tersactensi donata, ab eodem non iniquè acquisita, sed propter fidelia praestita servitia â Bela IV. Hungariae Rege eidem donata fuisse: ut Ecclesiae ea donare valeret, obtinuit consensum Mathiae itidem Hungariae Regis, Ipse Martinus **in suis foundationalibus litteris**, eos, qui iniqua usurpatione Dominum Nostrum Jesum Christum, ac ejus dilectissimam Matrem ausu temerario exhaereditare praesumpserint, â regno Caelorum justo Dei judicio, exhae-

reditandos comminatur, Maximilianus II. Romanorum Imperator, ac Hungariae Rex omnia Bona Ecclesiae Tersactensi donata non tantum confirmat, sed et de novo donat, quod Leopoldus I. etiam confirmavit, Paulus II. Romanus Pontifex injustos invasores, nisi intra 30. dies moniti restituerint, fulmine Apostolicae potestatis perculit. Quis, quaeso, majus robur, aut â quo in mundo desiderare poterit? Sed eheu! vix Martinus piissimus Coenobii Tersactensis fundator oculos clauserat, jam insurrexerunt viri iniqui, qui postposito omni timore Dei tamquam lupi rapaces irruerunt in haereditatem Christi, et ejus dilectissimae Matris, nec desunt similes raptores etiam hodierno tempore, quod sequenti Capite per extensum ostendam.

§. IV.³⁶²

De vetustissimae et Inclytae Frangepaniae Prosapiae encomiis.

I. Cum Martinus Comes de Frangepanibus, ut in praecedentibus paragraphis ostensum fuit, Conventus et Ecclesiae Tersactensis non tantum piissimus fundator, sed etiam munificentissimus dotator fuerit, hinc in debitum gratitudinis argumentum erga eundem piissimum fundatorem Martinum de Frangepanibus Segniae, Vegliae, Modrussiaeque Comitem (qui originem suam ex vetustissima, et gloriosissima familia, olim ANICIA, postmodum Frangepana nuncupata, traxit: siquidem, ut meminit *Spondanus ad A. C. 717.* citans *Anastasium*, et *Bedam de sex aetatibus*, cum anno 717. Urbs Roma ingenti Tyberis alluvione per septem dies fuisset afflicta, adeo, ut in via lata ad unam, et semis staturam excreverit, domos plerasque everterit, agrosque dissipaverit, hinc Flavius Anicius misericordia motus, populo Romano, maxima rerum omnium penuriae depresso, naviculis hinc inde discurrens, panem unicuique domui, ut ita dicam frangendo distribuit, ac larga munificentia distribuendo Frangepanium agnomen adeptus est, et ad posteros transmisit) Genealogiam, magnificentiam, militares glorias, et heroica facta Domus Anicianae, seu Frangepanianae, quantum ex historicis eruere licuit, texere statui.

II. Itaque Illustrissima haec familia, juxta veriore Historiarum sententiam, primordia sua recognoscit ab inclytis, ac magnanimis Ducibus Aenea Trojano, et Turno Urbis, et Orbis Patritiis, ac inter antiquissimas, et nobilissimas Quiritum propagines connumerata, virtutibus singularibus florida, divitiis immensis abundans, Mater Heroum faecundissima, palmis, et trophaeis ubique, ac semper extitit gloriosissima. Nam, ut refert *Carolus Sigonius tom. 1. de Occidentali Imperio lib. 3., fol. 127.* commisit A. C. 326. Constantinus M. Imp. Praefecturam Urbis Anicio Juliano, quam idibus Novembris capessivit. A. C. 331. Roma pridie idus Aprilis Anicius Paulinus flos Romanae nobilitatis, Urbis Praefecturam inivit: huic statuam inauratam, Senatus populusque Romanus posuit cum hoc meri-

torum ejus elogio. *Anicio Paulino Juniori V. C. Procons. Asiae et Hellesponti Consuli ordinario, Praefecto Urbis, vice Sacra judicanti ob meritum nobilitatis, eloquii, justitiae, atque censurae, quibus privatim, ac publicè clarus est, petitu populi Romani, testimonio Senatus, judicio D. D. N. N. Triumphatoris Augusti, Caesarumque florentium statuum secundam auro superfusam locari sumptu proprio placuit.* Ita idem **Sigonius**.

III. A. C. 371. Sextus Anicius Petronius Probus Romanorum suae aetatis facile Illustrissimus, nobilitate, opulentia, dignitatibus nulli cedens (cujus Pater, et Avus (ut loquitur **Claud. Fleury** *Hist. Eccles. tom. 4. §. 60. fol. 1067*) consulari dignitate fulserant) fuit Consul ordinarius sub Valentiniano I. Imperatore (non Gratiano, ut aliqui contendunt) fuit olim Proconsul Africae, tum quater praetorio modo in Italia, modo in Galliis Praefectus, qua potestate praeditus S. Ambrosio Aemiliae, et Liguria Praeturam contulit, eique Romae Mediolanum proficiscenti quasi divinans dixit: *Vade, age, non ut Judex, sed ut Episcopus.* Hic Sextus Anicius Probus (qui primus cum universa familia Catholicam fidem suscepit) Pater extitit trium Consulium ordinariorum, Anicii scilicet Probini, et Anicii Olybrii, qui anno 395. Consules fuere, quod nunquam hucusque auditum, ut duo Fratres consulatum simul gererent: tertius filius Anicius Probus Consul fuit tempore Honorii Occidentis Imperatoris anno 406. De Proba praedictorum Consulium Matre **S. Hieronymus** *epist. 8.* ita scribit: *Probâ illâ omnium dignitatum, et cunctae nobilitatis in Urbe Romana nihil illustrius, cujus Sanctitas, et in universos effusa bonitas etiam apud barbaros venerabilis fuit.* Olybrius sibi Julianam uxorem delegit, et brevi tempore viduam cum filia, cui nomen Demetriades, quae virgo permansit, reliquit. Haec est illa Juliana, cui **S. Augustinus** *librum de bono viduitatis* dicavit, quam etiam **Augustinus** *epist. 176.* ad ipsam directa his verbis dilaudat: *Quis verbis explicet? quis digno praeconio prosequatur? quantum incomparabiliter gloriosius, ac fructuosius habeat ex vestro sanguine faeminas Virgines Christus, quam viros Consules mundus? generosius quippe elegit Aniciana posteritas, tam illustrem familiam beare, nuptias nesciendo, quam multiplicare pariendo: et in carne tam imitari vitam Angelorum, quam ex carne adhuc numerum adhuc augere mortalium Virgines, quae sibi optant Aniciorum claritatem eligant Sanctitatem. Illud enim quando assequuntur? hoc autem si plenè cupierint, mox habebunt.* Ad Demetriadem verò **S. Hieronymus** *tractatum de modo servandi Virginitatem scripsit.* Tam famosa erat Aniciorum familia, ut **Zosimus** *lib. 6.* non dubitaverit asserere: solam Aniciorum familiam, omnium prope modum Romanorum divitias possedissee. Proinde non immerito **Claudianus**, et **Honuphrius Panvinus** asserunt: *Ex ea, tamquam ex equo illo Trojano, omnibus saeculi praeclari domi forisque belli, ac pacis artibus plerique viri prodire.* Et **D. Hieronymus** *epist. 130.* ad Demetriadem ait: *Illustre Anicii Sanguinis decus, in quo aut nullus, aut rarus fuit, qui non meruerit consulatum.* Vide de his **Claud. Fleury** *loc. cit.* **Carol. Sigonius** *tom. 1. de Imperat. Occident. lib. 10. fol. 383., et Clar. Pascon. Hist. Tersact. c. 12. fol. 186, et sequ.*

IV. Ex hac Illustrissima Aniciorum gente fuit S. Felix II. Romanorum Pontifex, qui Cathedram S. Petri conscendit A. C. 483. cui **Joannes Palatius sequens** subscribit **elogium**: *Nomine, Omine, Gente, Genere, Felix, Felicis filius, Sedem occupat Romanam. Si avos respicis praeteritos? de genere Caesarum. Si futuro de Sanctorum Prosapia. E Gente Anicia, Magni Gregorii, Magnus Atavus.* de quo etiam ipsemet **S. Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. c. 16** testatur: *Strenue contra Haereticos orientales decertavit. Summa laude Pontificatu perfunctus, in Coelis recipitur mortalibus venerandus.* Ex hac S. Gregorius Magnus Ecclesiae Doctor, Gordiani Anicii Senatoris, et Silviae Sanctissimae Matronae filius. Hic in Pontificatu, ad quem A. C. 590 evectus fuit, multa successoribus doctrinae, et Sanctitatis exempla relinquens, nunc ut Sanctus ab omnibus Christicolis adoratur. De S. Gregorio, ejus Patre Gordiano, et Matre Silvia, ac amita Tarsilla **Palatius sequens** adnectit **elogium**: *Gregorius è Senatorum, et Sanctorum Prosapia: Gregorii Pater, Mater, Amita, Magni omnes, et domestici Dei, Nil mirum, tot magni, Natum nacti sunt maximum.* **P. Clarus Pasconi** refert in sua **Historia Tersact.** citans **Anastasium, Ciaconium, Platina,** et **Panvinium** fuisse à S. Bonifacio I. creatum Presbyterum Cardinalem Felicem Anicium tit. Fasciolae, qui fuit Pater S. Felicis II. Papae, et atavus S. Gregorii Magni. Nec mireris, dum dixi Felix Presbyter Felicis II. Pater, quid enim prohibet, mortua conjuge, Felicem Felicis Patrem, fieri potuisse Presbyterum. Nota, quod S. Felix II. ab iis, qui Felicem II. Antipapam contra Liberium Summum Pontificem in Catalogo Romanorum Pontificum collocant, dicatur Felix III. sed Perperam, cum et alii Pseudo-Pontifices è Catalogo verorum Pontificum excludantur.

V. Ex hac Inclyta Prosapia ortum trahit S. Demetrias Anicii Olybrii filia, Virgo nobilissima, ac Christianae pudicitiae decus admirabile, cum enim esset oppignorata aequè nobilissimo sponso, appropinquante nuptiarum die de repente mutato habitu, professa est vitam monasticam, Matre Juliana, ac Proba Avia gaudio exultantibus, eò quod virgo nobilem familiam virginitate sua faceret nobiliorem: quam enim Sponsam hominis, ut tantum Provincia noverat, Virginem Christi totus Orbis audivit cunctis ubique admirantibus, et quam plurimis aliis exemplum ejus imitantibus: quae et praeparatam ei à parentibus ingentem dotem, ac pretiosissimum ornatum, dispersit pauperibus. Ejus generosissima facta egregiè describit, et mirificè laudat **S. Hieronymus epist. 8. de eadem re postea ad ipsam Demetriadem scripta.** Eamdem quoque alloquendo eximiè deprædicat **S. Augustinus epist. 143.** dicens: *Sola quippe praestitisti generi tuo, quod longa retro aetate non habuit. Licet ediderit virilis sexus memorabiles Consules, et amplissimi Ordinis status, illustris familia saepe audierit, nihil unquam tamen in genere vestro, hoc tuo honore fuit praestantius, quia non corporali albo, sed in libro memoriae immortalis insertus est. Cum exceperint illi theatrales toto orbe plausus, miraeque acclamandi conspiratione, insignia Con-*

sulum merita laetum vulgus expresserit: longe tamen tui honoris est gloria major, quae gaudium in Coelis fecit Angelisque laetitiam. Ad Consulatum eorum diversae totius Orbis Provinciae, ad quas domus vestrae potentia extenditur, peregrinas feras, et ignota animalia transmiserunt, quae Crudelis arena solum, vel suo, vel hominum sanguine cruentarent. Ad te verò electae quaeque Virgines mittuntur, quas tu pretiosissimum munus offeras Deo, tuoque exemplo ad perpetuam provoces Sanctitatem, non tibi, sed tecum Deo servituras etc.

VI. Si omnes Martyres, Virgines, et Sanctos viros ex Aniciana Prosapia ortum trahentes, quique Anicianam familiam ingentibus splendoribus, et virtutum meritis illustrârunt, commemorare vellem, tomum implerem integrum; Unde, ut brevitati consulam, eas breviter, et succincte recensebo. Ex hac illustri Aniciorum propagine ortum traxerunt Sancti Martyres *Cantius, Cantianus, et Cantianilla*, de his **Martyrologium Romanum** piam facit commemorationem his verbis: *Pridie Kalendas Junii Aquilejae Sanctorum Martyrum Cantii, Cantiani, et Cantianillae fratrum, qui cum essent ex illustri Aniciorum familia, sub Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus ob Christianae fidei constantiam una cum Paedagogo suo Proto capite plexi sunt.* S. *Georgius* miles, et Martyr *Anicius*, ut ex Divo Gaudentio, Giselberto, Francisco Zazzera scribit **Cornelius â Lapide c. 15. in Apocal.** Martyrio coronatus est in Persia Anno Domini 295. ut meminit **Martyrologium Romanum** nono Kalendas Maji. Sancti Martyres, et fratres *Placidus, Eutychius, Victorinus*, et soror Sancta *Flavia* Virgo, et Martyr, qui, ut advertit **Philippus Gottus In Praef. de invent. Ss. Placidi** etc. et **Leguile de rebus Austriae fol. 194.** Romae Patre Probo Tertullo Anicio nati, postmodum Messanae in Sicilia, ut cantat idem **Martyrologium** tertio nonas Octobris anno 539. immarcescibilem Martyrii coronam adepti sunt. S. *Ambrosius Anicius* Patritius Romanus, Ecclesiae Doctor, Archiepiscopus Mediolanensis filius Ambrosii Anicii. Sanctus *Uranus Satyrus Anicius*, magnarum virtutum vir, germanus Frater Divi Ambrosii, et Sanctae Marcellinae. Ejus Sanctitatem **Martyrologium Romanum** quinto decimo Kalendas Octobris decantat. Sanctus *Paulinus Anicius* (quem Anicium fuisse **probat Baronius ad annum Christi 394**) Consul Romanus, qui quadragesimo primo aetatis anno abdicato Consulatu, una cum Therasia conjuge monasticae vitae institutum arripuit, atque in agrum Nolanum recessit. Episcopus creatus se ipsum pro liberandis captivis tradidit, obiit A. C. 451. S. *Avitus Anicius*, ut scribit **Christophorus Broverus in notis ad Carmina Fortunati lib. 3. carmine 26.** temporis Zenonis Imperatoris è Senatore Romano, Episcopus Viennensis in Gallia creatus. Sanctus *Otho Anicius* nobilis Romanus, et Civitatis Ariani in Regno Neopolitano patronus praecipuus, ut **notat Ferdinandus Ughellus tom. 8. Italiae Sacrae fol. 202.** Ejus dies natalis 23. Martii ritu solemniter in Beneventana Ecclesia, ad quam corpus illius Ariano delatum fuerat, celebratur. Si quis de hoc Sancto plura scire desiderat, consulat **Fabium Barberium in Catalogo Episcoporum Arianensium.** Sanctum Tho-

mam de Aquino Ordinis Praedicatorum, Doctorem Ecclesiae dictum Angelicum, e gente Anicia fuisse, **perhibet Cornelius à Lapide c. 15. in Apocal. S. Maurus**, patronus meus, nobilis Romanus, fuit quoque ex gente Anicia, ut **testatur Arnoldus Wion Belga Benedictinus** citans antiqua donationis instrumenta Monasterii Cassinensis, discipulus fuit S. Benedicti, quem pariter ex Aniciana Prosapia descendisse, sicut et Seraphicum Patriarcham Sanctum *Franciscum* Assissiatem, pluribus **probat P. Clarus Pasconi in historico progressu Triumpho Mariani c. 12. § 9.** ad quem lectorem remitto.

VII. Plures etiam faeminae Sanctitate florentes, et Martyrio coronatae ex hac Aniciana Frangepana Prosapia prodierunt, ut Sancta *Caecilia* Virgo, et Martyr Aniciae familiae Decus, et ornamentum **teste Leguile de reb. Aust. fol. 194. et Szent-Ivanii tom. 1. dec. 1. part. 3. Synop. Chronolog.** quae sponsum suum Valerianum, et Fratrem ejus Tiburtinum ad credendum in Christum perduxit, et ad Martyrium invitavit. Securi percussa fuit decimo Kalendas Decembris A. C. 230. sub Severo Imperatore. Sancta *Victoria* Virgo, et Martyr è domo Anicia, ut **probat idem Szent-Ivanii tom. 1. dec. 1. p. 3. §. 7.** Hujus triumphales glorias cantat Romana Ecclesia, celebratque decimo Kalendas Januarii. In persecutione Decii Imperatoris Martyrium subiit A. C. 251. Sancta *Christina* Virgo, et Martyr *Anicia*, ut **advertit Alphanus Archiepiscopus Salernitanus** inquiens: *Christina gloriosissima Virgo Gente Patritia Aniciorum exorta* etc. Et **Cardinalis Baronius in notis Martyrol. Romani** ad diem 24. Julii de ea ita sermocinatur: *In Nostra Bibliotheca habemus acta Sanctae Christinae fusius scripta, quorum exordium est hujusmodi: Erat quaedam Sacra, et Sancta puella ex Aniciorum perillustri familia* etc. Ejus Martyrium Nono Kalendas Augusti Tyri in Tuscia **Martyrologium indicat Romanum.** Martyrio coronata A. C. 297. Sancta *Soteris* Virgo, et Martyr Anicia, ex cujus se ortum prosapia **Sanctus Ambrosius lib. 3. de Virginib.** ingenuè **fatetur.** Hujus Virginis agonem pia Mater Ecclesia colit quarto idus Februarii. Sancta *Marcellina* Virgo Anicia soror S. Ambrosii Episcopi, quae Romae in Basilica S. Petri à Liberio Papa in die Natali Christi velum Religionis accepit, cujus etiam Sanctitatem **beatus Ambrosius scriptis suis testatam** voluit. Sancta *Scholastica* Virgo Monialis Anicia, soror S. Benedicti, cujus vitam **S. Gregorius Magnus lib. 2. dialogor. c. 33. conscripsit.** Sancta *Sylvia Anicia* Divi Gregorii Magni Mater. De ea tertio Nonas Novembris **Martyrologium Romanum** sic **canit: Romae Sanctae Sylviae Matris Sancti Gregorii Papae.** Sancta *Tharsilla* Virgo Anicia Amita ejusdem Sancti Gregorii Papae, cujus Sanctitatem **idem Sanctus Hom. 38. in Evang. et lib. 4. Dialogor.** amplius exponit dicens: *Tharsilla Amita mea ... virtute continua orationis, gravitate vitae, singularitate abstinentiae ad culmen Sanctitatis excreverat. Huic per visionem Felix Atavus meus hujus Romanae Ecclesiae Antistes apparuit, eique mansionem perpetuae claritatis ostendit dicens: Veni! quia in hac te lucis mansionem suscipio, quae sequenti*

mox febre correpta ad diem pervenit extremum. Et sicut nobilibus faeminis, virisque morientibus multi conveniunt, qui eorum proximos consolentur, eadem hora exitus ipsius multi viri, et faeminae ejus lectum circumsteterunt, inter quas Mater mea quoque adfuit. Cum subito illa sursum respiciens Jesum venientem vidit, et cum magna animadversione coepit circumstantibus clamare dicens: Recedite, recedite, Jesus venit. Haec et alia plura de ea idem Sanctus. Sancta Aemiliana Virgo Anicia pariter Amita S. Gregorii migravit ad Dominum Nonis Januarii, ut commemorat Romana Ecclesia in **Martyrologio Romano**. S. Juliana Anicia Justiniani Imperatoris affinis, **scripsit ad Hormisdam Pontificem una epistolam**, obiit Constantinopoli A. C. 527. Beata Sophia Anicia Romana, ut habet **Bollandus tom. 2. ad diem 23. Januarii fol. 469. n. 4. et sequ.** Heroïna religiosissima, orationibus, et obsecrationibus semper intenta, Dei colloquio jugiter fruebatur. Beata Jacoba de septem soliis Anicia, Vidua inter Romanas Matronas omni nobilitatis, et divitiarum genere abundans. Seraphicum virum S. Franciscum, et Sodales ejus hospitalitatis, et charitatis officiis prosequabatur. Obiit Assissii A. C. 1239. De ea **Martyrologium Franciscanum** sic canit: *Assisii in Umbria beatae Jacobae de Septem soliis Viduae Tertiariae, quae genere, et virtutibus nobilissima, nec non à Seraphico Patre Sancto Francisco de rebus caelestibus edocta splendidioribus radiis in orbe refulsit.*

VIII. Praeter S. Ambrosium jam supra nominatum plures ex Anicio-Frangepana prosapia, qui Infula, et Pedito condecorati coruscârunt, exorti sunt: signanter; *Tunnius Anicius* Romanus Anno Domini 351. Sedem Episcopalem Eugubinam in Umbria obtinuit, ut **asserit Ughellus tom. 1. Probinus Anicius** Patriarcha Aquilejensis trigesimus primus, ut **scribit Joannes Franciscus Paladius lib. 1. Hist. Foro-Julien. fol. 23.** Hic Sedem Patriarchalem A. C. 573. uno quidem anno sibi commissam gubernavit, verum heroïcis factis explevit tempora multa, sepultusque in Aede Metropolitana Gradensi cum sequenti **Epigraphe: Anicius Probinus Justiniani Imperatoris Consanguineus, Sanctissimis Vestigiis Paulini insistens, uno anno, quo Aquilejensi praefuit Ecclesiae, perpetuae felicitatis recuperandae Aquilejensi populo spem fecit.** *Archius, seu Artucius Anicius Frangepanus, Dominus Caselli, seu Propeti, et Trecenti teste Ughello tom. 5.* primis annis militiam secutus est, mox defuncta Uxore Deo sacratus in Episcopum Concordiensem fuit assumptus, mortuus est 15. Martii Anno 1331. *Nicolaus Anicius Frangepanus* Romanus (**Ughellus tom. 1**) Canonicus Basilicae Lateranensis à Clemente VI. Anno 1342. decimo quinto Kalendas Augusti in Episcopum Anconitanum fuit electus, e vivis sublatus est Anno 1343. *Julianus Mirtus Anicius Frangepanus* à Sixto IV. Anno 1472. secundo idus Maji in Episcopum Calatinum, seu Cajacensem Campaniae Provinciae electus est.

Postea ad Tropejensem translatus est, quam cum 19. annis eximie rexisset excessit è vita Tropeae Anno 1499. 26. Septembris. Idem **Ughellus tom. 6.** *Georgius Anicius Frangepanus* Comes Segniae, Filius Bartholomaei Fratris Martini Coenobii Tersactensis fundatoris, vir gravissimus Ordinis Minorum S. P. Francisci Anno 1522. mense Aprili ad Archiepiscopatum Colocensem fuit evectus, ut **scribit Nicolaus Isthuanssius lib. 7. Hist. Hung.** *Franciscus Anicius Frangepanus* Joannis secundi Comitis Vegliae Filius, Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, qui cum Romae in Ecclesia S. Mariae de Ara Coeli habitum Sacrae Religionis assumpsisset Anno 1533. Archiepiscopus Colocensis postmodum eligitur, dein à Paulo III. die 30. Maji Anno 1539. Episcopus Agriensis fuit renunciatus. *Joannes Anicius Frangepanus* Frater praedicti Francisci Anicii (**latius lib. 6**) Archiepiscopus Colocensis, qui mementosas, et arduas obivit legationes tempore Joannis Vaivodae, et Ferdinandi Austriaci Hungariae Regis. *Fabius Mirtus Anicius Frangepanus*, ut **ait Ughellus tom. 7.** maxima vitae integritate, et ingenio pollens à Cajacensi Ecclesia Anno 1572. die 18. Octobris ad Nazarenam transferri meruit. Qualis, ac quantus fuit hic Ecclesiae Dei Praesul, **Caspar Rencius** sororis ejusdem filius sequenti expressit **Epitaphio:** *Fabio Mirto Frangepano Neopolitano, Archiepiscopo Nazareno antiquae virtutis, et sapientiae viro, qui bis civitatem Bononiam, bis Umbriam, et Picenum Provincias bonis legibus rexit. Qui dudum à Pio V. deinde à Gregorio XIII. ad Carolum IX. nuper à Sixto V. ad Henricum III. bellorum civilium componendorum, et Religionis Catholicae toto Regno retinendae causa legatus. Demum Lutetiae Parisiorum in sexta sua legatione anno aetatis 73. vitam exercitam, et laboriosam placida tandem, et quieta in Christo pace mutavit. Caspar Rencius Sororis filius bene morienti, bene merenti, bene maerens posuit XVI. Kal. Aprilis MDLXXXVII. Octavius Mirtus Anicius Frangepanus, Fabii Mirti Nepos ex Abbate S. Benedicti de Capua die 19. Novembris anni 1572. ad Episcopatum Cajacensem fuit promotus virtutibus, et prudentia clarus nomine Gregorii XIII. Civitatem Bononiam gubernavit. Dein à Sixto V. ad Superiorem Germaniam, omnesque Belgii Provincias cum potestate legati à latere destinatus est Nuntius. A Clemente VIII. anno 1592. ad Episcopatum Tricariensem, mox ad Sedem Archiepiscopalem Tarentinam translatus est. Decessit Nono Kalendas Sextilis, id est Augusti anni 1612. ut **habet Ughellus tom. 6.** etc. sepultusque in Cathedrali cum hoc in tabula marmorea inciso **Epitaphio:** *D. O. M. Octavio Mirto Frangepano Neapolitano, Viro humanissimo, atque eruditissimo primo Calatiarum, tum Tricariensi, Episcopo tandem Tarenti Archiepiscopo apud octo Pontifices, Principesque Austriacos gratiosissimo, legationibus alibi, atque alibi summa cum fide, et laude functo Diomedes Capuanus avunculo amantissimo posuit. Vixit an. LXXVIII. obiit IX. Kal. Sextilis MDCXII.**

Hoc tibi figo Nepos, mi dulcis avuncule marmor

Caetera det, quem jam spero dedisse Deus.

Scipio Anicius Frangepanus de Tolpha Neapolitanus Pauli filius Dominus (**Ughellus tom. 7. Italiae Sacrae**) â Gregorio XIII. Tranensis Archiepiscopus die 10. Decembris 1577. renuntiatur: exinde ad Archiepiscopalem Sedem Acheruntinam translatus est die 20. Decembris 1593. diem extremum clausit 24. Februarii 1595. *Hyacinthus Anicius Frangepanus* Forojuliensis de Castello Episcopus Tergestinus. Praeerat **juxta Ughellum tom. 5.** Anno Domini 1578. Ast **Valvasorius** ejus mortem reponit ad annum 1574. quod ex sequenti **sepulchrali inscriptione** demonstrat: *Hyacintho Frangipani de Castello summâ Caroli Archiducis Austriae providentiâ ad Episcopatum assumpto, praeveniens mors rapere non potuit, quae ipse tanti Principis judicio, animi pietate, Religionis curâ, ac generis antiquitate fuerat consecutus. 1574. die 8. Novembris.*

IX. Anno Domini 833. Quatuor Germani Fratres Anicii â Frangepanibus, videlicet Elisaeus, Ugo, Nicolaus, et Michael, ut suae, avitaeque gloriae consulerent incremento, eamque per totam pene Europam dilarent, ab Urbe Romana demigrârunt. Elisaeus Florentiam petens familiam Elisaeam, sive Aldigheriam fundavit. Ugo Helvetiam se contulit, quo loci Comes creatus, Serenissimae familiae Ducum initium dedit. Nicolaus in Dalmatia, et Slavonia stabiliens domicilium, clarissimae gentis auctor fuit, ac Majorum suorum exempla imitando Frangepanam Domum novis honoribus cumulavit. Demum Michael Venetias tenens, familiam suam heroicis factis opibus, honoribus propagavit, et avitum splendorem constanter retinuit. Ex eo namque pullulavit nobilissima Venetorum gens Michaelia cognominata prout **Annales Veneti teste Arnolde Wion** asserunt his verbis: *Michaelii ex Urbe Roma, et vocabantur Frangipanes. Fuerunt Tribuni antiqui, homines splendidi, quorum unus, cui nomen erat D. Michael, venit Venetias cum magnis divitiis, et fecit aedificari sibi, et suis Vicinis Ecclesiam Sancti Cassiani, et Sancti Joannis Novi. Porro nota, Michaelios primos gessisse pro insignibus Leones, quemadmodum hodie gerunt Frangipanes: sed Magnus Dominus Michael Dux Venetiarum, cum in bello contra Turcas Capitaneum ageret Generalem, et inopia pecuniae laboraret, monetam ex corio fieri fecit, quae vocabatur MICHELETA, quam unius aurei nummi expendebat, ea conditione, ut deinde reversus Venetias, pro qualibet ejusmodi moneta ex aerario nummus aureus redderetur, quod et factum est. Ex hac ergo occasione dictus Dux mutavit gentilitia arma sua, et pro Leone gessit praedictam Monetam: qui cum â Siculis electus esset in ipsorum Regem, nullo modo assensum praebuit, sed maluit esse Dux Venetiarum, quam Rex Siciliae. Ita Annales Veneti.*

X. Haec Michaelia Familia serenissimae Reipublicae Venetae tres dedit praeclarissimos Duces videlicet A. C. 1096. *Vitalem I. Michaelium*, qui classem ducentarum navium sub filio suo Joanne Michaelio in Syriam misit ad redimendum Christi Sepulchrum. *Secundus* fuit *Dominicus Michaelius* A. C. 1117. in Ducem electus, qui ducentis diversi generis instructis navigiis in Syriam accurrit, Barbaros vicit, Tyrum expugnavit, propterea *Servator Terrae Sanctae* fuit proclamatus. *Tertius Vitalis*

II. *Michaelius* electus Dux Venetiarum A. C. 1155. Quinque praeterea Patriarchas Gens Michaelia procreavit 1^{um} Dominicum Patriarcham Gradensem. 2^{um} Vitalem Michaelium Patriarcham Venetiarum. 3^{um} Vitalem itidem Michaelium Patriarcham Venetiarum. 4^{um} Vitalem quoque Michaelium Patriarcham Venetiarum. 5^{um} Joannem Michaelium Pauli II. Romani Pontificis ex sorore Nepotem, Cardinalem S. R. E. Tit. S. Angeli, Patriarcham Constantinopolitanum, Episcopum Veronensem, dein Patavinum, tandem Praenestinum, quibus accedit Franciscus Michaelius Archiepiscopus Ravennatensis. Haec eadem Familia produxit undecim Procuratores S. Marci, Equites verò ejusdem Sancti innumeros: quorum agmen postremis hisce temporibus claudit Joannes Michaelius, qui ob sua, ac Hieronymi, et Pauli Michaelium praeclarissima mavortia merita â Senatu 9. Novembris Anno 1695. Eques Sancti Marci, cum omnibus honoribus praerogativis, et praecementiis fuit creatus.

XI. Nicolaus de Frangepanibus, postquam Regalem ferme in Dalmatia, et Sclavonia fixisset habitationem, clarissimum sanguinem suum per plures generationes sic propagavit, ut continuata serie plures viros toga, et armis inclytos protulerit. Et quia ex hoc Frangepanio ramo fundatores hujus Tersactensis Coenobii, et Ecclesiae prodierunt, eorum genesim, quantum ex Historicis eruere fas erat, hic adnecto. Igitur

1. Nicolaus I. Henrici de Frangepanibus filius, miles intrepidus, Comes in Vinodol, ac potens Dominus in Carniolia, et ideo dictus fuit *Regulus in Carniolanis*, ut habet Ludov. Schönleben. Hic familiam Frangepanicam in Illyrico, et Croatia propagavit. Simeon frater ejus, ab aliis dictus *Thiemo*, et â Venetis *Doimo* gentem Frangepaniam in Insula Veglia stabilivit. Udalricus verò pariter Frater Nicolai, Dominus Propeti, et Castelli in Foro-Julio prima sui stemmatis jecit fundamenta.

2. Dionysius Frangepanes Comes Vegliae, et in Vinodol ejus frater erat Guido primus Frangepanes.

3. Guido Primus Frater praedicti Dionysii I.

4. Fridericus I. qui cum Fratre suo Bartholomaeo de Frangepanibus filio dicti Guidonis, congregato triginta millium selectorum bellatorum agmine in campo Grobnicensi Tartaros profligarunt, et Belam IV. Hungarorum Regem in sua Regia restituerunt; ob quod servitium idem Rex eisdem Civitatem Segniensem cum aliis locis donavit, ut ex ejusdem Diplomate supra §. 2. n. 2. allato patet.

5. Nicolaus III. de Frangepanibus Comes Vegliae, Segniae, et Modrusiae, Croatiae, Sclavoniae, et Dalmatiae Prorex, seu, ut vocant Bannus. Singularis ejus gloria resplenduit in hoc, quod Rudolphum I. Habsburgicum Comitem Domus Austriacae fontem, cum Stephano II. de Frangepanibus eousque egregie adjuverit, donec debellato Ottocharo Bohemiae Rege sceptrum Imperii ad eandem Augustam Domum fuerit devolutum. Sub hoc Nicolao Domus Nazarena B. V. Mariae è Galilaea Angelicis humeris ad Collem Tersactanum 10. May 1291. adportata fuit, ut jam ostensum est.

6. Stephanus II. de Frangepanibus Comes Vegliae etc. Matrimonio copulatam habuit Catharinam de Petau, filiam Comitis Petri Inclyti Ducatûs Styriae Aulae Praefecti.

7. Stephanus III. Frangepanes Comes Vegliae etc. desponsatam habuit in uxorem Catharinam de Carara filiam Francisci de Carara. Advertendum hic est, quod **P. Clarus Pasconi in Historico progressu Mariani Triumpho fol. 89. dicat**, Stephani fratrem fuisse Mathiam, â quo descendit Sigismundus primus de Frangepanibus. Ast salvo honore tanti viri, id impossibile esse, ex ejusdem verbis ostendo; etenim mox infrâ adducit **epistolam, quam** Mathiae de Frangepanibus **scripserat Joannes Muscardus** de dato Budae 9. Maji 1516. Et fol. mox seq. dicit de ejus filio Sigismundo, quod anno Domini 1461. indictione 9^{ma} die verò 24. mensis Februarii Episcopatum Ottochensem fundaverit. Amabo! quomodo Filius potuit jam anno 1461. fundare Episcopatum, cum Pater ejus 77. circiter annis vixerit posterius filio, etenim filius Sigismundus, dum Episcopatum fundavit, utique habere debuit liberam suorum bonorum dispositionem, hanc autem filii non habent, nisi adveniente debita â jure praescripta aetate: Unde dicendum est, aut Sigismundum non fuisse filium Mathiae, aut errorem intercurisse in signando anno epistolae ad Mathiam datae, et loco anni 1516. scribi debuisse annum 1416. quod verisimilius est.

8. Nicolaus IV. Frangepanus Comes Vegliae, etc. et Banus Croatiae, Sclavoniae, et Dalmatiae, cognomento *Magnus*. Uxorem habuit filiam Regis Bosniae Ludovici Hungariae Regis Consanguineam. Hic Cirquenicza monasterium pro Patribus S. Pauli primi Eremitae fundavit, et variis possessionibus dotavit, ut patet **ex ejus litteris foundationalibus datis Modrussiae die 14. Augusti 1412.** meditabatur etiam aedificare Tersacti Ecclesiam, et Conventum pro Fratribus Minoribus, sed morte praeventus Filio id exequendum comisit.

9. Bartholomaeus secundus Frangepanus Comes Vegliae etc. Filius Nicolai IV. uxorem duxerat Catharinam de Scala, filiam Minorum Veronae. Fratres ejus fuerunt Nicolaus V. Martinus II. Ecclesiae, et Conventus Tersactensis Divae Virginis Gratiarum fundator clementissimus, Andreas, qui obiit caelebs, Damianus, et Stephanus IV. Â Damiano descendit Michael II. bellicus Commendans sub Maximiliano I. Imperatore, et Anna nupta Pancratio ab Aursperg. Â Michael II. descendit Georgius I. Mathias II. et Dorothea nupta Stephano Ursini Comiti de Blagay. Â Georgio I. descendit Franciscus I. Porro â Stephano IV. descendit Bernardinus II. Â Bernardino II. Ferdinandus I. qui desponsavit Mariam Brankovich filiam Joannis Serviae Regis. Item Christophorus I. Mattheus, et Beatrix nupta Joanni Liptoviae Duci. Â Ferdinando I. descendit Stephanus V. dictus Ozaljcski. Martinus II. sine haerede decessit die 4. Octob. 1479. Bartholomaeus verò 22. Martii 1474. Ambo Tersacti sepulti.

10. Joannes II. de Frangepanibus Comes Vegliae etc. et Banus Croatiae, Sclavoniae, et Dalmatiae, filius Bartholomaei II. duxit Beatricem Corvini Mathiae Hungarorum Regis consanguineam

Fratres habuit Georgium II. Ord. Min. S. Francisci, dein Archiepiscopum Colocensem, Bernardinum II. â quo descendit Christophorus II. tres verò habuit sorores Helenam nuptam Lazaro Principi **Russiae**.³⁶³ Dorotheam nuptam Comiti Barbariae, et Annam junctam Pancratio alteri Comiti Barbariae. Hic Joannes se, suamque Insulam Vegliensem sub protectionem Reipublicae Venetae commisit, quem etiam Respublica suscepit tamquam suum Commendatum die 19. Junii 1452. cum conditione, ut idem Joannes elevet vexillum, et insigne S. Marci, ut **ex instrumento**, cujus **simplicem copiam** vidi, patet, quod hujus est tenoris:

In Christi Nomine Amen.

Anno Nativitatis Ejusdem 1452. die 19. Mensis Junii, Indictione 15. Ill'mus Princeps, et Excel'mus D'nus D'nus Franciscus Foscari Dei gratia Dux, et Inclytum dominium Venetiarum servata solemnitate consiliorum suorum, quae ad talia requiruntur, ex una parte: et Magnificus, et potens Dominus Comes Joannes de Frangepanibus, Dominus Civitatis, et Insulae Vegliensis, natus quondam quondam Magnifici Domini potentis Nicolai Comitis Segniae, Modrussiae etc. in praesentia Ill'mi D'ni Ducis, et Duc. Dom. personaliter constitutus ex altera: ad infrascriptas Conventiones, et pacta sponte, liberè, et ex certa scientia, animoque deliberato, solemniter, et concorditer devenerunt. Et primo namque Idem Ill'mus Dominus Dux, et Duc. Dom. pro se, et Successoribus suis nomine, et Vice ipsius Domini, et Communitatis Venetiarum accepit, acceptat, recipit, et admittit praefatum Dominum Joannem de Frangepanibus Comitem, et Ducem Civitatis, et Insulae Vegliae in protectionem, et recommendisiam ipsius Domini Ducis, et Duc. Domini Veneti pro dicta Civitate, et Insula Vegliae, ejusque subditis, et habitatoribus dictae Civitatis, et Insulae Vegliae. Et idem Magnificus Dominus promisit elevare vexillum, et Insigniam S. Marci, promittitque Idem Dominus Dux, et Duc. Dominium habere, tenere, et tractare, et protegere ipsum Magnificum Dominum Joannem tamquam bonum, et verum recommendatum suum pro dicta Civitate, et Insula Vegliae, et vice versa praefatus Magnificus Comes pro se, et haeredibus suis sponte, liberè, et ex certa scientia, animoque deliberato acceptat dictam protectionem, et recommendisiam, ac pro se, et haeredibus suis, interveniente solemnī stipulatione se obligat, et promittit esse verus, et bonus recommendatus praedicti Domini Ducis, et Successorum suorum, et Inclyti Domini Veneti, ac omnia dicere, facere, et operari, quae boni, et veri adhaerentes, et recommendati facere tenentur, specialiter, et expressè promittit pro se, et haeredibus suis, esse verus amicus amicorum, et inimicus inimicorum Domini Ducis, Domini, et Communitatis Venetiarum, et cum ipsa Civitate, et Insula, ejusque subditis, in omnibus casibus, et opportunitatibus, ad omnem requisitionem, et voluntatem praedicti Domini Venetiarum, ac terrarum, locorum, et subditorum suorum. Quae omnia, et singula suprascripta praedictus Ill'mus Dominus Dux, et Dominium Venetiarum etc. et idem Magnificus Dominus Comes Joannes sibi invicem, et vicissim

una pars alteri, et altera alteri pro se, et Successoribus suis, et haeredibus promiserunt, et promittunt attendere, adimplere, et observare, et in nullo contrafacere, vel venire, sub obligatione omnium bonorum suorum praesentium futurorum, et de praedictis ambae dictae partes voluerunt, et rogaverunt, fieri debere **publicum infrascriptum**, et **authenticum Instrumentum** unum, et plura, in eodem tenore similia, sicut fuerit apportunum per me Notarium infrascriptum, **Bulla plumbea III^{mi} Domini Ducis**, et sigillo, seu **Bullâ terreâ praedicti Magnifici Domini Comitis** pendentibus communiri. Actum Venetiis in Ducali Palatio in sala duarum Napp. praesentibus egregiis, et prudentibus viris & Hieronymo de Nicolà & Alexandro â Fornalibis & Bertuccio Nigro & Joanne de Reguardatis Duc. Secretariis & Tisolugano de Justinopoli Familiari Secreto praedicti Magnifici Domini Comitis Joannis, et aliis testibus ad haec vocatis, habitis, et rogatis etc.

Cum Martinus II. ut assensum Regium obtineret legandi quasdam possessiones Ecclesiae Tersactensi, Mathiae Regi Hungariae sex Castra donâsset, ut **ex litteris Mathiae suprâ §. 2. n. 3. allatis** patet, mortuo Martino Joannes tamquam ejusdem haeres armata manu praedicta Castra tamquam spectantia ad Familiam Frangepanam occupavit. Audiens id Mathias cum amaritudine misit Capitaneum suum nomine Blasium Mayer, qui postquam praedicta Castra occuparet, et â vexationibus Joannis Frangepani liberaret, apposuit, ut occuparet etiam Insulam Vegliensem tamquam ad Regnum Croatiae spectantem, Joannes ad angustias redactus reflectens se esse sub protectione Reipublicae Venetae, ejusdem auxilium, et defensionem imploravit, quae illico dedit in mandatis Antonio Loredano Capitaneo exercitus navalis in Golfo, ut Frangepano succurreret, quapropter non tantum Antonius Loredano misit ad Capitaneum Hungariae Jacobum Veniero, sed etiam Respublica ablegavit Vegliam Antonium Vinciguera Nobilem ê Senatu Veneto, qui cum Capitaneo Blasio Mayer amicabilem rem componerent. Blasius nil audire volens de amabili compositione se posuit ante Civitatem Vegliam: hinc Joannes Frangepanus desperavit, se posse amplius defendere Insulam, Loredano, Veniero, et Vinciguerra insinuant Joanni, unicum esse remedium liberandi Insulam, si eam totaliter cum omnibus juribus renuntiaret Dominio Veneto, placuit Joanni Consilium, fecitque juxta illud. Facta renuntiatione Respublica mox misit Victorem Soranzo Capitaneo in Golfo, qui Loredano successit, cum aliquibus navibus ad liberandam Insulam, quibus advenientibus timens Capitaneus Hungaricus, ne ab iis circumdaretur, et sibi via ad terram firmam praecluderetur, reliquit Insulam Venetis, et rediit in Hungariam. Et ab hoc tempore Insula dicta semper manet sub Dominio Veneto. Joannes Frangepanus una cum uxore, et prolibus abiit Venetias, qui â Senatu inter Nobiles Venetos coaptatus, eique annua pensio assignata fuit, Filiae verò ejusdem pro dote 4000. Ducati. Non multo post tempore Joannem immaturi facti paenitere coepit, Insulamque rehabere cupivit, ast nil effecit: quapropter in Germaniam ad Fridericum tertium confugit, sub quo pro Domo Austriaca in bello Hungarico contra Turcas Anno Domini 1480. gloriosè occubuit, ac vitae suae terminum imposuit. Vide **Sabellicum in Hist. Venet.**

11. Bernardinus II. Stephani IV. filius, Comes Segniae, Vegliae, et Modrussiae, à quo descendit Ferdinandus I. et Christophorus.

12. Christophorus de Frangepanibus Comes Segniae, Vegliae, et Modrussiae Bernardini filius duxit Annam Langin Matthaei Cardinalis, Gurcensis Episcopi, et Archiepiscopi Salisburgensis sororem. Fratres habuit Ferdinandum II. et Wolffgangum I. Hic ob bellicas virtutes, et operam, quam in recuperanda Arce Jaicensi navavit, fuit à Ludovico II. Hungariae Rege nuncupatus *Defensor Sclavoniae*. Obiit circa annum 1527. et Modrussae sepultus, qui cum sine haerede decessisset, suorum Bonorum haereditatem reliquit suum fratrem Ferdinandum II.

13. Ferdinandus II. de Frangepanibus frater Christophori Comes Segniae, Vegliae, Modrussiaeque.

14. Nicolaus VI. de Frangepanibus Comes Vegliae etc. Dapifer Archiducis Ferdinandi desponsavit sibi Elisabeth Ursini Comitissam à Blagay.

15. Casparus de Frangepanibus Comes Vegliae etc. in thori sociam accepit Catharinam natam Comitissam de Lenkovizh. Fratrem unicum habuit Stephanum nempe septimum.

16. Wolffgangus Christophorus de Frangepanibus Comes Vegliae etc. filius Caspari. Matrimoniali foedere junctas habuit primò Mariam Comitissam de Berislavich: secundò Mariam Comitissam Inkoferin, et tertio Dorotheam Paradaiserin viduam Joannis Georgii Haller de Hallerstain. Fratres quoque habuit Georgium III. Wolffgangum II. Nicolaum VII. et VIII. Fuit Wolffgangus Generalis, et Commendans Carlostadiensis, miles egregius, de quo Ferdinandus III. Imper. aiebat: *Ille bonus, et fidelis est servitor noster, et vir magnus*. Obiit anno 1654.

17. Franciscus Comes Segniae, Vegliae, Modrussiaeque vinculo conjugali sociavit sibi anno 1660. mediante Cardinale Antonio Barberini Juliam Marchionissam de Naro Romanam. Fratres habuit Casparum II. Vice-Generalem Croatiae, cui uxor fuit Eleonora Juditha Comitissa Forgatsch, et anno 1652. mortuus est absque prole, et Tersacti sepultus. Item Georgium IV. Vice-Generalem post obitum Fratris, qui uxorem duxit Sophiam Forgatsch, à quibus descenderunt Nicolaus Nonus in infantia sublatus è vivis, et Maria Juliana uxor Ferdinandi Ernesti Comitis de Traun, et Abensperg, Fundatrix Conventus Runensis. In hoc Francisco de Frangepanibus Inclytum Frangepanianae stirpis genus in Regno Croatiae die 30. Aprilis 1671. sub invictissimo Imperatore Leopoldo I. Neostadii in Austria ob defectum fidelitatis Supremo Monarchae debita † ³⁶⁴ extinctum est. Ast unius minor ex posteris claritas splendidissimam Anicio-Frangepanam gentem obfuscare haud poterit! etenim, si nec soli Ecclipsis, nec Lunae macula, nec luci derogat umbra: si Sanctorum Patrum degeneres filii eorum splendorem non minuunt, si ipsamet Christi Domini Genealogia maculosos patres admittit: si Sacer Apostolorum Senatus à Juda praevaricante non coinquinatur: si Deus denique in Angelis suis reperit pravitatem: profecto nec lapsus unius integerrimos natales deturpat. Sat laudis Frangepana Genesis habet, quod Caelum Sanctis cumulaverit, Vaticanum **H[i]erarchis**,³⁶⁵ Urbem, et orbem Augustis, Ecclesiam Praesulibus, Ducibus Martiales arenas.

Caput VI. De foundationibus seorsim sumptis.

Superiori Cap. ostendi varias donationes ab Inclyta Familia Frangepaniana Conventui, et Ecclesiae Tersactensi B. V. Mariae factas fuisse, cum autem successu temporis eadem foundationes multas vicissitudines pati debuerint, hinc est, quod de singulis separatim tractare proposuerim. Unde sit

§. I. De Territorio Tersactensi.

I. Donec familia Frangepana Dominium, et jurisdictionem Castri, et territorii Tersactensis exercuissent, Fratres Minores erant in pacifica possessione bonorum Ecclesiae, et Conventui Tersactensi à pia memoriae Martino de Frangepanibus Comite Vegliae, Modrussiae, et Segniae donatorum. Postquam verò dictum Castellum cum pertinentiis aliis conductoribus elocatum fuisset [† a regibus ex domo habsburgica originem trahentibus]³⁶⁶ Fratres saepius in suis iuribus turbabantur, et à pacifica possessione bonorum circa Conventum adjacentium in litteris Martini de Frangepanibus de dato Novi die 7. Aprilis 1431. contentorum deturbantur: praecipuè verò à Casparo Chnessich, cui Castrum Tersactense cum bonis, et proventibus ad illud pertinentibus anno 1601. elocatum fuit. Is enim non obstante reclamatione Fratrum iniqua usurpatione nihili pendens comminationem Fundatoris, nec respiciens excommunicationem à Paulo II. Romano Pontifice in injustos raptores bonorum Ecclesiae Tersactensi legatorum latam non tantum proventus Molendini, Vinearum, quae vulgo *Braidae* nuncupatur, et Vadi, sed etiam alia emolumenta ex Tersactensi territorio, Conventui, et Ecclesiae obvenire debentia ad se trahebat. Quia verò Fratres pauperes suis protestationibus nihil efficiebant, coacti erant à Serenissimo Ferdinando auxilium implorare.

II. Ferdinandus Religiosissimus Princeps, cui Divini cultus augmentum, Catholicae fidei propagatio, Lutheranae haeresis extirpatio, Ecclesiarum Dei conservatio, ac Ministrorum earumdem debita sustentatio maximè cordi erant, ut indemnitati Fratrum, et Ecclesiae consulere, constituit duos Commissarios videlicet Ill'mum D. Stephanum L. B. de Ruvere, et Perillustrem D. Joannem Siukovitsch possessorem Dominii Marenfels, ut ad locum Tersactensem se conferrent, confinia reviderent, ac Fratres in possessionem praetensorum bonorum immitterent, prout ex sequenti Archiducali Rescripto ex ipso originali desumpto patet, quod hujus est tenoris:

Edl Vest Liebe Freündt. Ihr habt auß denen beylagen nachlengs zu vernehmen, was für Güetter und Einkommen die Franciscaner Ordens Leuth zu Tersath, innen durch Weillandt Martinum Frangipan testiert und donirt, von bemelter

Irer Fürst. Durch. eigenthumblichen Herrschafft Tersath praetendirn und Innen widerumben einzuantworten begehren.

Derowegen, und weilen sein Für: Dur: so woll auß angeborner Erzherzoglichen Milde alß dem zu diesem Orden tragenden euffer, denselben bey dem seinigen vilmehr zu schützen, alß Ihres unfüeglich entziehen zu lassen gedenken, So haben sich höchst ernente Für: Dur: auf sollich obangedeüt nebenligende sowoll gemeltes Ordens Provincials alß des Jenigen Innhabers angedeiter pretendirenden Thersattischen Gütter gegen einander eingebrachten Schrifften und darunter fürgelofnen Handlung, wie nit weniger sonnst auß erheblichen Vhrsachen, auf ein gemesne Comission genedigst resolviert, und eüch, hierzu fürgenombnen Commissarien nachfolgende Verichtung aufzutragen, bey uns mit Gnaden verordnet. Alß in derselben Namen unser ferer bevelch hiemit ist, das Ir euch eines fürderlichen zusammenkhunfft, Tag miteinnader vergleichen, super locum erscheinen, beeden denen Ordensleüthen, oder Iren Intervenienten und dem PfandtInhaber Tersath Casparn Khnessizz solliches zeitlich ankhünden, so dan dits orts von beeden Thailen dieser strittigen Gütter willen genugsamen bericht und information einziehen, die Differenz und eigendliche geschaffenhait so woll in acht nemen, und in omnem eventum, darauf obgedachten Franciscaner Orden, in ernantes Frangipans Donation begrüffene, durch sy pretendirende, und bis her nit Innhabende Güetter zu Irer Satisfaction hierauf einantworten, und wie Ir es allerseits vericht, uns mit eüerer außfürlichen Relation sambt angeheften Rathlichen guetachten zuschreiben wellet, dan hieran erstattet Ir mehrhöchsternenter Für: Dur: genedigen willen und mainung. Dat. Grätz den Neündten January Anno im Sechzehnhundert, und zwelfften.

N. Der Für: Dur: Herrn, Herrn Ferdinanden
Erzherzogen zu Oesterreich etc. Verordnete U. Ö.
Camer President und Räthe.

III. Hac [Archiducali] regia³⁶⁷ autoritate munitus Ill'mus D. Stephanus L. B. de Ruvere Capitaneus Fluminensis cum suo ConCommissario Perillustri D. Joanne Siukovich citavit pro die 3. Februarii anni praedicti 1612. tam D. Casparum Chnessich, quam P. Guardianum, aut ejus Procuratorem ad decidendam controversiam inter Conventum, et Castrum ratione confinium vertentem. Quapropter praedicta die in territorio Tersacti ante Ecclesiam Parochialem dicti loci, coram D'nis Commissariis Archiducalibus convenerunt D. Casparus Chnessich, et ARP. Franciscus Glavinich Minister Provincialis, et P. Seraphinus â Sehio Guardianus Tersactensis cum suo Procuratore.

Quibus praesentibus decreverunt Archiduales Commissarii se conferre oculata fide ad recognoscendum confines in donatione descriptos juxta mentem Suae Serenitatis. Et praeprimis fuit recognitus *Lapis triangularis ad littus maris*, qui fuit recognitus ab ipsis Dominis Commissariis, et majori parte populi Tersacti, vulgari-ter *lapis Fratrum*, Illyricè *Fraterszka sten*, et hoc ad praesentiam partium videlicet ARP. Provincialis, et Guardiani dicti Monasterii, et etiam ipsius Chnessich. Deinde ascendentes versus partem orientalem ad primam semitam vulgari-ter vocatam *Praecrixih podgerz*, ubi inventa fuit quaedam Crux incisa super lapide in terra fixo. Deinde ascendentes per viam publicam ad secundam semitam vulgari-ter dictam *Praecrixih*, quo in loco etiam inventa fuit, quaedam Crux sculpta in lapide fixo in terra. Deinde vergentes ad manum sinistram per viam publicam confinium ex boreali parte ad tertiam semitam in planitiis, semper quidem ascendentes per viam publicam, per quam curribus ad Castrum Tersati ascenditur ad arborem vocatam *Kopriva*. Deinde per viam publicam ad angulum Capellae, sive Ecclesiae Parochialis S. Georgii penes dictum Castrum Tersath ex parte orientali. Deinde directè descendentes per montem incultum ad flumen *Zuir*, quod dividit Recham à Castro Tersath per medium fluminis, per medium lacu maris versus partem occidentalem, et deinde venit per lacum marinum ad meridiem, et terminatur in prima meta supra-dicta, videlicet lapide triangulari. Quibus peractis Ill'mus D. Capitaneus, et Perillus-tris D. Joannes Siukhovitsch Archiduales Commissarii, visa dicta Frangepanica donatione, ac confinibus in ea descriptis, et nominatis, recognoverunt illos, quos viderunt esse eosdem in dicta donatione nominatos, et propterea obtulerunt suis loco, et tempore, mentem suae Ser^{mae} Celsitudinis executuros.

IV. Eadem die, et loco post Vesperas coram praedictis Commissariis Archiducalibus comparuit ARP. Minister Provincialis cum suo Procuratore, et cum res jam fuisset peracta juxta dictas Archiduales Commisiones, institit Minister Provincialis Joannem Vitum Zancum Procuratorem ipsius Conventus, et Guardianum poni in realem, et corporalem possessionem bonorum donatorum, et dotalium dicti Conventus, praecipiendo ipsi D. Caspari, et mollendinariis, quod ipse se ingerere non audeat in dictis bonis, et mollendinis, sed recognoscat ipsos RR. PP. Provincialem, et Guardianum in Dominos, et Patronos ipsorum molendinorum. Quia verò D. Casparus Chnessich sibi tempus ad sua jura adducenda expetebat, Domini Commissarii decreverunt, et assignarunt terminum ipsi D. Chnessich usque ad octavam horam sequentis diei ad demonstrandum alia confinia, aliter devenietur per illos ad executionem mentis, et Commissionis suae Celsitudinis.

V. Die 4. Februarii ejusdem anni 1612. in territorio itidem Tersati ante Ecclesiam Divi Georgii coram Ill'mo D. Capitaneo Fluminensi, et Perillustri D. Joanne Siukovitsch Commissariis Archiducalibus comparuit horà octava D. Casparus Chnessich producens quasdam Scripturas sibi favorabiles: ast, quia in **Archiducali Rescripto** non demandabatur praedictis Commissa-

riis, quod Scripturae recipiantur de novo, sed solummodo sufficientem informationem in Frangepanica donatione contentis, capiant, et accipiant, prout hesternae die ab eis factum fuit, ad praesentiam ambarum partium, producta non admiserunt, et decreverunt ARP. Provinciale, et Guardianum dicti Conventûs, sive D. Procuratorem illius in realem, et corporalem possessionem bonorum hesternae die recognitorum, ad praesentiam ambarum partium inducendos, et immitendos esse, prout illos immittunt juxta Commissionem Archiducalem, non prohibendo tamen dicto D. Chnessich, ne recurrat ad suam Ser^{iam} Celsitudinem.

VI. His actis Ill'mus D. Capitaneus, et Perillustris D. Joannes Siukovitsch Commissarii Archiducalis, unâ cum ARP. Provinciale, et Guardiano, ac D. Joanne Vito Zanco Procuratore dicti Conventûs devenerunt ad primum confinium, scilicet saxum triangulare ad litus maris, vulgariter dictum saxum Fratrum, et dederunt prae manibus ipsi D. Joanni Vito Procuratori, sic eum ponendo pro dicto Monasterio, ac ARP. Provinciale, et Guardianum in realem, ac corporalem possessionem dictorum bonorum in Frangepanica donatione contentorum, praesentibus D. Francisco Juvancovich, et Valentino Avich Fluminensibus, testibus ad haec specialiter rogatis, ac majore parte populi Tersath. Deinde ascendentes versus partem Orientalem ad primam semitam vulgariter vocatam *Praecrixih Podgerz*, ubi inventa fuit quaedam Crux sculpta in lapide fixo in terra, et mandarunt aliam incidi ad perpetuam rei memoriam. Deinde ascendentes per viam publicam ad secundam semitam vulgariter vocatam *Praecrixih*, quo in loco etiam inventa fuit alia Crux sculpta in lapide fixo in terra, et similiter mandarunt aliam Crucem incidi. Deinde vergentes ad manum sinistram per viam publicam confinium ex boreali parte ad tertiam semitam in planitiis, quo in loco ipsi Ill'mus, et Perillustris D. D. Commissarii mandarunt aliam crucem incidi pro signo, semper quidem ascendentes per viam publicam, per quam curribus ad Castrum Tersath ascenditur, ad arborem vulgariter vocatam *Kopriva*. Deinde per viam publicam prosequentes ad angulum Capellae S. Georgii, sive Parochialis Ecclesiae penes Castrum ex parte Orientali. Deinde directè descendentes per montem incultum ad flumen dictum *Zuir*, quod quidem dividit Recham â Castro Tersati per medium fluminis, per medium laci maris versus partem occidentalem, et deinde venientes per lacum marinum ad meridiem, et terminarunt in prima meta, videlicet lapide triangulari, vulgariter dicto *Lapide Fratrum*.

VII. Quibus peractis ipsi D. D. Commissarii se receperunt unâ cum me Philippo Jacobo Zana Tergestino Archiducali S. Viti Fluminis Cancellario ad litus maris ad palificatam prope Flumen, et ad praesentiam supradictorum testium, ac

majoris partis populi Tersati, cum pervenerint ad finem executionis Archiducalium Commissionum, ad instantiam praedictorum R. R. P. P. S. Mariae de Tersath, gubernatorum Conventûs dictae Ecclesiae Tersath, ac denuo verbis claris, et expressis posuerunt in realem, et corporalem possessionem omnium bonorum, vinearum, proventuum molendini, Jurium, et jurisdictionum contentorum in supranominata **Frangepanica donatione** dicto Monasterio, et Conventui facta per quondam Ill'mum D. Martinum de Frangepanibus cum omni honore, et onere, juxta tenorem dictarum Archiducalium Commissionum, antescriptum Dominum Joannem Vitum Zancum Procuratorem dicti Conventûs ibidem praesentem, et vice, ac nomine dicti Conventûs, dantes ei in manibus terram, fructus, arbores, claves Molendini, praecipiendo Molendinario, quod debeat recognoscere dictos R. R. Fratres in Dominos, ac omnia alia facere, quae in similibus de jure, vel consuetudine fieri solent, et debent. D. verò Joannes Vitus Zancus Procurator vice, et nomine ARP. Provincialis, et Guardiani, ac dicti Conventûs promisit dicta bona, Molendinum, vineas tenere in bono statu, et conditione, illaque gubernare, et coli facere, ac diligenter custodire, ne aliquid de bonis, vel Juribus sibi vice, et nomine dicti Monasterii consignatis, quovis modo alienare, obligare, seu in pignus dare, imo usurpata, et alienata recuperare, ac omnia alia facere, ad quae de jure tenetur. Insuper ipsi D. D. Commissarii mandarunt in faciem ipsi D. Casparo Chnessich, quod sub poena Hung&. bis mille non debeat nec per se, nec per interpositas personas molestare praedictos ARPP. Provinciale, et Guardianum, aut eorum D. Procuratorem, sed permittere illos pacificè frui, et gaudere, quod eisdem concessum fuit per suam Ser^{mam} Celsitudinem juxta **donationem Frangepanicam**, de quibus bonis fuerant per ipsos Dominos Commissarios hodie positi in realem, et corporalem possessionem mediante persona D. eorum Procuratoris.

VIII. Hucusque de recensita desumpta sunt **ex Copia legali** (nam **Originale** asservatur in Cancellaria Fluminensi) **in Archivio Conventus Tersactensis contenta** ipsius processus â praedictis D. D. Commissariis Archiducalibus facti occasione bonorum fundationalium Territorii Tersactensis, quae D. Casparus Chnessich possessor Castri Tersath usurpaverat. Pro perpetua rei memoria extra portam Coemeterii, quae patet ad oppidum, erectum est ex muro in via, quae ducit in Ecclesiam S. Georgii, et dividit jurisdictionem Ecclesiae ab illa Castri, signum quoddam, in cujus superiori parte immuratus est lapis, in quo incisa sunt sequentia verba: *Termini Fund^{is} Eccle. B. V. in anno MCCCCXXI. Lap^s pos^s anno MDCXII. sub S^{mo} A. Ferd^o.* Id est: *Termini foundationis Ecclesiae Beatae Virginis in anno 1431. Lapis positus anno 1612. sub Serenissimo Archiduce Ferdinando.* Non procul ab hoc signo ad partem sinistram fuit anno 1627. â Conventu aedificata pistrina, quia verò Fratres ob plurimas incommoditates panem in Conventu pinsere decreverunt, fuit haec domus conversa in habitaculum, et diversorium Peregrinorum â longinquis partibus hanc Thaumaturgam Virginem venerandi gratia adventantium. Haec domus stat â diametro opposita domui muro Coemeterii contiguae, â qua per exiguum viam intermediam disjungitur.

IX. Auditâ sententiâ D. D. Commissariorum Archiducalium in favorem Conventûs Tersactensis lata, nullum non movit lapidem D. Casparus Chnessich, ut eam everteret: quamobrem nova argumenta emendicabat, quibus persuasit Archiduci Ferdinando, ut novam Commissionem instituerit, qui etiam anno sequenti videlicet 1613. constituit in Commissarios Archiducalibus Ill'mum, et R'mum D. Antonium Zara Episcopum Petinensem, et Ill'mum D. Josephum Panizollo Vice Dominum Carnioliae, ut revideant, et videant, an Commissio praecedens iustitiae legibus innixa sententiam in favorem Conventus tulerit. Hi, ut in re non exigui momenti (agebatur enim de gravi damno alterutrius partis) securè procederent, petierunt â P. Guardiano Conventus Tersactensis omnia **monumenta**, et **Scripturas praedictam foundationem concernentes sub die 13. Aprilis anno 1613. in Originali** sibi extradita. Dein die 27., et 30. Augusti erant Seniores populi Tersactensis signanter Joannes Matterglian annorum circiter 90. J. Georgius Vidossich ann. 70. circiter. Thomas Matterglian ann. 35. Nicolaus Jessich 68. ann. circiter. Et Nicolaus Matterglian ann. circiter 55. vocati, ut supra sequentibus articulis respondeant videlicet:

1^{mo} An Molendinum ab antiquo spectaverit ad Fratres Tersactenses?

2^{do} An in dicto Molendino unquam fuerit Molendinarius Nicolaus Smogliam?

3^{mo} An vadum, et Piscatura ab antiquo pertinerint ad Monasterium Fratrum Minorum?

4^{to} An lapis triangularis positus in littore maris, fuerit ab antiquo vocatus *lapis Fratrum*?

5^{to} Utrum audierint, quod Fratres habeant Scripturas supra bona controversa â Comitibus de Frangepanibus?

Ad 1^{um}. Articulum [**praemisso prius juramento de dicenda veritate**]³⁶⁸ omnes responderunt, ut â suis praedecessoribus audierunt, praedictum Molendinum semper fuisse dictum Molendinum Fratrum, excepto Nicolao Jessich, qui dixit se audivisse â suis antecessoribus, quod alia molendina spectabant ad Fratres, quae modo sunt destructa.

Ad 2^{um}. Nullus recordabatur, quod unquam in dicto molendino fuisset Mollitor nomine Nicolaus Smogliam.

Ad 3^{um}. Responderunt, se audivisse ab Senioribus, quod Trajectus, et Piscatura ab antiquis spectaverint ad Fratres Conventus Tersactensis, exceptis Georgio Vidossich, qui respondit: *Io non so di questo cos'alcuna, mà addimandarete lui, che vi sappia dir.* Et Nicolao Jessich, qui asseruit, se non audivisse, Trajectum, et piscationem spectare ad Conventum Fratrum Minorum.

Ad 4^{um} Unanimitè responderunt, quod lapis triangularis in littore maris semper fuerit vocatus *Lapis Fratrum*.

Ad 5^{um} pariter unanimi voce responderunt, quod semper audierint, quod Fratres habeant **Scripturas Comitum de Frangepanibus** supra praedicta bona, et confines controversos.

X. Visis Scripturis, et receptis testium depositionibus Archiducalibus Commissarii censuerunt, Oppositiones Caspari Chnessich non esse sufficientes, ut Fratres Conventus Tersactensis deicerent â possessione bonorum ipsis â prioribus Commissariis Archidu-

calibus assignatorum, decreveruntque Fratres Monasterii Tersactensis esse manutenendos in possessione bonorum ipsis **in fundatione Frangepanica** donatorum: et non abs re; etenim si benè perpendere velimus oppositiones à praefato Casparo Chnessich factas, eae omnino cuilibet viro prudenti leves apparebunt. Opponit ille *1^{mo}* quod illae litterae Martini de Frangepanibus de dato die 7. Aprilis anni 1431. sint **in simplici copia**, et quod Joannes Baptista Aqueus Imperiali autoritate Notarius praedictas litteras in formam publicam redigens, nec diem, nec annum apposuerit. Fateor, prout jam fassus sum **litteras Originales** praedicti dati **in Archivio Tersactensi** non esse reperibiles, reperiuntur tamen **in forma legali**, quae in quolibet iudicio sufficiens est ad quamcunque litem dirimendam. Profecto si Apostolicae Constitutiones sive pro toto mundo, sive pro aliqua tantùm Provincia emanatae obligant fideles, dummodo ad illos sub signo, et subscriptione alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae perveniant: sicut etiam Decreta Regia in originali non exhibentur populo, sed à respectivis Capitaneis Provinciarum eidem promulgata obtinent vim legis. Ecceur! Subscriptio Joannis Baptistae Aquei Imperiali autoritate Notarii vocaretur in dubium, de quo etiam ipsi Judices Fluminenses testimonium perhibent, eum esse talem, qualem se esse dicit. Diem, et Annum signationis Joannis Aquei facile reperisset D. Chnessich, si oculos conjecisset ad testimonium Judicum Fluminensium mox infra Aquei Notarii publici subscriptionem appositum, ubi reperiet signatam diem 21. Martii 1567.

XI. Deinde in iisdem praecitatis **Martini de Frangepanibus litteris** inserta est donatio faenilium in Valle Draga existentium, et tamen de his nulla lis mota fuit, sed Fratres permittebantur in pacifica eorum possessione. Iterum: D. Casparus Chnessich agnovit confines Ecclesiae Tersactensis duos videlicet ad angulum Ecclesiae S. Georgii, et illum infra montem incultum dictum *Zuir*. Quaeso! Si faenilia in Draga ad Fratres legitime pertinere dignoscuntur: et confines tantum aliqui pro veris terminis jurisdictionis Ecclesiae B. V. in Tersath approbantur, cur Fratres à possessione aliorum bonorum excludi? et cur alii confines non agnoscerentur pro veris? cum tamen, et alia bona, et alii confines in una, eademque littera signata reperiantur. Illud quoque ineptissimum est, quod *2^{do}* opposuit, quod Fratres Conventus Tersactensis, cum sint de Observantia non potuerint acceptare bona à Martino de Frangepanibus eisdem anno 1431. donata, quia tunc temporis nondum erant per Sedem Apostolicam dispensati, et habiles redditus ad possidenda bona immobilia, sicque praedicta donatio suum effectum sortiri haud potuit. Verum est, quod Fratres tunc temporis bona praedicta vi Regulae eorum possidere nequiverint, et ideo etiam noluerunt acceptare, sed ea omnino repudiarunt, prout ipsemet **Martinus in aliis suis litteris de dato Tersati, die 12. Augusti 1468.** fatetur, dum dicit: *Et quia praedicti Fratres, cum sint de Observantia, Nobis pro hujusmodi testamento resistebant, nec volebant acquiescere, ut acceptent.* Sed restat ad probandum, quod Fratres non acceptaverint praedicta

bona obtentâ dispensatione Apostolica, quod D. Chnessich non probavit, nec quisquam probare poterit, cum mox in contextu dicat **Martinus de Frangepanibus in praecitatis litteris**: *Nos, quos Zelus Domus Dei comedit, et praesertim ipsius Ecclesiae Sanctae Mariae, ubi et sepulturam praelegimus eis Fratribus litteris Apostolicis silentium imposuimus, ac eos consentire fecimus.*

XII. Tandem asserit, quod Maximilianus II. Fratribus Minoribus per suas litteras nil contulerit, cum ille litteras Martini de Frangepanibus sub conditione confirmaverit. Si ita est, quod extiterint, et deperditae fuerint, verum si **diploma Maximiliani** penitus inspiciatur, patet, voluntatem Maximiliani fuisse non tantum sub ea conditione, sed absolutè confirmandi bona Monasterio Tersactensi à Martino de Frangepanibus donata, imo, si etiam donata prius non fuissent, censenda sunt spectare ad Conventum vi novae donationis eidem Monasterio à Maximiliano factae. En! verba illius: *Totum item, et omne jus nostrum Regium, si quod in praetactis bonis, nimirum districtu, sive territorio circa praedictum Monasterium adjacentibus, nec non Vado, mollendino, et stuppa supra dictum fluvium Recha exstructis: item faenilibus in Valle praescripta Draga nuncupata habitis, etiam aliter, qualitercumque haberemus, aut eadem nostram ex quibuscumque causis, viis, modis, et rationibus concernerent Majestatem, simul cum cunctis suis utilitatibus, et pertinentiis quibusbet memoratis Fratribus Ordinis Sancti Francisci, ipsorumque Successoribus universis novae nostrae donationis titulo dedimus, donavimus, et contulimus, imo damus, donamus, et conferimus jure perpetuo, et irrevocabili tenendi, possidendi pariter et habendi salvo jure alieno.* Ubi notanda sunt verba: *Novae nostrae donationis titulo dedimus* etc. Profectò, si Maximilianus nudè donationem confirmare voluisset, frustra, et in vanum praedicta verba adjunxisset, quae majorem efficaciam Frangepanicae donationi additam esse significant, ut injusti usurpatores tantò magis ab impugnatione praefatae donationis absterrentur, ac Fratres pacificè bonis sibi à Martino de Frangepanibus donatis frui sinerent.

XIII. Hoc territorium Tersactense, quod Conventus à dicto tempore imperturbatè possidet, adfert emolumenti Ecclesiae, et Conventui (exceptis Mollendino, ponte, et vineis, de quibus infra) f. germ. mon. circiter 105. X. 16. Etenim in hoc territorio sitae sunt domus comprehensis quatuor novis his ultimis temporibus aedificatis 21. quarum aliquae solvunt de censu f. 1. X. 8. aliae dant unam urnam, seu, ut hic dicitur, spodium vini, item alii 6. Inquilini solvunt medietatem tantum, quod simul exportaret f. 32. X. 44. Census domus penes vineam dictam Braida ordinariè importat f. 20. X. 24. Sunt quoque ad 57. proprietarii, qui in fundo Ecclesiae habent proprias vineas, vel hortos, qui per modum census, qui hic *livelli* nomine audit, aliquid exigui solvunt, quod exportaret f. 20. X. 24. Sunt item 14. proprietarii in fundo Ecclesiae terras fructiferas habentes, qui contribuunt Ecclesiae olei lb. 62. facitque f. 11. X. 20. Sunt denique in fundo Ecclesiae per proprietarios implantatae 12. vineae, ex quibus Conventus percipit quartam partem vini in circa spodia 9. quae faciunt circiter f. 20. X. 24. Sicque tota summa emolumentorum, quae territorium Tersactense adfert Ecclesiae, est f. 105. X. 16. circiter.

§. II.

De Molendino, et piscatura in aqua Fiumara,
ac mari.

I. Quod Molendinum cum quatuor rotis, et vulgò dicta stuppa ad Conventum, et Ecclesiam ab antiquo pertinuerit, non tantum constat ex processu §. 1. hujus cap. sed etiam ex testimoniis antiquioribus; etenim adest **in originali de anno 1549. in Scriptura glagolitica testimonium populi Grobnicensis**, quod Molendinum sub Castro Tersactensi situm semper spectaverit ad Fratres Conventus Tersactensis, quam Scripturam in linguam Latinam vertit D. Joannes Barkevich Presbyter Notarius publicus, quae hujus est tenoris:

Millesimo quingentesimo quadragesimo Nono. die 2. mensis Februarii die Dominico. Contulit se huc ad *Grobnick* Pater Guardianus Tersati ante Ecclesiam Sanctorum Philippi, et Jacobi ad praesentiam Comitis Michaelis Dessych, coepitque interrogare dictus P. Nicolaus, si quis aut senex vir sciret de nonnullis molendinis, qui fuerunt super fluvium *Rezina* [† *Rečina* = *Fiumara*]³⁶⁹ sub castro videlicet Thersato, quae molendina dederat Comes Martinus de Frangepanibus Ecclesiae Sanctae Mariae, quae est apud Thersatum, et Monasterio, et Fratribus, prout continetur **in testamento**, et **privilegio** supranominati **Comitis Martini de Frangepanibus**, ibique apparens Martinus Juricich, et Habriamus (*fors Abrahamus*) Maycich ... quod sciunt, cum Fratres ipsa molendina tenebant, et quod fuit eorum Molendinarius (quem ipsi posuerunt in ea) nomine Andreas Sezich. Ubi quidem in loco Comes Michael Dessych, cum esset ad praesens Capitaneus *Grobniki* et totius Vinodoli, examinavit hos viros duos Martinum Juricich, et Habriamum Maycich sub eorum fide, et conscientia, quod debeant rectè dicere, quod sciunt in hoc: et ipsi dixerunt, et juraverunt, quod sciunt hoc benè, et quod est ita sicut enarraverunt, ut supra continetur. Et hoc fuit publicè coram toto populo *Grobniki*, ubi praesens fuit Dominus Georgius Plebanus Buccari, et Dominus Bartholomaeus Blaskovich, et Cosmus Rolla testes ad hoc evocati.

Et ego Presbyter Joannes Vunucich Plebanus, et Tabellio *Grobniki* rogatus scripsi, prout audiui, dum sic agerentur, et dicerentur coram testibus.

(Loc. Sign.)	Et ego Presbyter Joannes Barhevich natus q ^{ndam} Magistri Petri Tonsoris Civis Fluminis, publicus Imperiali autoritate Notarius suprascriptam depositionem testium ex litteris illyricis manu Tabellionis suprascripti in litteris Latinis fideliter translatam de verbo ad verbum nil addendo, vel minuendo, quod sensum mutet, vel variet intellectum: Et hoc ad preces, et instantiam R'ndi Patris Fratris Nicolai Guardiani Monasterii Fratrum Minorum de Observantia Thersati: et per manus fidas me subscripsi nominibus meis, praemisso signo mei Notariatus, ut facere semper consuevi.
-----------------	---

II. Saepius erant exortae futuris temporibus circa hoc Molendinum lites, non quidem quantum ad jurisdictionem, sed â potiori ex eo, quia alii ex adversa parte positi Molendinarii aquam ad sua molendina trahebant in praejudicium hujus molendini, quae tamen semper decisae erant, ut aqua cum proportionem dividatur: Tum etiam, quia aliqui nova molendina construere moliebantur, ut D. Joannes Bono anno 1650. Patres Societatis Jesu Collegii Fluminensis anno 1717. et D. Andreas Calli anno 1727. quorum tamen conatus etiam autoritate Regia repressi erant, propter praejudicium, quod aliis jam praeexistentibus Molendinis adferri posset; sufficiunt enim haec Molendina, ut territorio, et populo vicino satisfaciant. Emolumentum, quod Molendinum una cum vinea, dicta *Luciza*, et duobus horticellis, quae â potiori Molinario colenda extraduntur, adfert, Conventus annuè percipit in natura circiter f. 456. X. 52. qui tamen valor non est aequalis, sed pro diversitate contractuum cum Molinariis, nunc decrescit modo augetur.

III. Quantum ad jus piscandi in fluvio dicto *Recha*, aut ut hodie vulgari ter nominatur *Fiumara*, licet id â **Martino de Frangepanibus** in suis litteris **signatis 7. Aprilis 1431.** Conventui Tersactensi traditum fuit illis terminis: *Per medium Fluminis (Recha) longitudinis 33. passuum per medium lacu maris versus partem occidentalem* etc. tamen saepius exortae sunt lites, et controversiae â Civitate Fluminensi, quae totum jus piscandi sibi attribuit, excitatae. Cum autem decisiones, et decreta Caesarea desuper emanata non tantum serviunt pro firmando jure piscationis, quod Conventus habuit, sed etiam ad absterrendos homines ab iniquis ausibus, et injustè perturbandis Fratribus, ea hic adducere, et manifestare volui. Praeprimis jus piscandi in Fiumera nobis adimere, et impedire tentavit Ill'mus D. Petrus L. B. de Argento Capitaneus Fluminensis, qui Molendinarium praesentibus duobus Religiosis Coenobii Tersactensis in Vigilia Assumptionis B. V. Mariae in dicto fluvio piscantem capi, et Flumine incarcerari jussit anno 1680. Contra hoc factum tam crudele, quam iniquum protestatus est Guardianus cum Conventu, atque apud suam Caesaream Majestatem Leopoldum I. patrociniū quaesivit. Ut autem Fratres tanto securius apud Aug^{mum} Imperatorem exaudirentur, et patrociniū impetrarent, submiserunt illi praeter alia monumenta etiam **attestationem** tam R'mi D. **Parochi Tersactensis Joannis Cucich**, quam Ill'mi, et R'mi D. **Francisci Cychulini Episcopi Scopiensis, et Electi Segniensis, ac Modrussiensis Ecclesiarum.**

IV. **Attestatio R'mi D. Parochi, et Cancellarii Tersactensis Joannis Cucich** sic sonat: In Dei Nomine Amen. Ego infrascriptus attestor annorum 70. aetatis perque optimè recordor, et sic etiam indubie in Domino testor Patres Sancti Francisci Ordinis Min. Regularis Observ. Conventus Divae Virginis miraculosae Tersactensis, dum ego officium Parochi per plures annos in eadem terra tempore Capitaneatus Ill'mi Domini Petri Cicciniolini, et in simul Cancellarium agebam, semper piscaturam ad eorum libitum in fluvio *Recha* vulgo dicto usque ad *Zuir* exercuisse, et in tali piscationis imperturbato exercitio, dum ad meliorem Parochiam videlicet Clanensem promotus discesseram, illos reliqui, dum vero elapsis

aliquot annis nempe 25. iterum Tersactum redux fui pro Parocho,³⁷⁰ et Cancellario sub officio Capitaneatûs Ill^{mi} Domini Petri Baron. de Argento, praefatos Patres Franciscanos pariter in antiquo possessu, et continuatione piscationis in praedicto fluvio, et *Fiumara* reperi, et ad praesens usque tempus non solum ab aliis audivi, sed et ipsemet â mea Parochiali domo praedictos A. R. PP. cum illorum famulis piscari vidi. In cujus rei fidem praesentes propria manu quaesitus extradedi, subscripsi, et meo solito sigillo roboravi. Tersacti die 18. mensis Septembris Anno Domini 1680.

(L. S.)

Ego Joannes Cucich Parochus, et Canc^{trius} Tersactensis.

V. Testimonium, seu attestatio Ill^{mi}, et R^{mi} Episcopi Scopiensis,³⁷¹ et Electi Segniensis, quod Fratres S. Francisci Conventus Tersactensis semper piscaturam exercuerint in fluvio *Recha*, seu *Fiumera* sic sonat: Ego infrascriptus Episcopus Segnien. etc. in conscientia, et verbo honoris indubiè attestor, me anno proximè praeterito in Majo, ad instantiam, et preces Ill^{mi} D. Baronis ab Argento Capitanei in Terzatt, eò de industria contulisse, ut ortas quasdam controversias inter ipsum, et Ad'm R. R. P. P. Ordinis Sancti Francisci strict. Observ. ad B. V. ibidem in Terzatt meae dioecesis, de pleno componerem, quas, et annuente Deo pacis, charitatisque auctore feliciter composui, transegique inter caetera et illud, et quando, et tempore mei Domini Parentis piae mem. pariter Capitanei in Terzatt, et semper Venerab. illud Coenobium vi foundationis D. D. Comitum proprietariorum Arcis, et Bonorum Terzatt, tum et usus immemorialis piscationem exercuerint in proximo fluvio territorium coram, et molendinum praeterfluente, et porro exercere. Hocque jure uti iis liberum esto. Quod et jus, secuto inde tempore Ad'm R. P. Guardianus liberè exercuit, atque imperturbatè. Datum Flumine die 24. Septembris Anno 1680.

Abb's Cychulini lib. Baro

E. Episc. Segn. et Modruss.

(L. S.)

VI. Visis praefatis **attestationibus**, et **litteris foundationalibus Martini de Frangepanibus** I. A. Camera sententiam tulit pro Fratribus Minoribus Conventus Tersactensis, cujus **decretum** antequam adferam, lubet adducere **litteras D. Christophori Surian I. A. Camerae Consiliarii, et Logographi ad D. Capitaneum Fluminensem Baronem de Argento scriptas**, quae hujus sunt tenoris:

Ill^{mo} Sig^{tr} Sig^{tr} Pron'e Col'mo!

Mi dispiace grandemente, che VS^{ta} Ill^{ma} habbi prohibito alli M^{to} Rndi Padri di Tersatto la pesca nella Fiumara, la quale più compete à loro, che ad'un Cap^o di Fiume per la confirmatione, et privilegi, che hanno dalla Majestà di Massimiliano 2^{do} Imperatore, il quale ha anco cesso tutto il suo gius pescandi oltre la metta, che godevano prima, mediante il Gius. datogli dal primo Fondatore

Conte Martino de Frangepani, et potrà essere, che per l'avenire li Sig^{ri} Capⁱ gode-
rano poche trutte, poiche trovo, che il Sig^r Baron della Rovere ne doveva mandare
delle somme immarine, et alla Corte, et all' Ecc^{sa} Camera, et facil^{te} si dara l'in-
combenza al Sig^r Antonio Troyer: il decreto Camerale parla, che VS^{ra} Ill^{ma} dovere
ricercare dalli P. P. la editione de loro privilegi, et quelli manda fora alla Camera,
et non semplicemente fare la prohibitione, poiche sua M^{ta}, et l' Ecc^{sa} Cam^a non
pretende cose ingiuste, et levare il Gius, ch' ad altrui aspetta, massime à N. S. Giesu
Christo, et la beat^{ma} Vergine, che furono sostituiti per Erede, et consequentemente
hora in loco d'essi li M^{to} R^{ndi} Padri comprehendendosi fra questa fondatione anco
la mittà della Fiumara, che poi Massimiliano 2^{do} li rinontio anco la sua portione,
et Gius pescandi, chi vorrà levare alli Religiosi il suo, non haverà mai fortuna,
bisogna viver, et lasciar vivere, et non ingiustamente impedire il prossimo il suo
Gius, che godevano piu di 200. Anni in quà, però staremo addendo quello VS^{ra} Ill^{ma}
risponderà, et informerà sopra il qui annesso memoriale, nel mentre farebbe bene
di accommodarsi, et lasciar godere pesci, a chi tocca. Nel tempo delli Sig^{ri} Baroni
della Rovere, et godevano le trutte li Sig^{ri} Capⁱ, et anco li PP. conforme il Bisogno,
et ne mandavano ancora fori, et era la benedittione di Dio, hora, che si vole mangiar
solo, et levare alli P. P. il suo Gius, cessa la benedittione, et per questa causa facil^{te}
sentirà altri sinistri progressi nei suoi Interessi, il che grandemente mi dispiacereb-
be, restando per altri.

Di VS^{ra} Ill^{ma}

Graz li 11. Marzo
1681.

Obl^{mo}, et devot^{mo} Serv^{re}
Christophoro de Surian.

VII. Duobus mensibus nondum elapsis **hanc epistolam** ab Amico ad ami-
cum scriptam secuta est **Cameralis** in favorem Conventus, et Ecclesiae Tersactensis
facta **resolutio**, quam **ex Originali in Archivio Tersactensi** asservato huc transcribo,
et hunc continet sonum:

Wohlgebohrner Freyherr, besonders Lieber Freund und Herr. Dem Herrn
ist ohne dem bewust, was nit allein der P. Guardian und Convent der Franciscaner
zu Tersath wider denselben der Ihnen unlengst eingestellten Vischerey halber in der
dasselbstigen Fiumara, oder Fluss Recha beschwert: sondern was derselbe auch
auf dern Vernembung unter dato 13. April negsthin hierüber für einen bericht, und
zwar neben anführung anderer derenthalben beschehenen Vischerey einstellungs
Vrsachen dergestalten erstattet hat, das wan sie Patres Franciscaner ihre Privilegien
vorhero edirt hetten, Ihnen das Vischen daselbst niehmalen verwehrt worden noch
noth gewesen were derenthalben alhero zu recursiren, und der Herr dahero darwi-
der weiter nichts zu moviren habe, und gleich wie Wir nun auch mittels anderer in
sachen eingezogener Information Ihnen Patribus Franciscanern Crafft ihrer Funda-
tion bedeutes Vischen an gedachter Fiumara nit absprechen können, alß wolle der
Herr Sy Patres bey Ihrer habendten, und docirten uralten Vischens gerechtigkeit,
deren sich die selben mit ihren bedienten und Mühlleithen auch fürohin praevaliren
khünnen, in ruhiger possess lassen und Sie weiter nit turbiren. Vnd

weillen auch vorkumbt, das die Fiumaner widerumben anfangen von denen armen KirchFahrten, so zu unser lieben Frauen auf Tersath und über die Pruggen des gemelten WasserFluss Recha gehen miessen, von jeden einen sold alß gleichsam ein Mauth zu erzwingen, da doch diese Pruggen nur auß Ihro Kay. May. Peitel, nemlich auß der neünen sein anlag erbauet, und Ihnen Fiumanern solche schon vor diesen ainigstmahl auch angemaste sold praetension von vnsern Anno 1678. darinnen in loco gewesten Commissarien gemessen inhibirt worden, und weilen durch dergleichen neüe zohl erpressung die andacht verhindert und geschmellert, auch denen armen geistlichen gleichsam das allmosen benumben wurde, alß befehlen wir dem Herrn hierauf, das derselbe Ihro der Stadt zu Fiume auch diese anmassende abforderung des solds von denen über die Pruggen gehenden KirchFahrtern bey betrohenden Entziehung der nova imposta ganz ernstlich einstellen, und verbieten solle. Dan hieran beschicht Ihr Kay. May. allergnedigster will und Mainung. Graz den 5. May Anno 1681.

N. der Römisch. Kay. auch zu Hungarn, und
Böheimb König. May. etc. Verordnete I. Ö.
HofCammer Praesident, und Räthe.

VIII. Ex hoc Caesareo Rescripto patet, quod Ill^{mus} D. Petrus L. B. de Argento Capitaneus Fluminensis excusabilis sit, quod Patribus Franciscanis piscationem in Fiumara interdixerit, quia ignorabat, ut semel asseruit, privilegia Fratrum Conventus Tersactensis: Ast excusabilis minimè est D. Dominicus L. B. de Montanari Capitaneus pariter Fluminensis, et Tersactensis, quia privilegia jam edita, et decisionem Camerae I. A. factam anno 1681. scire debuit, et secundum illam se dirigere, et non caeco impetu Fratribus Piscationem interdicere. Contigit quippe, quod Fratres die 28. Junii in Vigilia Ss. Petri, et Pauli anno 1720. piscarentur, quod advertens D. Josephus Antonius Zanchi locumtenens (nam D. Capitaneus tunc Vienna erat) misit milites Arcis Tersactensis cum duobus lictoribus Fluminensibus, ut tollant retia, et piscationem impediunt: milites non tantum mandatum Capitanei executi sunt quoad retia, sed etiam famulum Conventus nomine Joannem Callin sequenti die arctae Custodiae in Arce Tersactensi manciparunt, ubi 11. diebus incarcerationis detinebatur. Videns Conventus violatam jurisdictionem Ecclesiae B. V. recurrit pro remedio ad Excelsam I. A. Cameram; haec et in re controversa securè procederet, exquisivit non tantum à Conventu Fratrum Minorum, ut **sua instrumenta litteralia** pro suo jure firmando ostendant, sed etiam, ut D. Capitaneus suas praetensiones, et responsiones ad objecta Fratrum palam faciat.

IX. Quaelibet pars suas praetensiones adferebat, et quaevis victoriam reportare voluit: consideratis verò, et benè perpensis utriusque partis documentis, et rationibus (quas hìc brevitatis causa omitto)

Excelsa I. A. Camera in favorem Conventus Tersactensis contra Ill^{mum} D. Capitaneum Fluminensem Dominicum Bar. Montanari tulit sententiam sub die 18. Julii 1722. quae ex Originali desumpta sic sonat:

Ehrwürdig Geistlich Liebe Freünd. Demnoch Wür die von dem H. Hauptman zu Fiume Baron von Montanari denenselben strittig gemachte Fischensgerechtigkeit reiflich haben überlegen lassen, und befunden worden, das die Fundationales ganz Clar und unwidersprechlich sich befinden und das Ihnen gnädig zuegegeben worden seyn, das Fischen biß Helffte des Fluss Reka oder Fiumara auf 33. Passus zu exerciren.

Als hat man sub hodierno dem H. Hauptman zu Fiume rescribiert, und aufgetragen, das selbiger Sye P. P. in der Fischensgerechtigkeit in bemelten Fluss Reka oder Fiumara bis auf 33. passus zu verstehen, gleiches beyliegender §^{us} des mehrern erweist, unperturbirt lassen, da hingegen darob seyn solle, damit sie P. P. mit dem Fischen sich ultra limites fundationis et concessionis Sub poena privationis nicht extendiren. So Wir thuen P. P. solches hiemit zur Nachricht und fehrrern direction in Gnaden erinnern. Dan es beschicht auch hieran Ihrer Kay. und König. May. etc. allergnedigster Will und Mainung. Graz den 18. Julii 1722.

N. der Römisch. Kay. auch zu Hispanien, Hungarn und Böhaimb König. May. etc. Verordnete
I. Ö. Hoffcammer Praesident und Räthe.

X. Litterae verò Excelsae I. A. Camerae sub eodem dato ad Ill^{mum} D. Dominicum L. B. de Montanari Capitaneum Fluminensem, et Tersactensem scriptae hujus sunt tenoris:

Wohlgebohrner Freyherr, besonders Lieber Freynd und Herr. Über die von dem Herrn denen P. P. Franciscanern zu Tersath strittig gemachten Fischensgerechtigkeit auf der Fiumara, oder so genanten Reka geben wir demselben so viell zu verstehen, wass massen die Fundationales ganz Clar und der de anno 1681 ergangenen Resolution ganz conform, craft welcher denen P. P. Franciscanern zu obbesagten Tersath die Fischensgerechtigkeit erkenet und confirmiert worden seye, auch der erste Frangepanische Fundations-Brieff von der Reka oder Fiumara meldet, cum additione das dieser Fluss, in welchen obbenante P. P. Franciscaner auch zu fischen berechtiget seyn, Fiume von Tersath scheidet, das Ihnen P. P. aber auch vermög des anderten Fundations Brieff etwas donirt worden, so ist doch solches ex post erfolgt und damit die erste Fundation nicht gehoben, sondern nur nach sein des Fundatoris vor seinen Todt gethane Erklärung augmentiert und

verbessert worden, consequenter bleiben beede Foundationes in ihren Vigor und weilen sie Franciscaner nicht allein den in claris terminis lautenden Frangepanischen Foundations brieff, sondern auch den über die vorhin schon Ehemahlig in Disput gezogene Fischens Gerechtigkeit in favorem erhaltenen Hoff-Cammeralischen Ausspruch vor sich haben; alß finden Wir in der billichkeit zu seyn, das Ihnen P. P. Franciscanern zu Tersath solche gestüfte Fischensgerechtigkeit lauth deren producirtten claren Instrumenten rechtmässig gebühret und solche mit guetten Fueg nicht abgesprochen noch benomben werden kan. Diesem nach Wir ihme Herrn hiemit auferlegen, das derselbe so wohl vigore gedachter claren Documenten als auch der ergangenen Judicatum offermelte P. P. Franciscaner zu Tersath in der Fischensgerechtigkeit auf die Helffte des Fluss Reka oder Fiumara, und zwar nach Innhalt beyfündigen § auf die 33. Passus weith hinauß (nicht aber weiter zu verstehen) unperturbirter lassen und ihnen das abgenommene Náz, fahls er Herr solches annoch beyhanden und Sie Franciscaner intra triginta trium passuum gefischt haben, alsogleich vertituiren, hingegen darob seyn solle, damit sie P. P. Franciscaner mit dem Fischen ultra limites foundationis et concessionis sub poena privationis sich nicht extendiren. Dan hieran beschicht Ihrer Kay. und König. May. etc. etc. allergnädigster Will und Mainung. Graz den 18. Julii 1722.

N. der Römisch. Kay. auch zu Hispanien, Hungarn und Böhaimb König. May. etc. etc. Verordnete
I. Ö. Hoffcammer Praesident und Räthe.

XI. Paragraphus in supra allatis litteris allegatus desumptus est **ex litteris primis fundationalibus de dato Novi 7. Aprilis 1431. Martini Comitis de Frangepanibus**, et sic sonat: *Deinde per viam publicam ad angulum Capellae nostrae Sancti Georgii penes Castrum ex parte orientali: deinde directè descendens per montem incultum ad Flumen, quae quidem dividit Recham cum castro nostro Tersath per medium fluminis, longitudinis 33. passuum per medium laci maris versus partem occidentalem.* Hunc genuinum Frangepanicum textum D. Dominicus Montanari Capitaneus Fluminensis cum sibi adhaerentibus in alienum à mente fundatoris sensum interpretari conatus est; ajebat enim, confinium Ecclesiae Tersactensis esse *per montem incultum ad Flumen* (id est *Zuir*, seu à scaturigine fluvii Fiumarae) *per medium Fluminis longitudinis 33. passuum*. Quasi diceret: *Patribus Franciscanis esse licitum piscari usque ad medietatem Fluvii incipiendo à confinio Zuir usque ad longitudinem 33. passuum*: Sicque piscatis illis nec penes eorum Molendinum licita esset: Verum enimverò si textus praedictus penitius consideretur, ita intelligendus erit: confinium Ecclesiae Tersactensis incipere à flumine dicto *Zuir* per medium fluminis (Fiumarae) usque ad mare, dein vero per mare *longitudinis 33. passuum per medium laci maris versus partem*

occidentalem, sicque Fratres per integrum fluvium Fiumaram usque ad medietatem fluvii jus piscandi habent, quia fundus Ecclesiae se extendit â *Zuir* usque in mare, et deinde piscatio in mare se extendit ad 33. passus usque ad lapidem triangularem. Ista interpretatio firmatur aliis rationibus; nam antequam pons extructus esset, habebant Fratres naves, quibus deducebant Fluminenses volentes, ex territorio Tersactensi ad alteram aquae partem: ponte verò extructo Excelsa Camera omnia emolumenta ad se traxit, Conventui verò loco praedictorum proventuum ex telonio Fluminensi annuè tribuit f. 165. g. m. dein quando cadaver ex Civitate Tersactensi effertur, illud nos in medio pontis excipimus, quae omnia non fierent, nisi Fratres etiam ibidem jus haberent in medietatem aquae.

XII. Cum toties, ut visum, Dominorum Fluminensium Fratribus jus piscandi in Fiumara adimere volentium iniqui conatus repressi fuerint, putabant Fratres se praedicto jure imperturbate futuros, ast spes eos fefellit, nam anno Domini 1735. Domini Fluminenses denuo Fratres â suo jure deturbare conabantur, voluerunt enim strenui, et fideles jurium Excelsae Camerae defensores videri, quasi verò Excelsa Camera alios suo jure privare vellet, cum tamen pronissima est ad jus suum cuilibet tribuendum, ut ex ejusdem declarationibus patet: et ideo etiam in hoc casu demandavit sub die 30. Julii 1735. Ill'mo D. Capitaneo Buccarensi, et Tersactensi sartori, ut jura Fratrum Minorum Conventus Tersactensis sarta tecta conservare studeat, eosque ab omnibus injustis impetitoribus defendat, ut colligitur **ex Originali Rescripto Ex^{tae} Camerae** ad P. Guardianum Tersactensem eadem die dato, quod hujus est tenoris:

Ehrwürdig, Geistliche, Liebe Freünd. Gleichwie Wir in ersehung deren Fondations brieffen und vorhin in Sachen von vns ergangenen Verordnungen die Ihnen P. P. mit allen Rechten zuhabende Fischerey auf der Fiumara oder Reka 33. passuum in der [†]-ge in der Halbscheidt gedachtes Flusses kheines weegs zu benemben, sondern vielmehr hierbey zu schützen gesinnet: übrigens aber solche an Vns zu lösen nicht willens seynd.

Alß haben Wir auf die von Ihen P. P. bey uns eingeraichte beschwärde, das solche Fischensgerechtigkeit von einigen turbiert werden wolte, an unsern mittels Rath, und Hauptman Ambts Verwalter zu Buccari, und Tersath Herrn von Sartori unter heüntigen Dato die Verordnung erlassen, das selber sothane gerechtigkeit 33. passus auf der Halbscheidt gedachter Fiumara fischen zu können keines weegs beentrechtigen lassen, sondern diese vielmehr wider alle diejenige, so etwas entgegen handeln wolten, handhaben solte.

Das also diese Clag hiemit ex officio aufgehöbt und solches demnoch Ihnen P. P. zur nachricht bekant gemacht würdet. Dan hieran beschicht Ihrer Römisch. Kay. May. allernädigster Will und Mainung. Graz den 30. Julii 1735.

N. der Römisch. Kay. auch zu Hispanien, Hungarn und Böhaimb König. May. Verordnete I. Ö. Hoffkammer Vice-Praesident und Rätthe.

XIII. Mirandum sane est, quod D. D. Fluminenses tam zelosi fuerint in tuendo jure Camerali circa piscationem in fluvio Fiumara, non attendentes ad piscationem in mari, in qua possessione Fratres imperturbatè semper reliquerunt, cum etiam piscatio in mari pertineat ad jus Camerale: Ratio hujus rei in promptu est, nec aliena à veritate quamvis fors aliquibus minus accepta: nam D. D. Fluminenses saepius viderunt Fratres in Fiumara piscantes, nunquam verò in mari: quia Fratres ob defectum retium in mari per proprios famulos nunquam piscati sunt, sed facultatem piscandi dederunt, sicut et hodie fieri assolet, piscatoribus Fluminensibus erga annuam aliquorum pisciculorum recognitionem: hinc contigit, quod Fluminenses jus piscandi Fratribus in controversiam vocaverint tantùm tunc, quando ipsis praesentibus piscatio instituta fuit, non autem tunc, quando ipsis absentibus eadem instituebatur.

§. III.

De Trajectu, seu ponte suprà Fiumaram, et domo penes Braidam.

I. Ex Litteris piae reminiscentiae Martini Comitis de Frangepanibus exaratis die 7. Aprilis 1431. clarè patet, quod praeter alia bona Ecclesiae Tersactensi donata etiam Vadum, seu Trajectus comprehendatur, prout illa verba indicant: *Ac dedimus insuper dicto Monasterio Vadum nostrum.* Habuerunt Patres nostri ex parte territorii Tersactensis unam naviculam, in qua homines Flumen ire volentes trans aquam Fiumaram deducebant, alteram navim habebant ex parte adversa Domini Fluminenses, qui Flumine ad Tersactense territorium euntes transportarunt. Conventus emolumenta Trajectus semper aliis erga annum censum elocare consuevit, qui juxta hanc Tariffam à transeuntibus solutionem exigebant:

<i>Tariffa.</i>	Per Entrata Soldi	per Uscita Soldi
Per una somma d'oglio	—"	2.
..... Mielle	6"	—
..... Sale	—"	2.
..... Legname	3"	—
per un Manzo	4"	—
..... una Vacca	3"	—
..... un porco	4"	—
..... tre Castratti	2"	—
Per tre Agnelli, ô Capretti	1"	—
Per una somma di Cera	12"	—
Per un fagotto compreso l'huomo, che lo porta	2"	1.
Per una somma di vino da forastieri	4"	2.
Li Paesani sono franchi.		
Per una persona foresta	1"	—
Et ciò s'intende, quando anco viene con il cavallo voto.		

Per ogni somma di rasse	—"	3.
Per un rodolo di rasse	—"	1½
Per una somma di frumento, ò altro, li suditi di Grobnicho	2"	—
Gl'altri	3"	—
Per un carro di legname	3"	—

II. Cum autem saepius naves naufragium passae sunt, et multi homines submersi, prout etiam quidam P. Joannes Ferlanich actualis Guardianus Tersactensis anno 1584. submersus fuit, decrevit Communitas Fluminensis ad evitanda tot mala pontem suprà Fiumaram suis expensis sine aliquo dispendio Fratrum Conventus Tersactensis aedificare anno 1638. prout se **Communitas** declaravit **his formalibus**:

Si dichiara con la presente scrittura, qualmente questa Magnifica comunità di Fiume s'e risolta di fabricar un Ponte sopra la Fiumara per scarico della sua coscienza per non haver da render conto â Dio di tante anime, che annualmente si sono somerse in questa acqua senza poterseli dare ajuto alcuno, senza spesa, ne intachò del Monasterio delli R. R. P. P. della Madona S^{ma} di Tersatto dei Minori Osservanti di S. Francesco, et â spese della sud^{ta} comunità perpetuamente mantenerlo, come fà del Porto senza spesa alcuna de sudetti P. P. facendosi il Ponte levadore della parte di Fiume, et della parte delli Padri vicino al ponte, si facci un rastello, acciò tanto questo della parte di Fiume, quanto della parte delli Padri possino tenere serati unitamente, et unitamente aprire, che perciò li moltò R. R. P. P. il P're Leone Magliavaz Provinciale, et P're Francesco Glavinich per la autorità, che tengono dal R^{mo} P're Michaelae Chumar Com^{rio} Generale per Germania, si contentano, et acconsentono â questa Santa opera, come giurisdicenti della parte della Fiumara verso Tersatto, che la sudetta Magnifica Comunità possa edificarvi il detto Ponte nella loro giurisdittione, come fà del Porto senza spesa del sudetto Monasterio. La qual Scrittura per corroboratione delle sudette cose sarà sottoscritta, et sigillata d'ambe le parti ad perpetuam rei memoriam facendosene due simili per tenere una per parte, così, et con ogni miglior modo etc.

III. Circa annum 1663. cum pons prior ex ligno fabricatus ruinam minaretur, proposuerunt DD. Rectores, et Iudices Civitatis Fluminensis novum ex lapide pro perpetua perennitate aedificare. Quem in finem Fratribus Conventus Tersactensis quaedam puncta proposuerunt, et quidem primò, quod vellent ipsi suis expensis aedificare pontem hac adjecta conditione, ut Conventus renuntiet omni juri, et emolumentis, ex ponte provenientibus. Secundò, quod â Peregrinis sive processionaliter, sive individualiter ad Thaumaturgam Virginem Tersactensem accurrentibus nil praetendere vellent, neque quidpiam exigere â transeuntibus Fratribus famulis, aut res sive emptas, sive mendicatione acquisitas pro Conventu ducentibus. Quia verò Fratres emolumentis pontis tamquam ad Ecclesiam spectantibus renuntiare non poterant, petierunt D. D. Fluminenses

ut Conventus aequè concurrat ad expensas, ast quia hoc repugnat Contractui ante hac (ût suprâ insinuavi) cum Communitate Fluminensi inito, Fratres, ut ab hoc onere liberarentur, ad suam Caesaream Majestatem Leopoldum I. recursum fecerunt, â quo favorable obtinuerunt **Rescriptum**, ut **ex ejusdem Originalibus litteris ad Judices Civitatis datis die 4. Junii 1663** patet, quae hujus sunt tenoris:

Leopold von Gottes Gnaden Ehrwehlter Römischer
Kayser, zu allen zeiten Mehrer des Reichs.

Getreüe, Liebe. Waß gestalt sich N. Guardian, und Convent S. Francisci zu Tersath beschwären, umb das die Communitet alda zu St. Veith am Pflaumb, die Prukhen über den Fluss Fiumara alleinig auß ihren Mitteln nit aufzubauen, sondern dem Closter gleichfahls ihres Theils Vncosten darzugeben auftragen, oder aber ihres Theils gebäu bey solcher Prukhen verichten solten; welches Begünen dem zwischen Ihnen theiln aufgerichteten Contract gestrakhs zu wider seye, danenhero demüthigst gebetten, Wür geruheten die Communitet zu völliger auferbaung und continuirlicher erhaltung solcher Prukhen, wie auch der schranken: reihen: oder schlagprukhen, alß der Contract vermöge, ernstlich anhalten und Sie zu ainichen Vnkosten nit betragen lassen wolten, das alles gibt der Einschluss des aigentlichen zu ersehen. Sintemalln ermelte Supplicanten sich auf getroffenen claren Contract bezüegen thuen, und derentwegen sich hierzue kheines weegs verstehen können. Diesemnach ist unser gnädigster bevelch hiemit, das Ihr diesen Ihren Begehrn statt thuen, es wären dan erhebliche bedenken, solche Vnserer I. Ö. Regierung fierderlichen eröffnen sollet. An deme beschicht Vnser gnädigster Willen und Mainung. Graz den 4. Junii Anno 1663.

Commissio Sac^{tae} Caes^{tae} Majestatis
in Consilio.

Max. G. von Herberstein
Vice Stadthalter
Valentin Webern
Canz. Ambts Verwalter

G. Gottfrid G. Kolonitsch
Wolffg. Markovitsch

IV. Non obstante hac [**Caesarea**] regia³⁷² Resolutione Judices Fluminenses â Conventu praetendebant annuè 12. f. pro reparatione pontis, quos Conventus aliquot annis tribuebat: obtulit quidem V'Diff'rium die 4. Oct. 1668. semel pro semper dandos f. 200. ast D. D. Judices Fluminenses non videbantur fuisse contenti, cum praedicti f. etiam annis posterioribus contributi legantur: Cùm autem deficiente Fluminensi aerario, Pontem sua Caes^{ta} Maj. ex Caes^{to} aerario videlicet ex proventibus

novae supra vinum impositionis fabricari curâsset, dicta 12. fl. pensio etiam cessavit. Quamvis verò Pons ex Camerali cassa aedificatus erat, tamen D. D. Fluminenses à Peregrinis per pontem transeuntibus unum solidum exigere coeperunt, quorum conatum non tantùm **Leopoldus I. die 5. Maji 1681.** cohibuit, sed etiam renovatum **Carolus VI.** totaliter suppressum voluit, ut **ex ejusdem litteris ad Judices Civitatis die 30. Januarii 1715. datis** patet, quae hujus sunt tenoris:

Carl ec. ec.

Welcher gestalten bey Vns P. Petrus di Fiume Guardian wie auch das Sambentliche Convent deren P. P. Franciscanern zu Tersath umb abermahligen gnädigsten Befelch an daselbstigen Hauptman, und selbige Communitet ergehen zu lassen, damit sie der untern 5^{ten} May 1681 erlassener Verordnung gehorsambist nachleben, mithin die Pilgramb, und wahlfarter, welche so wohl einschichtig alß Trouppen, oder Procession weis die Pruggen bey der Fiumara passieren, unaufgehalten übergehen lassen, und von Abforderung ungebührender biß dato eingenommen Zoll eines Solds abstehen und sich enthalten sollen, und zwar um soviell mehrers, weil diese Pruggen nicht von der Communitet gefällt, sondern von der Nova imposta und auß den Landsfürst. Aerario erhalten wurde, solches verstendiget der einschluss des mehrern.

Worauf Vnser gnädigster befelch hiemit ist, das Ihr ingestellten deren Supplicanten Begehren statt thuen, fahls aber erhöbliche bedenken dargegen, selbe alsogleich zu Handen Vnserer I. Ö. Regierung und Hoffcammer berichten sollet. Dan etc. Graz den 30^{ten} Jener 1715.

V. Cum autem Carolus VI. Romanorum Imperator Flumine Carlostadium usque viam Regiam fieri curâsset, voluit etiam omnia particularium personarum telonia, et vectigalia titulo emptionis suae Camerali aerario incorporare, in hunc finem Excelsa Camera Aulica requisivit P. Guardianum Tersactensem, ut praefata emolumenta pontis, suae Caesariae Majestati cederet, et quemdam Plenipotentiarium Graecium amandaret ad concludendum Contractum: tergiversabatur Guardianus, non quod pontem alienare non velit (cum jam V'Diff'rium A^o 1672. illum Camerae Graecensi erga annuam eleemosynam, ut à vexationibus Fluminensium liberaretur, cedere voluerit), sed quia id absque Sedis Apostolicae consensu facere non potuit. Cum autem Excelsa Camera Graecensis morae impatiens fuisset, amandatus fuit Graecium D. Franciscus Laurentius Fraccassa J. U. D. Syndicus Apostolicus Conventus Tersactensis, qui die 4. Junii 1727. sequentem cum Excelsa Camera contractum inivit:

Zu Wissen, das an heünte zu Ende gesezten Dato zwischen der hochlöb. I. Ö. Hoffcammer an einen: dan Francesco Lorenzo Fraccassa Syndico Apostolico, als von N. Guardian und Convent des Franciscaner Ordens zu Tersact abgeordneten Plenipotentem

des andern Theils nachfolgender respectivè Kauff- und Verkauf's Contract abgeregelt und unwiderrufflich geschlossen worden, wie folgt.

Primò. Nachdem seine Röm. Kay. und König. Cath. May. etc. etc. anoch unter Dato 17^{ten} April und 21^{ten} 7^{ber} verwichenen 1726. Jahrs sich dahin allergnädigst resolvirt haben, die in dero I. Ö. Erb-Fürstenthumben und Landen auf denen HauptCommercialstrassen sich befindende particular Mauth kauflichen an sich zu bringen, einfolglich auch crafft hereingelangen besondern Kay. Resolution von 18^{ten} Jener instehenden Jahrs allergnädigst anbefohlen haben, das auch die an der Fiumara zu Fiume befindliche, und von bemelten P. P. Franciscanern zu Tersact besizende Mauth bey dasiger Pruken abgelöset werden solle, mithin zu dessen gehor. befolgung sie P. P. Franciscaner zu Tersact vermittels ihren Syndicum Apostolicum und ad tractandum abgeordneten Plenipotentiarium Francesco Lorenzo Fraccassa remonstrirt haben, das sie vorbesagte Mauth allein ohne darzu gehöriger behausung und der Pesca, oder Fischfangs, vermög producirten Original-bstands Contract D. 6. Jener 1701 von ihren Bstands Inhaber Vincenzo Pillipich von anno 1701 biß anhero Jährlichen dem Bestand in paaren geld mit 100 Ducati oder 113 f. 20 Xr' teütscher weh. dan 200 lb. frischer Fisch, so in ordinari pretio 20. f. t. W. betragete, nicht allein richtig eingenommen und genossen hätten; sondern das auch bemelter Ihr Mauth Bestand Inhaber Vincenzo Pillipich vi contractus verbunden worden wäre, wochentlich à parte 2 lb. frischen Fisch dem Convent zu reichen und das ganze Jahr hindurch ein eigenes Schiff auf Ihre requisition so wohl zu überführung der Convent Geistlichen und deren bedienten, als auch ihrer Victualien, und eingebrachten allmosen zu halten, und nebst deme auch bey jedmahliger arri- virung deren Commercial, und andern Schiffen dem Convent die alsobaldige Notiz zu geben, damit sie ihre allmosen hieruon haben einbringen können: Vnd wie nun bey der Tractation auch vor diese 3 leztere contractmässige Dienstbahrkeiten 31. f. 40 Xr' versprochen und andern Theils angenommen, mithin die völlige ertragnuss dieser Mauth auf Jährliche 165. f. aestimirt worden ist. Als verkaufft hiemit an sie Hochlöb. I. Ö. Hoffcammer vorbemelter Francesco Lorenzo Fraccassa im Nahmen des N. Guardian, und des Convent Franciscaner Orden zu Tersact solche seine bey Fiume an der Fiumara possidirende, und mit keinem onere belegte Mauth ohne der Behausung, und des Fischfangs (als welche zwey leztere weitershin in futurum wie biß anhero selbigen Convent in eigenthumb verbleiben solle) so gestaltig, wie solche Mauth vorhero von gemelten Convent zu Tersact, so dan aber von dem Ihrigen Bstand Inhaber vermög extradirender Tariffa eingenommen und genossen worden oder vor Rechts und billichkeit wegen hätte eingenommen und genossen werden können, mögen, und sollen mit dieser expressen Bedingnus, das offt bemeltes Convent Franciscaner Ordens zu Tersact sich künftig hin keines ersinlichen Mauth oder derglei-

chen Rechts, und Einnahms von der Pruken an der Fiumara zu Fiume betragen, praevaliren, oder einnehmen könne, massen gedachter Fraccassa alß Plenipotentiarus all sein anhabendes Recht und Befugnuss an Sie hochlöb. I. Ö. Hoffcammer in optima juris forma übergeben, und verkauft haben will. Dagegen und weilen

2^{do} bemelte Mauth an der Fiumara bey Fiume alljährlichen in contanti, oder in paarer Gelt mehrer nicht alß 113. f. 20 Xr' teütscher weh. dem Convent abgeworffen und der übrige Genuss von jährlichen 200 lb. und respectivè 104, lb. frischen Fisch, dan des dienstbahren schiff und der schuldigen ansagung deren ankommenden schiffen sich aus erhöhlichen motiven nicht zu Capital anschlagen lasset, als verspricht sie hochlöb. I. Ö. HoffCammer oft bemelten Fraccassa Bevollmächtigten von N. Guardian und dem Convent Franciscaner Ordens zu Tersact zu einen wahren und realen Kauffschilling, das von dem zu 5. pr' Cento angeschlagen und respectu des jährlich vorgegebenen bestands pr 113 f. 20. Xr' teütscher weh. in Capitali 2266. f. 40. Xr' betragen den Quanto abfallend, und eben auf 113 f. 20. Xr' calculirte Interesse zu 5 pro Cento annuè zu entrichten. Weillen aber

3^{io} besagtes Convent Franciscaner Ordens zu Tersact sothanes Kauffschillings Capital pr' 2266 f. 40. Xr' teütscher wehrung nicht zu erheben, sondern solches mit der Hypothec auf die verkaufte Mauth an der Fiumara zu Fiume bey dem Kay. Aerario auf Interesse ligen zu lassen verlanget, so obligiert sich auch hochgedachte I. Ö. Hoffcammer Ihme Convent Franciscaner Ordens zu Tersact das hiervon auf 5. pr' Cento fallendes Interesse mit 113 f. 20. Xr' teüt. we. in quaterberlichen ratis jährlich und auf ewig (so lang dieses Kauffschillings Capital bey dem Kay. Aerario ligen verbleibet und bemelten Convent nicht etwo bey vorgefahlener Bedürftigkeit mit vorhörigen allergnädigsten Consens S^r Kay. König. und Cath. May. etc. etc. entweders in partem vel in totum außgefolget werden müste) bey dem Kay. Mauth OberEinnehmer Ambt zu Fiume gegen Quittung paar und ohne abgang bezahlen zu lassen. Was folglichen und pro

4^{to} dem contrahirten Betrag vor die alljährlich â parte in Zweyen Posten genossene 304. lb. frischen Fisch, wie auch gehabte Dienstbahrkeit des Schiffs und der schuldigen ansagung deren ankommenden Schiffen anlanget, da verspricht und obligiert sich gleichmässig sie hochlöb. I. Ö. Hoffcammer bemelten Francesco Lorenzo Fraccassa Syndico Apostolico et Plenipotentiaro des Convent Franciscaner Ordens zu Tersact jährlichen mit 51. f. 40. Xr' auf ewig zu quaterberlichen Ratis gegen besonderer Quittung bey obgemelten Kay. Mauth Ober Ambt zu Fiume paar und richtig abführen zu lassen. Nebst deme pro

5^{to} Will wohlgedacht hochlöb. I. Ö. Hoffcammer auch in Gnaden zugelassen und concedirt haben, das nicht allein die Convent Geist-

Lichen, und ihre Leith, sondern auch ihre allmosen, Victualien und andere nothwendigkeiten, wie sie Nahmen haben mögen, wan selbige wücklichen dahin, und für das Closter allein ohne Verkauß oder Handels gehören, es mögen hernach getragen, oder geführt werden: wie dan auch die Procession weiss dahin nacher Tersact gehende Peregrini, oder Kirchfahrter, so viell die Persohn derselben anlanget, von der Mauth, wie biß anhero auch fehrnershin in futurum gänzlichen befreyet sein sollen. Hingegen, und gleichwie pro

6^{to} bey der Tractation vorgestellet worden, das oft gemelte Mauth nicht allein mit keinem onere belegt, sondern auch, das die Stadt Fiume so wohl vermög des mit Ihro Stadt stipulirten Contract alß crafft Foundations Privilegien auf ewig schuldig seye, die völlige Pruken über die Fiumara auf eigene Vnkösten beständig, und in wandelbaren stand zu erhalten, also will sie hochlöb. I. Ö. HoffCammer sich auch dessen mit dem expressen Vorbehalt versichern; allenfahls es in futurum über kurz, oder lang heraußkommen möchte, das das Kay. Aerarium zu dieser Pruken erhöh-, reparir- oder unterhaltung selbes etwas contribuiren müste, so dan befuegt seyn solle, den darzur ausgelegten Vnkosten von dem Jährlichen zu bezahlen habenden Kauffschillings Capital Interesse per 113. f. 20. Xr', und da solches nicht erkleklich sein möchte, auch von denen übrigen bey N^{ro} 4^{to} Jährlich abführenden 51. f. 40. Xr' zu defalciren. und sich damit zu regressiren. Endlichen und pro

7^{mo} verspricht besagter Francesco Lorenzo Fracassa, alß Syndicus Apostolicus und Plenipotentarius des N. Guardian, und des Convent Franciscaner Ordens zu Tersact, Sie Hochlöb. I. Ö. Hoffcammer dabey allerdings zu schützen, schirmen und schadloss zu halten. Alles getreulich, und ohne gevärde, auch mit und bey Verbindung des allgemeinen Landschaden bunds in Steuer. Zu Vrkund dessen seynd zwey gleichlautende Exemplaria, jedoch auf allergnädigste ratification seiner Römisch. Kay. und König. Cath. May. etc. etc. aufgesetzt, beeder seits gefertiget, und gegen einander außgewechselt worden. Actum Grätz den 4^{ten} Junii 1727.

J. C. G. von Leslie

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)

Commissio Sac^{tae} Caes^{tae} Regiaequae
Majestat. in Consil. Cam^{tae} Aul^{tae} I. A.
Jo. Joseph Gr. v' Stainbeiss
Max. Joseph G v' Schrattenbach
Carl Ignaz von Rudolphsstell

Das gegenwartiges Transumptum gegen seinen Original gehalten und in allen gleichlautend befunden worden, bezeigt solches mein Fertigung. Datum Laybach den 3^{ten} November 1742.

(L. S.)

Johann Antoni von Vermatti, einer löb. La'afft in Crain
Ober Secretarius.

VI. Praetacta **copia**, ut videre est, **non est originalis**, sed ad formam legalem redacta. Fors **Scriptura Originalis** anno 1747. juxta mandatum Caesareum extradita, amplius restituta non fuit, quod probabilius est. Cùm, ut suprà insinuavi, Conventus pontem, utpote ad Ecclesiam spectantem alienare non potuit absque Sedis Apostolicae consensu, nec Excelsa Camera expectare voluit, ut dictus consensus obtineatur, hinc D. Syndicus Apostolicus tunc Graecii existens mox subscripto Contractu videlicet die 12. Junii 1727. supplicuit Ill^{mo} et R^{mo} D. Nuntio Apostolico Vieniae residenti, ast hic D. Syndicum direxit Romam pro obtinenda approbatione. Postquam Syndicus suum supplicem Romam misit, fuit is denuo Viennam pro Informatione ad Nuntium Apostolicum remissus. Nuntius Apostolicus denique requisivit attestaciones tam Vicarii Generalis, quam Episcopi Segniensis, et Modrusiensis, quod alienatio pontis cedat ad majorem utilitatem Ecclesiae. En praedictas attestaciones:

Attestatio
Vicarii Generalis³⁷³

Testor infra scriptus, Pontis Flumini penes Tersactum impositi, qui ad Sacarium Tersactense spectâsse dignoscitur, ad Excelsam Caesaream Cameram translationem cedere in majus commodum, et emolumentum, ùt assequor, tum boni publici, cum privati ejusdem Sacarii. Excelsa enim Camera facilius, citiusque aut collapsum erigi, aut reparationis indigum refici curabit, atque appellatum Sacarium absque gravi cura, et sumptibus in Pontem indies exponendis, centenos ex aequivalenti compensatione hujusmodi translationis fructus trahet. In quorum fidem me subscribo usuali sigillo apposito Segniae 14. Martii 1736.

(L. S.) Georgius Wolffgangus Chiolich de
Lewensperg Vicarius Generalis.

Attestatio
Ill^{mi}, et R^{mi} Episcopi Segniensis

Joannes Antonius de Benzoni Dei, et Apostolicae Sedis
Gratia Ecclesiarum Segniensis, et Modrussiensis, seu Corbaviensis Episcopus etc. Sac. Caes. Reg. Cath. Maj. Consiliarius etc.³⁷⁴

Notum facimus, atque testamur: Vectigal pontis Civitati Fluminis proximi, quod hactenus ad Ecclesiam B. V. Tersactanae Ord. S. Francisci Min. Reform. Dioecesis nostrae Modrussiensis pertinuit, hujus alienationem ab Excelsa Caesarea Camera publicas ob causas expetitam, in evidens ejusdem Ecclesiae emolumentum vergere. In quorum fidem etc. Datum Flumine 23. Aprilis 1736.

(L. S.) Antonius Benzoni Segniensis, seu
Corbaviensis Episcopus
Ad mandatum Ill^{mi}, et R^{mi} D'ni Episcopi
P. Antonius Drassich Cancellarius Episcopalis

VII. Captis **attestationibus praedictis** fuit anno 1737. **supplex** Sanctissimo porrectus, à **P. Ministro Provinciali subscriptus**, ad quem Romae primò anno 1743. suum consensum dedit Benedictus XIV., ac ut executioni mandetur, Episcopo Segniensi comisit, ut **ex sequenti patet Originali supplici**, qui hujus est tenoris:
Beatissime Pater!

Augustissimus Noster Romanorum Imperator Carolus VI. postquam jam anno 1726. die 17. Aprilis, et 21. Septembris ejusdem anni omnia vectigalia in suis Provinciis haereditariis Interioris Austriae ad vias Regias, et communes sita, ac ad particulares personas hactenus spectantia justo emptionis beneficio sua facere universaliter decreverat, singularibus, ac specialibus litteris die 18. Januarii 1727. emanatis vectigal quoque ad pontem Fluminis vulgò Fiumara extra Civitatem Flumen positum, quod in interrupta serie de speciali S. Sedis Apostolicae licentia, et clementissima signanter facultate fel. record. Urbani VIII. Pontificis Maximi per singulare diploma datum Romae ad S. Mariam Majorem Anni 1625. 21. Julii Pontificatus sui anno secundo ad Ecclesiam Beatae Virginis Gratiarum Tersactensem (ad quam olim Alma Domus Nazarethana ministerio Angelorum ex Palaestina translata fuit, atque à Fratribus Minoribus strictioris Observantiae Provinciae S. Crucis Croatiae, et Carnioliae jam à tribus, et ultra saeculis incessanti Officiorum Divinorum diu, noctuque peractione celebratur) pertinuit, atque à Syndico Apostolico ejusdem Conventus nostri Tersactensis requisivit, offerendo, quod quidquid fructus, et utilitatis per modum purae eleemosynae nominatae Ecclesiae, et Conventui obvenisset, sed eadem ratione, et titulo in aequivalenti perpetuis futuris temporibus sese recompensaturum.

Ad gratiosum porro mandatum Supremi terrae Principis, Sacrae videlicet Caes^{ae} Regiaeque Majestatis memoratus Syndicus noster Apostolicus legaliter demonstrare debuit, quod dictum Vectigal cum annexis emolumentis Ecclesiae Tersactensi quotannis flor. 165. utilitatis partim in parata pecunia, partim in comestibilibus ad usum Fratribus applicandis tulerit. Eadem Sacra Majestas totidem pariter florenos 165. in denariis effectivis quotannis ex aerario suo Ecclesiae, et Conventui Tersactensi tribuere adpromittit puro pariter duntaxat eleemosynae titulo.

Quia verò recensitum Vectigal ad Bona Ecclesiastica pertinet, adeoque absque speciali S. Sedis Apostolicae consensu, ac licentia alienari communi jure prohibetur, è contra autem alienatio illius nedum Ecclesiae, et Conventui Tersactensi plurimum utilitatis, et statui nostro conformior, sed etiam ipsi bono publico proficua (uti ex annexis R'ndissimi Ordinarii loci, ejusque Vicarii Generalis testimoniis videre licet) dignoscitur, praesentibus S. Sedi Apostolicae humillime supplicatur, quatenus attentata quoque Clementissima Regnantis Augustissimi nostri Monarchae voluntate, et instantia, ut ad realem, et legalem hujus Vectigalis, ejusque jurium alienationem interventu praenominati nostri Syndici Apostolici deveniri possit, gratiosum consensum, et licentiam impertire dignare-

tur. Pro qua gratia etc.

Et quod omnia in hoc supplici libello exposita sic revera se habeant, prout referuntur, Ego fide Sacerdotali, ac Provincialatus mei, quo fungor, officio cum appositione signi Provinciae, propriique manus subscriptione testor. Datum in Conventu nostro Montis Sancti B. Virginis Gratiarum die 23. Januarii 1737.

(L. S.)

Humillimus, et indignus Filius
Fr. Casparus Pasconi Provinciae
S. Crucis Carnioliae Minister Provin-
cialis p. t. m'ppa

Die XI. Decembris 1743. Sanctissimus Dominus Noster audita relatione Episcopi Segniensis, et Modrussiensis, eidem benignè comisit, ut veris existentibus narratis, facultatem cedendi supradictum Vectigal juxta petita, cum pacto tamen regressus ad primitiva Jura in casu inexigibilitatis oblatae pecuniae illius loco, pro suo arbitrio, et conscientia Oratori gratis impertiatur. —

A. Card. Gentili

(L. S.)

gratis etiam quoad Script'ram

I. A. Funettus Secret^{arius}

Commisione Nobis â Ss'mo D'no Benedicto XIV. per Decretum XI. Decembris 1743. data, concedimus facultatem D. Syndico Conventus Tersactensis alienandi Vectigal Ponti Fluminis vulgo Fiumara dicti adnexum, atque ad Ecclesiam B. V. Tersactanae pertinens, nec non desuper contractum stipulandi cum Exc^a Camera Graecensi S. C. R. Mat'tis cum conditione tamen regressus Ecclesiae ad primaeva jura in casu cessationis oblati annui quanti. Sic etc. Datum Segniae ex Palatio Nostro Ep'pli 3. Feb. 1744.

(L. S.)

I. Ant^{us} Segniens. Mod. seu Corb. Ep'pus m'ppa

Gregorius Stipkovich Cathed'lis Eccl^{iae}
Modrussen. Can^{icus} Buccari, Cancel^{arius} Ep'palis

VIII. Visis iis, quae circa Vectigal Pontis ventilata, acta, et tractata erant, restat, ut pauca de domo penes Braidam ad littus maris sita, tanquam de accessorio ad ipsum pontem spectante, disseram; Fuit namque haec domus ex ligno aedificata pro commoditate nautarum Conventûs, qui homines ante extructum pontem trans Fiumaram deducebant; quo tempore aedificata fuerit, memoriae non est proditum, id scio eam anno 1662. fuisse ruinae proximam. Haec Domus, sicut caetera bona foundationalia erat D. D. Fluminensibus semper spina in oculis, volueruntque omnem jurisdictionem in eam exercere, prohibuerunt enim, ne in ea vinum delucidetur, et cum illis non erat obtemperatum, etenim in alieno territorio jus dicenti impune non paretur, ausu te-

merario praesumpserunt anno 1695. in domum irrumpere, ac duo vasa vini perforare: ast quid utilitatis inde habuerint? Vinum, quod non biberunt, aliaque causata damna, solvere, ac cum proprio damno resarcire debuerunt. Haec Domus fuit anno 1662. ex lapidibus aedificata, contra quam aedificationem Domini Fluminenses coram sua Caesarea Majestate Leopoldo I. conquesti sunt, asserentes, quod in domo hac dafraudatores telonii suum refugium habeant, et tempore alicujus emergentis belli praejudicio esse posset, fortalitio, et Civitati.

IX. Leopoldus Imperator, ut in re securè procederet, petit informationem à tunc existente Capitaneo Fluminensi, Ill'mo D'no Ferdinando L. B. de Rovere, quâ capta sub **die 17. Junii 1662.** sequentem dedit **Resolutionem** ad dictum Capitaneum:

Wohlgebohrner Freyherr, besonders Lieber Freünd und Herr. Sintemahlen Wir vernemmben müssen, das denen P. P. Franciscanis allda, Ihr an den Traghetto gehabtes hilzenes Häüsel mit gemauer zu bauen, und aufzuführen wohl könne zugelassen, und verstattet werden, also und obschon zwar die Communitet darwider Strezitiert vorwendendt, das solches etwo künfftig nit allein der Stadt, und ihren Fortezen gegenüber möchte zu schaden geraichen, sondern auch zu Verübung der Contrabant Vrsach geben, so haben Wir doch dergestalten darin willigen wollen, damit allezeit die gebührliche Vorsichtigkeit gebraucht werde, das der Herr Ihnen Interessirten solches gebey zwar verstaten, herentgegen aber ein Revers (das so oft wahrgenommen solte werden, das solches Häüsel bemelten Fortezza, oder der Stadt bey besorgender Feinds gefahr auf ein, oder andere weiss nachthailig fallen, wie auch ander seits denen Contrabanden Vorschub oder Vnterschleiff geben solte, das sie daselbige auf solche Ereignung alsobalden widerumben auf eigen Vnkosten abwerffen zu lassen schuldig und verbunden seyn sollen) begehren, und würllich abfordern wolle. Wie nun der Herr hierauff der sachen schon rechts würdet zu thuen wissen, wir auch dessen besagte Communitet gleichfahls nachrichtlich erindert, also beschicht hieran Ihro Kay. König. May. allergnädigster Will und Meinung. Graz den 17. Juny Anno 1662.

N. der Römisch. Kay. auch zu Hungarn und
Böhaimb König. May. verordnete I. Ö. Hoffcammer,
Praesident und Rätthe.

X. Haec sunt, quae de alienatione pontis, deque adjacente domo, quae nunc ad 25. f. de censu importat, adducere pro aeviterna rei memoria, necessarium esse putaveram. Si quis verò majorem notitiam habere desiderat, consulat **Archivium Tersactense.**

§. IV.

De eleemosyna 40. f. germ. mon. ex Telonio Fluminensi quotannis Conventui tribui solita.

I. Haec 40. f. eleemosyna â Dicasteriis Caesareis semper respicitur tanquam donum gratuitum **† et ex pura benevolentia**³⁷⁵ domus Austriacae Conventui Tersactensi assignatum, **ex** quo tamen **Memoriali** Conventus Tersactensis in fine adducendo eruitur hanc eleemosynam Conventui obvenire titulo foundationis Frangepanicae. Primum hujus eleemosynae vestigium reperitur in Ferdinando I. Romanorum Imperatore. Is enim **sub dato Viennae die 29. Decembris Anno 1559.** mandavit Exactori Fluminensi, ut Conventui Tersactensi quotannis 32. f. tribuat, ut ex sequenti illius gratioso **Rescripto** patet:

Ferdinand

Wir haben auf Hannsen Lenkovitsch gehorsamestes anbringen, und dan der brüder St. Franciscen Parfüsser Ordens in Closter Tersath demüthiges Suppliciren genedigst bewilligt, Inen den Geistlichen Personen in ansehung Ihrer armuth zu dessen stättlicher irer Vnterhaltung jährlich Zwey und dreysig gulden in Münz, jeden Gulden zu funffzehen Pazzen, oder 60. Xr' gerechnet, von, und aus, den gefälligen Vnsers Aufschlages zu St. Veith an Pflaumb Jetziger deiner Verwaltung erfolgen zu lassen. Vnd ist derhalben unser genedigster beuelch an dich, du wöllest ernenten Ordensleüten nun von eingang negst kumbendes 60. Jars anzufahren, und hinfiro Järlichen, und Jedes Jars besonder angezeigte 32. f. berürter wehrung von geherten Gefällen deiner Ambts Verwaltung Vnsers Aufschlags zu St. Veith am Pflaumb, bis auf Vnser genedigst wolgefallen und wideruffung ordentlich raichen, und bezallen. Solche Außgab sollen dir auf diesen Vnsern beuelch und gebürlichen Quittungen, in künfftiger deiner Ambtsraittung für guett angenomben, gehegt und passiert werden. Es geschicht auch daran Vnser gefälliger Willen und Mainung. Geben Wien den 29. December 1559.

II. Haec eleemosynae largitio diversas passa est vicissitudines, nam ea fuit commutata in eleemosynam olei, quo verò anno? **ex Scripturis Conventus** erui non potest, id certum est, id fuisse factum ante annum 1624. et post annum 1621. Quod enim praedicta eleemosyna anno 1621. nondum fuerit commutata in oleum, patet **ex hoc Originali Scriptura Carnioliae Deputatorum die 29. Martii 1621. ad D. Carolum Wasserman Exactorem Fluminensem data,** ut assignatos 32. f. tam de praeterito (fuit enim aliquo tempore praedictae eleemosynae praestatio ommissa) quam de futuro

Conventui Tersactensi fideliter pendat. *Scriptura praedicta ex Originali desumpta* hujus est tenoris:

Vnsern Gruess in genaigten Willen zuvor. Edler vester
lieber Freündt!

Was der Römisch Khay. May. Vnsers allergnädigsten Herrn und Landsfürsten verordnete Hoffcammer Praesident und Rätthe vns sub dato 17. Martii jüngsthin wegen Jährlichen 32. f. Denen Franciscaner Ordens Leütten zu Thersat, so ihnen zusamt deme, so bißhero daran hinterstöllig verbliben, hinfüro alß lang khein einstöllung beschicht, geraicht werden sollen, für ein intimation gethan, habt ihr solches aus hierinligender Abschrift mehrers Inhalts zu vernemben, vnd beuelchen eüch daruff, das Ihr solchem allen volstendige Laistung geben, eüch umb jedesmahls ihnen Patribus beschehende Außgaab bescheinen lassen wollet. Das soll eüch bey raittung für richtig passiert werden. Laybach den 29. Marty A^o 1621.

Einer Ersam. Landsch. in Crain
Verordnete etc. etc.

III. Quod autem anno 1624. petita fuerit commutatio olei in eleemosynam 12. steriorum tritici, patet itidem *ex Originali Scriptura Deputatorum Carnioliae de dato 13. Decembris 1624.* in qua exquirunt informationem ejusdem Domini Exactoris Caroli Wasserman. Litterae praedictae sic sonant:

Vnsern Gruss sambt genaigten Willen zuvor. Edler vester, besonders lieber Freünd. Von dieser Einer Ersamben Landschafft, und deroselben Verordneten Ambts wegen ist unser beuelch hiemit, das Ihr vns über hierinligend, bey Ihrer Khay. May. durch die Franciscaner zu Tersath eingebrachtes gehorsambistes Suppliciren, umb Commutation des Ihnen Jährlich raichenden Öels in ein Monathlichen Stair waiz, der sachen beschaffenheit, sambt Eüeren rätlichen guetachten, und zurukhsendung des OriginalEinschluss ehist zue fürdern sollet. Gott ob vns allen. Laybach den dreyzehenden Decembris A^o Im Sechzehenhundert, Vier und Zweinzigsten.

N. Einer Ersamben Landschafft des
Herzogthumbs Crain Verordnete etc.

IV. Commutatio praedicta fuit anno sequenti 1625. resoluta Graecii die 30. May, dein verò â Carnioliae Deputatorum consilio fuit communicata die 12. Septembris nulla facta mentione olei, sed tantum 30. f. licet prius 32. dari consueverunt. *Litterae Originales ad D. Carolum Wasserman Exactorem Fluminensem* sic sonant:

Vnsern Gruss in geneigten Willen Zuvor.
Edler Vester, besonders Lieber Freündt.

Was für ain resolution an Vns über der Ordensleüthen des Closters zu Tersath hievor gethannes begehren, das man Ihnen anstatt der Jährlich raichenden 30. f. Zwelf Stär waizen geben wölle, das eröffnet der abschriftliche Einschluss mit mehrern. Danenhero von dieser Einer Ersä. Landschaft wegen, Vnser beuelch an eüch, das Ihr dieser resolution nachkhomben und vollständige Laistung thuen sollet. Gott ob Vns allen. Laybach den Zwelfften Septemb. Anno Sechzehnhundert, und Fünf und Zwainzigisten.

N. ainer Ersä. Landschaft der Herzogthumbs Crain Verordnete etc.

V. D. Telonarius Wasserman anno 1625. dedit quidem Conventui Tersactensi 12. staria tritici, sed mensurae tantum Fluminensis, quae multò minor est Labacensi, hinc, ne Fratres damnum paterentur, recurrerunt ad Inclytum Provinciae Carnioliae Deputatorum Collegium pro declaratione hoc, ut ex Originalibus litteris constat, resolvit favorabiliter pro Conventu in hunc modum:

Vnsern Gruess in geneigten willen zuvor.
Edler Vester, besonders Lieber Freündt!

Hie unerwarth beschwärn sich vor Vns N. Guardian, und das Convent zu Tersath, das Ihr Ihnen die Verordneten Zwelff Stär waiz nit nach hiesiger, sondern nach der St. Veitherischen Staritsch mas reichen wöllet. Dieweilen aber bey Vns khain andere meinung, alß auf gemelte Laybacher mass seyn khan. Also ist Vnser beuelch, das ihr die armen Ordensleüth in Ihrem begehren contentiren, oder da ihr hiewider ander erhöbliche bedenkhen einzuwenden, uns dieselben eheist eröffnen sollet. Gott ob Vns allen. Laybach den 22. May 1626.

N. Einer Ersä. Landschaft des Herzogthumbs Crain Verordnete etc.

VI. Circa annum 1644. fuit haec Tritici eleemosyna denuo commutata in annuos 40. f. Quod autem prius loco 32. aut 30. f. 12. staria tritici data fuerint, nunc autem in altius pretium videlicet f. 40. commutata, ratio est, quia pretium Tritici hoc tempore in valore auctum fuit. Cum autem anno 1644. ex mandato Caesareo ex provisionibus, et pensionibus Caesareis quarta pars defalcari debuit, etiam ex hac eleemosyna 40. f. D. Adamus Suppanitsch Exactor Fluminensis quartam partem detrahere voluit: ast I. A. Camera Graecensis benignè resolvit, hanc eleemosynam non subjacere praedicto Decreto, **sequenti Rescripto:**

Wie die Herrn auß Inligendten Memorial des mehrern zu ersehen, so haben N. die Franciscaner zu Tersath so vill bey vns angebracht, wasmassen Ihnen vermüg ainer hievorderisten lengst allergenedigst beschehene Landsfürst. Concession, auß dem Ober Einnember Ampt daselbst zu St. Veith am Pflaumb monatlichen ain: und also das ganze Jahr hindurch 12. Stayr Waizen. zu derselben bösserer Lebens Sustentation jederzeit geraicht worden.

Vmb das aber denenselben anjezo durch den Herrn aldorth haltenden Ober Einnembarn Adamen Suppanitsch, von diesen jährlich zu genüessen habenden getraydt (welches sonsten auf 40. f. angeschlagen worden) auch der Vierte Thail, Immassen es mit denen Ordinary Besoldugen, Provision, und Pensionen beschicht, abgezogen, und innen behalten werden will. Also bitten dieselben, Ihnen diese Vnterhaltung, wie hievordisten, ohne ainiche Deffalcirung völlig eruolgen zu lassen. Da nun solhes ein pur lauterer almosen, und den abzug gedachten Vierten Thails Ihrer Kay. May. etc. allergenedigsten Intention nach kheines weegs unterworfen. Derowegen so haben Wir die Herrn hiemit freündlichst ersuchen wollen, an gedacht Ihren Einnembarn zu St. Veith am Pflaumb die unbeschwärte Verordnung zu thuen, auf das denen armen Supplicanten an statt behrürten 12. Stair waizen, die ausgeworffenen 40. f. nunmehr fürtershin Jährlich ohne ainichen abzug, völlig geraicht und bezahlt werden. Vns denen Herrn beynebens zu angenember Dienstlaistung hiemit freündlichst offerirend. Graz den 12. Augusti A^o 1644.

VII. Cùm anno 1705. Leopoldus I. gloriosissimae memoriae Romanorum Imperator ex hac mortali vita emigrasset, ejus Filius, et in Romano Imperio Successor Josephus I. petiit informationem de omnibus piis legatis, pensionibus, et eleemosynis, quae ex aerario Caesareo solvebantur, jussitque produci titulum, et onera, ob quae praedictae eleemosynae tribuuntur sub poena ammissionis dictarum solutionum. Hoc **Caesareum mandatum** fuit, propter istos 40. f. à Domino Josepho Vincentio de Marotti Supremo Exactore Fluminensi die 1. Septembris 1705. etiam P. Guardiano Tersactensi intimatum. Ad hoc Caesareum mandatum P. Guardianus quantum ad rem ita respondit

40. fiorini ci venivano corrisposti ex condigno, perche le due fiere dell' Assunta, è dell'Annuntiata, che erano nostre, è si facevano da nostra parte di Tersatto, l' Eccelsa Camera le hà trasferito in Fiume, et in compenso si fece la sudetta assegnazione di f. 40. annui commutati in vece di formento etc.

Quod enim nundinae celebratae fuerint sub Castro Tersactensi ad mare, et emolumenta inde provenientia Conventui Tersactensi Fratrum Minorum à Martino de Frangepanibus legata, patet **ex ejusdem foundationalibus datis Tersacti 12. Augusti 1468.** ubi sic loquitur: *Pro sustentatione praedicti claustrum de bonis nostris tale facimus sublevamen. Primò: proventus, et emolumenta omnium apothecarum fieri solitarum in circuitu ipsius Ecclesiae Beatae Mariae in omnibus*

ipsius Virginis gloriosae festivitibus, simul cum medietate totum proventum, et emolumentum nundinarum celebrandarum annuatim sub praedicto Castro penes mare in festo Assumptionis Virginis Mariae indifferenter. Quidquid demum sit, sive hi 40. f. ex debito, sive ex pura gratiosa Caesarea benevolentia per modum eleemosynae Conventui tribuuntur, id certum est, quod Conventus hanc eleemosynam percipiat jam annis 220. nec dubitandum est, eam semper in suo vigore perman-suram eo vel maximè, quod qualibet septimana ad Aram Thaumaturgae Virginis Mariae pro conservatione, et incremento Aug^{mae} Domus Austriacae unum Sacrum cantetur, et diebus Sabbatinis Vesperi Litaniae Lauretanae absque alia aliqua eleemosyna Conventui ex Aerario Caesareo obveniente.

§. V.

De Vineis in Territorio Tersactensi sitis, quae vulgo Braida major, et minor nuncupantur.

I. Has vineas spectare ad Conventum, et Ecclesiam Tersactensem, patet, quia intra fines à Martino Comite de Frangepanibus in suis litteris de dato Novi 7. Aprilis 1431. assignatis, et anno 1612. revisos continentur. Has Braidas, quarum maior sita est ad litus maris muro circumdata, minor à Molendino pontem versus ad ripam Fiumarae protenditur, erant anno 1726. venditae pro 14000. f. societati privilegiatae Orientali, cum autem post duos annos contractus rescissus fuisset, eae denuo ad Conventum devolutae sunt. Anno 1729. Domini Fluminenses ad Braidam majorem homines unius turcicae navis contagionis suspectos, una cum mercibus collocare attentarunt, et sic ex Vineae locum contumaciae facere: ast Carolus Imperator alias fecit dispositiones, ut ex ejusdem Originali Scriptura patet, quae hujus est tenoris:

Carl von Gottes gnaden Erwehlter Römischer Kayser,
zu allen Zeiten Mehrer des Reichs.

Ehrsambe, Geist., Liebe, Andächtige. Was an Vns von Vnserer I. O. Regierung und HoffCammer ratione Eüers demüthigst übereicht bitt. recurs (das Euer weingarten zu Tersatto vor das Contumaz orth respectu deren in dem alldorten zu Fiume angelangt, so genanten schiff Sanct Saverio sich befindenden leüthen, und waaren nicht assigniert werden möchte) nach unter 9^{ten} hujus für eine unterthanigste bericht. Vorstellung gemacht worden, solches ware vns in ein: so andern des mehrern gnädigst zu vernemben gewesen.

Immassen nun vermittels vnserer untern 14. dits herein gelangt: und Sub hodierno alda bey Vnserer I. O. Reg. und HoffCammer erledigten Kay. gnädigsten Resolution wegen besagten Schiffs S. Saverio und dessen Contumaz machung bereit andere dispositiones verordnet worden seynd, das nemblichen die in gleich besagten Schüff vorhandene waaren und leüth in

das Lazareth alldorten zu Fiume zu Haltung der Contumaz und auslöffterung des Tobäkhs ungeachtet deren diessfällig gemachten Difficultäten eingenomben werden sollen.

Alß werdet in crafft Vnserer herabgelangten gdsten Hoff Verordnung von 17^{ten} hujus Ihr dessen hiemit nachrichtlich gnädigst erinnert. Dan an deme beschi-
cht Vnser gnädigster Will und Mainung. Graz den 20. 7^{ber} 1729.

J. J. Gr. zu Lewenberg
Stadthalter a. V.

Commissio Sac^{tae} Caes^{tae} et Cath^{tae}
Mat'tis in Consilio

J. H. Gr. Ortenhoffen
Cänzler

Dismas Jos. Gr. v. Dietrichstein

II. Circa vineam penes Fiumaram, vulgo dicta *Braidiza*, seu Braida minor, plures controversiae exortae erant, nam Civitas Fluminensis jam ante annum 1659. pro reparatione et majori securitate portus in Fiumara ex sua parte incipiendo â ponte ad 214. circiter passus molendina versus penes dictam aquam murum erigere coepit, quia autem per hujusmodi muri erectionem aqua constringebatur, et damnum in Vineâ nostra ex adversa parte sita causabatur abradendo successivè terram dictae Vineae *Braidiza*. Voluit Conventus indemnis servari, protestatus fuit contra dictum aedificium; quapropter, ut portus aedificium publico bono multò proficuum non tardaretur, Magnifica Communitas Fluminensis se obligabat ad indemnem servandum Conventum, ut **ex sequenti Originali contractu** patet, qui sic sonat:

In Dei aeterni Nomine Amen.

Per interpositione dell' Ill^{mo} Sig^{re} Ottavio Lib^o Bar. de Terzi di sua Majestà Cesarea Consig^{re} et Capit^o di Fiume, et Tersatto furono sopite, et agiustate le differenze trà la Mag^{ta} Communità di Fiume, et tra li Molt^o R^{ndi} Padri di Tersatto per causa del riparo, che la Mag^{ta} Communità andava facendo in beneficio publico, et in buon servizio di sua Majestà Cesarea, et dell'Eccelsa Aulica Camera dell'Austria Interiore del Porto di Fiume nel modo infrascritto.

1^{mo} Il Molto R^{ndo} Padre Pietro Franzetich Guardiano di detto Convento facendo con il consenso, et presenza del Sig^{re} Claudio â Marburg Syndico del Convento, con permissione, et Licenza del R^{do} Padre Provinciale, et â nome di tutto il venerabile Convento per zelo di buon servizio di sua Majestà Cesarea dell'Eccelsa Camera dell'Austria Interiore, per la buona osservanza, che tutta la Religione professa alla Mag^{ta} Communità, et â tutta la città in publico, et privato, cede, et renuntia alli Nobili, et Molto Ill^{tri} Sig^{tri} Antonio Rastelli, Seferino Augustino Osbatich Giudici, et Rettori rapresentanti tutta la Mag^{ta} Communita d'ordine della medema con l' assistenza del Nobile, et moltò Ill^{re} Sig^{re} Gio: Giacomo Giuliani de Jabochetis, come Vic^o, et locotenente della Città, tutta quella parte di Braida sita sopra la Fiumara verso il Scoglietto, che sarà dissegnata per servizio, et riparo della medema Fiumara, et Porto.

2^{do} Dissegnato il pezzo del Braida nel modo, che piacerà

alla Mag^{ca} Comunità, dourà stimarsi il pezzo disegnato da di[†] periti, confidenti d' ellegersi uno per parte.

3^{mo} Fatta la stima, secondo quella promettano li molto Ill^{ri} et Spe^{bli} Sig^{ri} Giudici, et Rettori con obligazione publica di pagare in denari contanti il stimato valore, il quale promettano sodisfare alla più lunga al ritorno dell' Ill^{mo} Sig^{re} Bar. Capit^o mediatore.

4^{mo} Quel spazio di Braida, che sarà convertito nell' uso publico perche la ripa restante non senta danno, per quanto s' estende il detto spacio, s' obligano li Sig^{ri} Giudici in Nome publico di riparare perpetuamente la medema ripa â parte del Venerabile Convento.

5^{mo} In questa forma restaranno le parti d' accordo con promessa d'inviolabil'ta tutto il contenuto di questa scrittura sotto obligatione in forma etc. Havendo l'Ill^{mo} Sig^{re} Bar. Cap^o é come Representante Cesareo, et come Mediatore interposto la sua authorità, con la sua sottoscrizione, et sigillo, essendosi fatte due simili sottoscritte, e sigillate d'ambe le parti.

In quorum fidem etc. Datum Flumine S. Viti etc. die 25. Augusti 1699. In Arce Cesarea.

- | | |
|---------|---|
| (L. S.) | Ottavio B'ne de Terzi Cap. m'ppa |
| (L. S.) | Antonio Rastelli Giudice affermo, quanto di sopra m'ppa |
| | Agostino Seff ^{no} Osbatich affermo, quanto di sopra m'ppa |
| (L. S.) | Frà Pietro Francetich Guard ^o di Tersatto. |
| | Frà Filippo Colombichio Deff ^{re} habituale, e discreto |
| (L. S.) | Claudio â Marburg Conseg ^{re} Cesareo, e Syndico Apostolico del Convento. |
| (L. S.) | Gio. Antonio de Franceschi Synd ^o Ces ^o Seg ^o , et delle
leggi Dottore scrissi, e sottoscrissi, e posi il mio sigillo |

III. Ex hoc tanta solemnitate stipulato contractu Conventus optimam spem concepit, se fideliter ab omni damno praeservatum iri, ast Conventus in sua opinione delusus fuit, nam Domini Judices et Rectores Civitatis fideliter promissa turpiter observare neglexerunt, ac Fratres inani spe lactabant, ac interim in Braida multa damna causabantur: Videns igitur Conventus, se supplicationibus, et precibus ad Magnificam Communitatem porrectis nihil efficere, ad Excelsam Aulicam Camerae confugere debuit ibidem auxilium quaesiturus. Multoties fuit demandatum Civitati Fluminensi ab Aulica Camera, ut damna causata resarciat, ast nil actum, ut **ex sequenti Camerali Rescripto ad Capitaneum Fluminensem die 11. Octobris 1721. dato patet:**

Durch hienebenfündiges mit Litt. A. biß inclusivè M. instruirtes anbringen hat bey Vns Francesco Lorenzo Fracassa Syndicus Apostolicus der Kirchen, und des Convents Vnserer lieben frauen zu Tersatto sich wider die Judices und Rectores zu Fiume in deme sehr beschwäret, das ungehindert so wohl

von Vns gehaimben Rätthen alß auch der I. Ö. Regierung zu verschidenen mahlen gemässen hirein verordnet und anbefolhen worden, das in Conformitet des den 25^{ten} Aug. 1699 errichteten und von gedachter Regierung bestätigten Contracts das darinige Publicum die stipulierte Währ bey Invermelten des Convents Braida auf aigne Vnkhosten repariren und anmit allen in widrigen darauf zu besorgen habenden schaden verhietten solle. Deme Jedoch biß anhero nicht in mindesten nachgelebt worden seye, mit beygeheffter Inständigster bitte, das solchem nach auf den gehorsamisten volzug des vorhin hinein anbefohlenen per actiora gedungen werden möchte.

So nun Ihme Herrn Hauptman zu dem Ende hiemit beygeschlossen wirdet, auf das derselbe inhaerendo prioribus die ggth [†] mit zulänglichchen Ernst zu würklicher nachlebung denen in sachen ergangenen vorigen verordnungen verhalten und mithin die Kirchen, und das Convent zu Tersat dits Fahls ausser allen schaden sezen lassen solle. Dan an deme etc. Grätz den 11. 8^{ber} 1721.

IV. Putâsses, ad hoc Caesareum mandatum Judices, et Rectores Civitatis Fluminensis perterritos praetensioni Conventus Tersactensis illico satisfacisse, ast longè abest, quinimo **Cameralibus Decretis** renitentes perseverabant usque ad annum 1746. quo anno Augustissima Imperatrix, Regina Hungariae, et Bohemiae, ac Archi-Dux Austriae Maria Theresia feliciter regnans seriusissimè praecepit Capitaneo Fluminensi tamquam instituto Commissario, ut Judicibus, et Rectoribus Fluminensibus Scriptationes (quibus per 47. annos benignorum Decretorum executionem devitabant) interdicat, ad sententiam definitivam procedat, ac in tergiversantes Contumaciae poenam ferat. Perterriti **hoc Caesareo, Regioque Decreto de dato 27. Julii 1746.** saniora consilia capere volentes, decreverunt D. D. Judices emere Braidam minorem: melius, et magis proficuum existimabant, ut vinea ematur, quae fructum adfert, quam sine fructu in perpetuum vineam indemnem servare, prout se in suprâ allegato contractu obligarunt.

V. Quapropter, ut vineam *Braidiza* ad suam traherent potestatem, sequentem sub conditione tamen inserta cum Syndico Apostolico Conventus Tersactensis inierunt conventionis contractum:

Nel Nome di Dio Amen.

L' Anno della Umana salute 1747. Indizione Romana X.
il giorno veramente di sabbato, che fù li 7. del Mese
Gennaro, fatto nel Cesareo, e Regio Castello di Fiume etc.

Vertita già da molti anni la causa avanti l' Eccelsi Dicasterio dell' A. I. ed inanzi le delegate Commissioni in Fiume trà la Vn'ble Chiesa, e Convento di Tersatto, come Attrice d'una, e la Magnifica Comunità di Fiume rea Conventa d'altra parte

â motivo d'un contratto, che si sosteneva celebrato frâ le sud^e parti sotto li 25. Agosto 1699. col quale la praenominata comunità obligata esser voleva alla perpetua difesa, e reparatione della Braidà essistente dall'altra parte dello Scoglietto, et aspettante alla Chiesa, e Convento di Tersatto. E sicome per mancanza della difesa di più anni tal Vigna, ò Braidà restò della Corrente della Fiumara corrosa, diede il motivo alla parte Attrice di agire non solo per il danno causato, ma eziandio â cautella de' ulteriori temuti pregiudicii, qual pretesa fù anche con ponderosi fondamenti accompagnata. All'incontro della parte rea[†] convenuta con li rivelanti ragioni oppugnata, con che finalmente provvedersi poteva tal litiggio se non eternato, almeno con grave dispendio d'ambe le parti per molti anni sino alla total decisione protraibile. Per troncar dunque una volta tal scabroso litiggio ed oviare all' ulteriori spese per interposizione, e mediazione da Ill^{mo} Sig^{re} Francesco Carlo Signore d'Hochenwarth ora Ces^{to} Reg^{to} Rappresentante, e Capitanio, e delegato in causa Regimentale[†] Commissario, e coll'assistenza de Nob^{te} Ecc^{mo} Sig^{re} Giulio Cesare della Porta Vicario di Fiume, e Con-Commissario furono li progettati ponti dai sottoscritti Autorisati Intervenienti matura^{nte} ponderati, ben esaminati, ed alla fine li sequenti con vincendevol espresso consenso â Nome de Principali preliminariter per transactionem pattuiti, accordati, e per norma dell' ulterior vincendevol Contegno sâlva la ratificazione, â chi spetta fermamente colle sottoscrizioni stabiliti.

Primò: Che la Braidà danneggiata aspettante alla Venerabile Chiesa, e Convento di Tersatto sia da quatro disinteressati, e periti stimatori d'elegersi due per parte â spese comuni stimata, ed ogni qual volta l'eletti non convenissero nell' estimo, allora dalla sopranominata Ill^{ma}, e Nob^{te} Commissione sia nominato il quinto ad ambe le parti confidente stimatore, di qual stima ambe le parti s' obligano colla renuntia dell'ulterior estimo d' esser contente.

2^o: In Ordine alla pretesa de danni per la corrosione d'aqua che si dice, esser sulla sud^a Braidà causata, la Magnifica Comunità s' obliga â proporzione del terreno corrosa â misura della stima soprad^{ta} con bezzi contanti bonificarli.

3^o: Sequito, e pubblicato l' estimo debba devenirsi alla stipulazione del solenne Instrumento di vendità, e comprità coll'effetivo esborso del Denaro contante da farsi per parte della Magnifica Comunità verso la tradizione della Braidà, e di tutte le scritture in Copia autentica concernenti il Dominio, proprietà, e prerogative di d^{ta} Braidà, cosi pure il beneplacito Pontificio, e Regia Ces^a permissione. E per fine per sopire ancora le differenze delle spese giudiciali, le quali pretende il Syndico Apostolico del mentovato Venerab^{te} Convento, l' Eccell^{mo} Sig^{te} Giuseppe Cavalieri J. U. D. resta convenuto, che ambe le parti si rimettano alla giusta determinazione della Intervenuta Ill^{ma}, e Nob^{te} Commissione, senza che nessuno possa sotto qual si sia pretesto aggra-

varsi, ò reclamare. Il che tutto dalle parti accettato, approvato, e con buona fede concluso, remota qualunque simulazione s' obligano, e vincendevolm^{te} vinculano inviolabilm^{te} mantenere, ed osservare, né mai à quello contradire ne per se, ne per altri, con obbligo espresso de evictione, e manutentione d'essa Braidà, e delle sue prerogative, renunciando à qualunque eccezione di ragione, e di fatto, che potrebbe rinfringere la presente transazione, che anzi hanno pregato l' Ill^{mo} Sig^{re} Ces^{to} Reg^{to} Rappresentante, e Cap^o di ratificarla come ed ambe le parti proficua, e per maggior cautella siano tre uniformi Esemplari formati, delli Intervenienti sottoscritti, e da Principali ratificati: de quali sia uno al Venerab^{te} Convento di Tersatto, ed l'altro alla Magnifica Comunità estradato, ed il terzo nell' Archivio Capitaniale custodito.

Actum Flumine S. Viti in Caes^a, e Reg^a Arce septima mensis Januarii 1747.

Michiele Gl^{mo} Franul di Weissenthurn affermo quanto di sopra salva la ratifica della Mag^{ca} Comunità m'ppa

Gio: Teod^o Suilacossi de Giurcovich Giud^{ce} Rett^{te} affermo, quanto di sopra salva la ratifica della Mag^{ca} Comunità m'ppa

Antonio Spingarolli come Deputato affermo m'ppa salva la ratifica della Magnifica Comunità m'ppa

Gio. Giuseppe Cavaliere delle L. L. Dottore, Sindaco Apostolico della Veneb. Chiesa, e Convento di Tersatto affermo quanto di sopra, salva la ratifica della Santa Apostolica Sede, e di S. M. I. e Regia, e del Rev^{mo} Padre Ministro Provinciale col suo Veneb. Deffinitorio.

In fede di che etc. m'ppa.

VI. Hac praeliminari Conventione facta constituti erant aestimatores dictae Vineae à Communitate Fluminensi D. D. Josephus Ignatius Rastelli, et Antonius Spingarolli, ex parte Conventus erant deputati D. Franciscus Xaverius de Orlando Syndicus Apostolicus, et D. Casparus Rendel Architectus. Qui convenientes die 26. Martii 1748. aestimârunt Vineam una cum domuncula Lib. 10749. quae faciunt Ducatos 1791. L. 3. ac germanicae monetae f. 2030. X. 22. Damnum autem causatum seorsim aestimatum fuit L. 1086. quae exportant Ducatos 181. in computatione verò germanica f. 205. X. 8. Sicque tota aestimatio est f. 2235. X. 30. Quia verò D. Syndicus Apostolicus ducto calculo proventuum à 4. annis, et emolumentorum reperit, Conventum quolibet anno damnificandum, si Vineae juxta praedictam aestimationem venderetur computando Interesse ad rationem 4. p^{mo} cento / pro f. 36. X. 32 hinc praedictus Syndicus requirebat de Capitali f. 913. X. 20. ad indemnem servandum Conventum: Quos cum Communitas dare recusabat, Syndicus verò prudenter praevidere potuit, se ab Episcopo non obtenturum attestationem, hanc alienationem cedere in evidentem utilitatem Ecclesiae, et sine hac attestatione Apostolica sedes non solet consentire in alienationem bonorum Ecclesiasticorum, Contractus hic quoad venditionem rescissus fuit, quoad damnorum resarcitionem caeteroquin in suo robore permansurus.

Quamvis verò damnum aestimatum fuit L. 1086. quae faciunt ducatis 181. et f. germ. mon 205. X. 8., tamen Magnifica Communitas non dedit nisi Ducatos 150. id est f. 170. germ. mon. Quis verò damnum posse ab eadem aqua causatum, et quotidie causandum, solvere, et impedire teneatur? facile conjicitur ex suprà n. 2. h. §. adducto Contractu.

§. VI.

De Villis *Grishane*, et *Kottor* in districtu Vinodolensi sitis.

I. Quantum ad Villam *Kottor* attinet, eam fuisse à Martino de Frangepanibus Conventui, et Ecclesiae Tersactensi donatam, patet **ex ejusdem Litteris datis Tersacti 12. Augusti 1468.** quas suprà c. 5. §. I. **ex Originali** adduxi: ibi enim sic habet: *Item unam Villam nostram Kottor vocatam in pertinentiis Vinadoli habitam cum omnibus ipsius Villae cessionibus, jobagionibus, possessionibus, pratis, silvis, terris arabilibus, cultis, et incultis, Vineis, rubetis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, et eorum locis ad ipsam Villam Kottor pertinentibus, et ex ipsa provenire de jure debentibus, nil juris, nilque proprietatis in ipsa Villa, et ejus attinentiis pro nobis, et posteris nostris, successoribusque ipsorum reservantes, neque reservamus, sed omne jus, et omnem auctoritatem, quod, et quam in ipsis in anima habuimus, et in posterum habere speraremus ipsis Fratribus de Observantia Vicariae Bosnae parte ad vestitum, et habitum parteque ad victus eorum sustentationem dedimus, et donavimus, et assignavimus jure perpetuo, et irrevocabili.* De Villa *Grishane* nuncupata, et Conventui Tersactensi donata, Martinus de Frangepanibus in suis postremis litteris de dato in Castro Novigrad, secundo die festi Assumptionis Virginis gloriosae anno 1478 ita loquitur: *Ut igitur ipsi Fratres in ipso Monasterio degentes temporalibus subsidiis sufficienter adjuti, liberius Deo vacent, ipsique serviant, et ipsius misericordiam in districto examine nobis assiduus ipsorum orationibus valeant impetrare, illis pro animae nostrae remedio, et omnium Progenitorum nostrorum totales possessiones nostras Grishane, et Kottor, vastas in praefato districtu de Vinodol existentes, et habitas, simul cum cunctis earumdem pertinentiis, terris videlicet arabilibus, cultis, et incultis, agris, pratis, pascuis, faenilibus, silvis, nemoribus, vineis, vinearum promontoriis, aquis, aquarum decursibus, molendinis, molendinorumque locis, ac generaliter quarumcunque utilitatum, integritatibus, usibus, fructibus, fructuositatibus, proventibus, et emolumentis quibuscumque, et qualitercumque vocatis, sub earum veris, et antiquis metis, de jure, et ab antiquo ad easdem spectantibus, et pertinere debentibus, praefato Monasterio Ecclesiae Beatae Mariae Virginis prope dictum Castrum nostrum Tersath fundato, et Fratribus in ipso Deo famulantibus in perpetuam eleemosynam dedimus, inscripsimus, donavimus, et contulimus.* En! quid Clarius **hac Martiniana donatione**, in qua omne jus, quod ipse habuit in praenominatas Villas, transtulit in Fratres Minores: et tamen vix oculos clauserat piissimus fundator, jam aderant iniqui invasores: ea propter sicut Discipuli B. Martini Turonensis Antistitis in ejus morte exclamabant: *Cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? invadent enim gregem tuum lupi rapaces*

canit Ecclesia in **Brev. Roman. ad 11. Nov.** ita pusillus Minoriticus Grex Coenobii Tersactensis in obitu Martini de Frangepanibus suo jure eundem tonum edere potuit; etenim vix Martinus oculos clauserat, jam insurrexerunt lupi rapaces, qui praedicta bona Vinodolensia rapiebant, et ad se trahebant, ut mox clarius apparebit.

II. Post mortem Martini de Frangepanibus Marinus Soviko nuncupatus, et post ejus mortem, ejusdem frater Hieronymus pariter Soviko dictus Capitanei Segnienses bonum *Grishane* ad se trehebant, asserentes, quod **Mathias Rex Hungariae** ipsis bonum *Grishane* possidendum tradidisset, sed, amabo! quomodo Rex Mathias eisdem hanc Villam donavit? si ille Martino de Frangepanibus liberam cum bonis suis disponendi facultatem tribuit in **suis Litteris signatis Budae anno 1477.** exceptis 6. Castris, quae ipsi Regi Mathiae jam antea donaverat: quod autem intra haec castra Villa *Grishane* non contineatur, nullus tantae temeritatis erit, qui Martinum de Frangepanibus eius levitatis arguet; quod anno 1477. Mathiae Regi jam donatam Villam *Grishane* anno mox sequenti videlicet 1478. Conventui Tersactensi legasset: Quapropter, ut P. Martinus de Rachoviza Guardianus Tersactensis, qui Scripturas donationales prae manibus habuit, injustos usurpatores, qui nullas litteras ostendere poterant, sed tantum vivae vocis oraculum se habere jactabant, ab iniqua possessione abigat, recurrerat ad D. D. Casparum Bodo, et Joannem de Korotna, ut Judices delegatos à Mathia Rege Hungariae in Regnis Sclavoniae, Croatiae, et Dalmatiae supra complanandis quaerimoniis cunctorum Incolarum praedictorum Regnorum constitutos pro restitutione praefati Boni *Grishane* dicti.

III. Praefati Commissarii delegati audita utraque parte, et revisis Scripturis, et diligenter examinatis rationibus reppererunt, Marinum, et Hieronymum Fratres injustè *Grishane* possidere: unde eosdem ad restitutionem dicti Boni, ac Conventui Tersactensi cessionem compulerunt per **hanc definitivam sententiam:**

Nos Gaspar Bodo de Gyurgy Magister Janitorum Reginalis Majestatis, et Comes Tholnensis, ac Magister Joannes de Korotna Comes Symigiensis, et Proto-notarius Palatinalis, in Regnisque Sclavoniae, Dalmatiae, et Croatiae pro exaudiendis providendisque, complanandis, et distinguendis quaerimoniis cunctorum incolarum dictorum Regnorum per Regiam commissionem Judices cum plena auctoritate deputati. Memoriae commendamus, et tenore praesentium significamus, quibus expedit universis. Quod nobis Sabbato proximo post festum omnium Sanctorum in Civitate Segnensi ad audiendum, et discutiendum quaerimonias coram Nobis quaerulando sedentibus Martinus Croatus de Rachoviza pro Religiosis Fratribus Custodiae Guardianus, ac certis Fratribus Ordinis S. Francisci de Observantia in Ecclesia, seu Claustro Beatae Virginis Mariae in districtu de Vinodol prope Castrum Tersath vocatum fundato degentibus cum procuratoriis litteris eorumdem, de medio caeterorum quaerulantium in iram exurgens puram contra Jeronimum Sovicko dictum, personaliter comparentem proposuit eo modo: Quomodo Superioribus temporibus quondam Marinus similiter Sovicko generalis Capitaneus Segnensis, Novi et Bribir, certorumque Castrorum Regalium tempore sui Capitaneatus

quamdam possessionem, seu villam praedicti Claustri Beatae Virginis *Grishane* vocatam in districtu Vinodol habitam cum suis cunctis litatibus, et pertinentiis quibuslibet injustè, et indignè pro se ipso occupâsset, occupatamque, quamdiu supervixisset, illicitè tenuisset. Tandem vocatione Divina ipso è saeculo decedente idem Jeronimus Soviko frater dicti Marini sic indebitè occupatam teneret, et conservaret de praesenti in praepjudicium, et damnum praedicti Claustri, et Fratrum in eodem degentium valde magnum.

Quo audito jam fatus Jeronimus Soviko, ut praefertur, personaliter in eamdem iram exurgens puram, respondit ex adverso: Quod praefatis quondam Marinus Soviko frater ejus, praedictam possessionem *Grishane* injustè non occupâsset, nec ipse Jeronimus eamdem indebitè conservaret de praesenti; nam eadem possessio *Grishane* simul cum Castro *Bribir*, et ejusdem pertinentiis per Serenissimum, et invictissimum Principem Dominum Mathiam Dei gratia Hungariae, Bohemiae videlicet Regem, Dominum nostrum gratiosissimum pro certa pecuniaria summa ipsis Marino, et Jeronimo dictis Soviko fuerat impignorata, sicque ipse eamdem ex hujusmodi impignoratione Regia conservaret, et ex eo, in totali praemissa actione, et acquisitione dictorum actorum innocens esset, purus, et immunis.

In contrarium praelibatus Martinus propter dictos fratres in personis eorumdem subjunxit hunc in modum: quomodo praetacta possessio praedicti claustri Beatae Virginis, et Fratrum in eodem degentium *Grishane* appellata, per quondam Magnificum Dominum Martinum de Frangepanibus ob remedium salutis animae ejusdem memorato Claustro, et Fratribus in eodem degentibus ex promisso, bona voluntate, ac consensu dicti Domini Regis in perpetuam eleemosynam donata, et ex ejusmodi donatione consensuali per Fratres ejusdem Claustri per nota tempora pacificè possessa extitisset, et ideo idem Dominus noster Rex, ex cujus scilicet consensu dicta possessio *Grishane* eidem Claustro donata extitit, eamdem per fratres Marino, et Jeronimo Soviko, aut alteri nunquam impignoratam, vel aliter quoquo modo donatam videlicet habuit, neque de jure potuit ab eodem claustro alienare. Et ibidem in horum verborum suorum declarationem, et verificationem quasdam duas litteras, et ipsius Domini Martini Comitis, et aliam Capituli Ecclesiae Zagrabiensis, ambas privilegialiter emanatas, Nostrum produxerunt in conspectum, quarum prima scilicet **dicti Martini Comitis littera privilegialis majori authentico sigillo ejusdem impendenti communita**, hunc tenorem continebat: (*Hic inserta est littera Martini de Frangepanibus suprâ c. 5. §. 1. n. 4. allata*) Altera vero ipsarum videlicet dicti Capituli Zagrabiensis littera similiter privilegialis hanc verbatim servabat continentiam: Nos Capitulum Ecclesiae Zagrabiensis notum facimus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis, quod Religiosus Frater Martinus Guardianus Conventus Ecclesiae beatae Mariae Virginis in Tersath Ordinis S. Francisci de Observantia, in sua, et universorum suorum Fratrum Conventus ejusdem personis, nostram personaliter venerat in praesentiam, exhibuit, et praesentavit nobis quasdam litteras po[†] in in pargameno confectas, Serenissimi Principis Dei gratia Regis Hungariae, et Bohemiae videlicet Domini nostri Naturalis Gratiosissimi

Sigillo ejusdem ab intra impresso, uti prima facie apparebat, consignatas tenoris infrascripti, petens nos debita cum instantia, ut tenorem earumdem de Verbo ad Verbum in transcripto litterarum nostrarum privilegialium similiter patent, eidem dare, et concedere dignaremur, juris sui ad cautellam: quarum tenor est talis: (*Hic insertae sunt litterae Mathiae Regis Hungariae allatae suprà c. 5. §. 2. n. 3. quas ibi vide*) Nos igitur petitionibus dicti Fratris Martini Guardiani annuentes, praedictas litteras Serenissimi Domini nostri Regis de verbo ad verbum sine diminutione, et augmento aliquali transumi, et transcribi, praesentibusque litteris nostris privilegialibus inseri fecimus, dicto Fratri Martino Guardiano, ac universis fratribus supradicti Conventus duximus concedendo juris ipsorum ad cautellam. Datum feria quinta proxima post festum beati Mathiae Apostoli. Anno Domini 1481.

Ipsis itaque litteris praesentatis, tam praefato possessore antelatorum Fratrum Ordinis praedicti eisdem, quam etiam praenominato Jeronimo Soviko, sibi per nos in praemissis iudicium, et justitiam praeberi postulantibus, cum nos per eundem Soviko litteras Regales impignoratitias in facto impignorationis praetactae possessionis *Grishane*, quam per Regiam Clementiam sibi, et dicto fratri suo impignoratam fore asserebat, si quas pro sui parte haberet emanatas, coram Nobis exhiberi voluissemus, et legitimè requisivissemus. Idem ad nostram juridicam requisitionem nullas litteras impignoratitias superinde coram nobis producere, et exhiberi posse; sed ipsam impignorationem dictae possessionis *Grishane* sibi factam fore solummodo simplici verbo, referebat.

Quibus perceptis, tenoribusque praetactarum litterarum pro parte, et in personis dictorum Fratrum modo praemisso productarum, praesentibusque in superioribus verbaliter insertarum, tenoribus, et continentiis perlectis, et sane videlicet saepetactam possessionem *Grishane* applicamus in dicto districtu Vinodol habitam, ex praemissa donatione memorati quondam Domini Martini Comitibus consensu Regio roborata, tamquam merum, et sincerum jus praetacti claustrum beatae Virginis, et Fratrum praedictorum Claustro in eodem degentium, eisdem cum cunctis suis utilitatibus, et pertinentiis quibuscumque jure eis ex praemissis incumbente adjudicamus, et decernimus, reliquimus, et comisimus perpetuo, ac in sempiternum possidendam, tenendam pariter, et habendam, imo relinquimus, et committimus, ipsosque Fratres per Dominum Petrum Capitaneum Segniensem in dominium, et possessionem ejusdem Villae introducere, et eandem eisdem restituere comisimus, praemissa auctoritate Regia Nobis in hac parte attributa, et justitia mediante. Datum in dicta Civitate Segniensi quarto die termini praenotati. Anno Domini 1486.

IV. Post aliquos annos, videlicet circa annum 1574. cum multa bona Frankepanica successione haereditaria ad familiam Zrinianam devoluta fuissent, D. Georgius Comes à Zrinio Lutheri haeresi infectus etiam Bona Ecclesiae Tersactensis in Valle Vinaria vulgò *Vinodol* sita usurpabat. Mortuo Georgio D. **Stephanus Sennyey Episcopus Jaurinensis tutor Orphanorum Georgii Zrinii anno 1630.** dicta bona Ecclesiae Tersactensi usque ad legitimam praefatorum Orphanorum aetatem restituit, ut **ex Originalibus ejusdem litteris patet**, quae hujus sunt tenoris:

Nos Stephanus Sennyey Episcopus Jauriensis, locique ejusdem Comes perpetuus, Sacratissimae Romanorum Imperatoriae ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Regiae Majestatis Consiliarius, per Hungariam Cancellarius, et Nomine suae Majestatis Sacratissimae Orphanorum Domini Comitis quondam Georgii à Zrinio tutor primarius. Damus in memoriam, quibus expedit universis, quod cum ex benigno Majestatis suae Sacratissimae mandato post excessum è vivis dicti piae memoriae quondam Comitis, Commissionem revisionis bonorum Orphanorum ejusdem celebrâssemus, praesentatum est nobis in Valle *Vinodol* dicta, ad sinum maris Adriatici existente, privilegium quoddam super certis bonis Fratrum Franciscanorum Monasterii B^{mae} Virginis Lauretanae in Tersatto commorantium, quod quidem privilegium, Dominis adhuc terrestribus ante in haeretica pravitare existentibus, dum in abusum deductum fuisset. Nos tunc rei veritate, et dicti privilegii robore comperto, ex opinione etiam Officialium memorata bona pro fatis Fratribus possidenda concessimus, dedimusque, imo et in pacifico dominio eorum, autoritate nostra eos constituimus. Cum autem dictum Monasterium B^{mae} Virginis in Tersath ignis detrimentum passum sit, si, quod in tali casu facile contingere potest, praefatum privilegium quoquo modo amissum esset, aut amitteretur, super ejus visione, ratificatione, contentorum in eo executione bonorumque pacifica possessione usque ad legitimam praefatorum Orphanorum aetatem, quorum deinde favore utentur, dictos Fratres super eo assecurantes harum nostrarum vigore, et testimonio litterarum recognoscimus. Datum Viennae die 15. Mensis Decembris, Anno MDCXXX.

(L. S.) Stephanus Sennyey
Episcopus Jauriensis m'ppa

V. Postquam Orphani Zriniani ad legitimam aetatem pervenerunt, bonum *Grishane* denuo possederunt, et iniquè usurpabant, usque ad annum 1679. Ob mortem enim Petri Comitis à Zrinio, dum Bona Zriniana Fisco adjudicata erant, institit P. Franciscus Uzollini Guardianus Tersactensis apud D. D. Commissarios Caesareos sibi, et Conventui restitui bonum *Grishane*, qui visis Instrumentis, et litteris fundationalibus, justis Guardiani postulationibus deferre volentes, eidem praetensum bonum *Grishane* denuo restituerunt, ut **ex sequenti processu** originaliter patet:

Anno Domini 1679. die 30. mensis Junii in territorio Villae Grisan, et quidem intra muros ibidem per modum Arcis, seu Civitatis conservatoriae aedificatae, per nos infra scriptos Commissarios ex benignissima Resolutione, et voluntate Sac^rmae Caesariae Regiaeque Majestatis D'ni D'ni nostri Clementissimi, Nomine autem, et in Persona Excel^{mi}, et R^{mi} D'ni, D'ni Comitis Leopoldi

Kollonich Inclytae Camerae Poseniensis Hungariae Praesidis, et altetitulae Suae Majestatis harum partium Supremi Commissarii.

De manibus Ill^{mi} Dⁿⁱ Comitis Adami â Zrin (titulus) ad manus R^{ndi} in Christo Patris Fratris Francisci Uzollin Ordinis Sancti Francisci Minorum Observantiae Provinciae [Bosnae et Carnioliae](#)³⁷⁶ Conventus Tersactensis Guardiani, ac consequenter ejusdem Conventus penes clausulas privilegiorum ejusdem Ordinis Patrum, et Conventus (nihil juris, nihilque proprietatis, et dominii in Villa *Grisan* pro se, Fratribus, fratrue libus, quam et cognatis suis reservando) indicant. Et primò quidem de utilitate hujus villae *Grisan* ipsi Monasterio per familiam olim Frangepanam virtute privilegiorum superinde habitorum, Jure perennali cum omnibus, usibus, fructibus, fructuositatibus, proventibus, et emolumentis, quibuscumque, et qualitercumque vocatis, sub ejusdem Villae veris, et antiquis metis de jure, et ab antiquo ad eandem spectantibus, et pertinentibus, optimo jure collatis, nihil tamen propter potentiam Zrinianam exinde hactenus possessis. Secundò. Siquidem praetacta Civitas conservatoria, alias majori ex parte per ipsos subditos in territorio Villae hujus *Grisan*, una cum adjuncto Castello dicti Domini Comitis Adami aedificata essent, tamen ipsi Monasterio nullus census, nullaque utilitas exinde proveniebat. Proinde Nos uti supra totum, et omne jus illud, quod penes privilegia sua in hoc territorio praefati Patres, et Conventus se habituros posse sperabant, vigore praesentium, exequimur: coram Ad^m R^{ndis} Dominis Mathia Turina Ill^{mi}, et R^{mi} Domini Episcopi Segniensis in Spiritualibus Vicario Generali, ac praefati Domini Comitis Adami â Zrinio universorum bonorum maritimorum Administratore, Gregorio Papich loci, Martino Martes de Belgrad, Matthia Grubischich Hrelinensi, Nicolao Antonich Tersactensi Parochis, Francisco Ulcztolich Canonico Bribirensi; Egregiis item, et Nobilibus Francisco Kukulievich, Petro Sussich, Stephano Marich Officialibus, et Georgio Oblachich Castellano loci. Providis itidem Gregorio Marsilio Judice, Mathia Gasparovich, et Joanne Marussich Juratis: Joanne Czuirkovich, Georgio Ballacz, Nicolao Ztipanich, Joanne Juniore Marussich Senioribus populi, aliisque quam plurimis ibidem existentibus.

Ibidemque suprascriptus Franciscus Kukulievich Officialis Nominibus, et in personis Ill^{mi} Domini Comitis Dⁿⁱ Nicolai Draskovich perpetui de [Tzakostyan \[Trakostjan\]](#),³⁷⁷ uti tutoris, et curatoris testamentarii praefati Domini Comitis sui Adami â Zrinio, nec non etiam ipsius Domini Comitis Adami surrexisset, solemnissimeque protestando dictam resignationem, et executionem nostram reclamâsset, inhibuisset, neque in eandem dictos Dominos Comites quoquo modo consentiendos, sed omni meliori modo obviandos fore allegâsset. Addendo insuper nunquam in Dominio, aut possessu aliquo dictae Villae *Grisan* eosdem Patres Franciscanos neque Conventum Tersactensem praefuisse, quinimo toties, quoties in talis qualis Inscriptionis, aut colationis praetensione juxta Articulum 71. Decreti Sexti Mathiae Regis praescripsisse asseruisset. Populus insuper universus, et Seniores populi de dicta Villa *Grisan* palam, et publicè praemissae resignationi, et executioni contradixissent, et reclamâs-

sent testimonialesque super praemissis universis idem Franciscus Kukulievich sibi extradari postulâsset.

Franciscus quoque Uzolin Guardianus Ordinis, et Conventûs totius praescripti, Nominibus, et in personis super protestatione, reclamazione, inhibitioneque dicti Domini Francisci Kukulievich Populi, Seniorumque Villae Grisan pariter protestatus extitisset, Executorumque reexecutionem sub poena reoccupationis in legibus Regni sancita inhibuisset, testimonialesque superinde per Egregium Christophorum Znika Judlium dicti Comitatus Zagradiensis sibi extradari postulâsset.

Nos tamen infrascripti Commissarii praesentes protestationes, reclamationes, et inhibitiones hisce prothocolari fecimus, ac insuper Nomine praefatae suae Majestatis Sacr'mae tam praefatos Dominos Comites, quam Officiales, et subditos, eorumdem quoslibet sub poena reoccupationis, ab omni praemissorum reoccupatione, Patrumque praefatorum, et Conventus Tersactensis qualicunque turbatione contra benignissimam altetitultatae suae Majestatis Sacr'mae mentem, et resolutionem inhibuimus, et inhibemus.

Eodem itidem anno, et die praemissis adhuc continuata est Executio in facie Villa *Kottor* in Area Ecclesiae Beatorum Simonis, et Judae Apostolorum per nos infrascriptos Commissarios ex benignissima Resolutione, et voluntate Sacrae Caesariae, Regiaeque Majestatis, Domini, Domini nostri Clementissimi, Nomine autem et in persona suprascripti Excel'mi, et R'mi Domini, Domini Praesidis Camerae (titulus) de manibus praefatorum Dominorum Comitum Tutoris, et alterius Adami, ad manus praedictorum Patrum, Fratrum Franciscanorum, et Conventus Tersactensis infrascripti executio, et resignatio in tantum, in quantum nimirum dicti Patres, et Conventus virtute privilegiorum suorum sub clausula suprascriptis in hac Villa *Kottor* in possessu, et dominio ad praesens non essent. Et primò quidem si subditi in dicto territorio *Kottor* commorantes in aliquo delinquant, aut annuè aliquos census non praestant, ex tunc non ipsi Patres, verùm Officiales dicti D. Comitum Adami eosdem juxta velle suum punire, et mulctare, prouti et Officiales iisdem incolis pro libitu suo perficere, et constituere consuevissent. Secundò. Quod dum lepore[m] in dicto territorio *Kottor* pro dictis Patribus hactenus coepissent, quod alias in signum Domini iisdem Patribus dare tenerentur, mulctae eapropter scutatos 50. ab iisdem Officiales de *Grisan* extorsissent. Tertiò, quod de novis terris proventum *Bir* dictum ipsis alias à dicta Villa *Kottor*, et Chabar cedentem, iidem Officiales pro dominio suo acceperant. Quartò. Quod se variis modis in jurisdictiones eorumdem Patrum, et Conventus ibidem habitas immiscerent. Quae restitutio, et executio coram R'ndis Mathià Grubissich Hrelinensi, Francisco Marsilio loci, Nicolao Antonich Tersactensi Parochis: Egregio item Francisco Kukulievich, ac providis Joanne Kattinich Judice, Joanne Krajach, et Mathia Zorichich Juratis, Mathia Breniacz, Cosmo Kullentich, Andrea, et Petro Suppan Senioribus populi de dicta *Kottor*, aliisque quam plurimis ibidem existentibus subsecuta est.

Praefatus itidem Franciscus Kukulievich modo quo suprà protestando reclamavit, inhibuitque Nominibus, quorum supra, petiissetque uti suprà.

Idem quoque Pater Frater Guardianus pari modo, Nomine quorum supra protestatus extitisset, postulassetque uti suprà.

Nos itaque infranotati Commissarii praemissas universas protestationes, reclamationes, et inhibitiones praesentibus nostris inseri, et prothocolari curavimus, ac insuper nomine, et in persona altetitulatae suae Majestatis Sacratissimae, tam dictum Dominum Comitem Tutorem, quam alterum Dominum Comitem Adamum â Zrinio, Officialesque, et homines suos quoscumque ab omni, et totali praemissorum reoccupatione, et damnorum aliquorum hominibus dicti Conventus in Villa *Kottor* commorantibus illatione sub poena quinque millium florenorum auri, toties quoties incurrenda, dominique contra benignam suae Majestatis Sacrae voluntatem interturbatione inhibuimus, et inhibemus praesentium per Vigorem. Datum in Monasterio Czirkuenicza die 30. Junii Anno 1679. Suprascripto.

Georgius Pavessich in praemissis Commissarius m'ppa. (L. S.)

Joannes Fridericus Geiseler ab Eylau (L. S.)

similiter Commissarius m'ppa

Johann Michael Hoppert m'ppa (L. S.)

Joannes Octavianus Lumaga de Millecron (L. S.)

Capitaneus, et Commendans militiae Caes^{ae} m'ppa

Coram me Christophoro Znika Judlium dicti (L. S.)

Cot'tûs Zagrab. pro testimonio Idem m'ppa.

VI. Ex praefato processu pro eruditione plura eruuntur, *primò*, constat, quod Villa *Grishane* quoad omnes suas pertinentias occupata fuerit â Comitibus â Zrinio, Villa verò *Kottor* nonnisi quoad aliquas jurisdictiones, quae quidem ad Conventum Tersactensem de jure spectabant, ab Officialibus tamen Grisanensibus usurpatae, puta, quod Rusticos Kottarenses delinquentes ipsi puniêrint, quod lepores in signum Domini Fratribus dari solitos sub poena 50. scutatorum ipsis dare interdixissent, et quod de terris noviter excultis Officiales Grisanenses proventus traxissent. *Secundò*: quod, cùm praedicta Caesarea Commissio inhibuerit, ne subditos Kottarenses delinquentes puniant, et declaraverit id pertinere ad Fratres Conventus Tersactensis, manifestum sit, quod etiam Rustici Territorii Tersactensis, qui in fundo Ecclesiae habitant, quoad correctionem caeteraque omnia subsint Guardiano, et Conventui Tersactensi: etenim, quod Fratribus jurisdictio temporalis supra rusticos Kottarenses adjudicata fuerit, id desumptum est **ex Litteris Martini de Frangepanibus datis 1478.** in quibus, postquam Villas *Grishane*, et *Kottor* Conventui Tersactensi in perpetuum eleemosynam donâsset, subjunxit sequentia: *Totum jus, omne juris, et domini proprietatem, quod, et quam in eisdem quomodocunque, et qualitercumque hactenus habuimus, in praefatum Monasterium Beatae Mariae Virginis de Tersath, ac Fratres Ordinis B. Francisci de Observantia in eodem commorantes transtulimus pleno jure.* Sed etiam, dum territorium Tersactense anno 1431. Ecclesiae Tersactensi donâsset, donavit illud *cum cunctis earum pertinentiis ... et generaliter, cum quibus*

cumque integritatibus, utilitatibus, usufructibus, proventibus, et emolumentis qualitercumque vocatis. Deinde si etiam haec verba non probarent jurisdictionem supra Rusticos territorii Tersactensis, sufficerent **verba Maximiliani Imperatoris**, qui, postquam bona à Martino de Frangepanibus in territorio Tersactensi Conventui Fratrum Minorum ejus loci donata confirmâsset, subjunxit haec formalia: *Totum item, et omne jus nostrum Regium, si quod in praetactis totalibus Bonis, nimirum districtu, sive territorio circa praedictum Monasterium adjacentibus haberemus memoratis Fratribus Ordinis Sancti Francisci, ipsorum Successoribus universis novae nostrae donationis titulo dedimus* etc. Verba praecitata hunc obtinent sensum, quod si Martinus de Frangepanibus aut non donâsset praedictum territorium, aut potestatem donandi non habuisset, ac consequenter jus in dictum territorium ad suam Caesaream Majestatem devolutum fuisset, sic hoc jus totum regium de novo donat Ecclesiae Tersactensi. Quisquis ergo sive Martinus de Frangepanibus, sive Maximilianus Imperator jus in territorium Tersactense habuit, ambo illud in Conventum Tersactensem transtulerunt: proinde cum certum sit, utrumque potuisse in subditos jurisdictionem exercere, et cuilibet eorum justitiam administrare sive puniendo malefactores, sive praemiando bonos: consequens est, quod et Conventus Tersactensis idem jus habeat, et jurisdictionem. Tandem accessorium sequitur suum principale, nugatoria enim esset donatio alicujus territorii cum omnibus proventibus, fructibus, emolumentis, et utilitatibus, si Donatarius non haberet jus ad compellendum subditum, qui cunctaretur praedicta emolumenta pro suo debito sibi praestare, ad plenam satisfactionem. Hoc jus in subditos fundi, et territorii Ecclesiae Tersactensis pluribus probare possem, sed haec incidenter dicta sufficiant.

VII. Postquam Comes Adamus à Zrinio ex Hungaria ad sua bona maritima venisset, reoccupavit Villas *Grishane*, et *Kottor*, retinuitque usque ad suam mortem, quae accidit anno 1691. Cum autem cum morte Adami à Zrinio etiam familia Zriniana interiit, erant bona tam Zriniana, quam Frangepaniana, quae Zriniani possederant, Fisco adjudicata: hinc erant ab Inclyta Camera Hungarica ablegati duo Commissarii videlicet D. D. Georgius Ladislaus Nagy, et Balthasar Patachich, ut bona Zriniana conscriberent, coram quibus P. Petrus Francetich Guardianus Tersactensis protestationem interposuit, ne bona *Grishane*, et *Kottor* ad Ecclesiam Tersactensem de jure spectantia Fisco subjiciantur, supra factam protestationem ab iisdem D. D. Commissariis sub die 3. Novembris 1691. obtinuit **litteras testimoniales**. Quia verò sua Caesarea Majestas Leopoldus I. praedicta bona Camerae Interioris Austriae incorporare [**per summum nefas**]³⁷⁸ voluit, eidem Caesareae Majestati Patres Tersactenses supplices erant, quatenus pro sua Clementia praefatas Villas aut Conventui restituere, aut erga annuam eleemosynam redimere dignaretur: Sua Caesarea Majestas, ut bona Maritima fiscalia indivisa manerent, de consilio I. A. Camerae praedicta bona emere, et I. A. Camerae incorporare decrevit. Hunc in finem delecti erant quatuor aestimatores, duo ex parte I. A. Camerae videlicet D. D. Franciscus Francolini, et Joannes Franciscus

Peri, et duo ex parte Conventus scilicet D. D. Claudius â Marburg, et Antonius Carina.

VIII. Convenientibus praedictis aestimatoribus die 20. Septembris anno 1692. in loco *Grishane*, appretiarent dictam Villam *Grishane* f. 14094. germ. m. Villam vero Kottor f. 1874. X. 4½. quod simul exportat f. 15968. X. 4½. Cum autem in revisione **Urbariorum, Scripturarum, et testimoniorum** populi repertum fuerit, quod 80. L. quae exportant f. 15. X. 6. Dpf. 2¾. ad Ecclesiam S. Nicolai spectantes, ac eidem Ecclesiae quotannis tribui debentes â Comitibus Zrinianis, dum Ecclesia S. Nicolai ob sepulturam cujusdam haeretici Smaylovich dicti Officialis Zriniani violata extitisset, usurpatae fuissent, ac Bono Grishane incorporatae, easdem 80. L. praedicti Aestimatores dictae S. Nicolai Ecclesiae restituerunt. Pari-ter quaedam Vineae valoris 80. ducatorum, seu germ. mon. f. 90. X. 40. ad eandem Ecclesiam spectans â Zriniis occupata, et dicto bonello Grishane incorporata itidem eidem Ecclesiae restituta fuit. Unde, quia praedicta 80. annuae L. una cum Vineae, quae in praedicta aestimatione Grishane continentur, Ecclesiae S. Nicolai restitutae erant, fuerunt in aequivalenti â praedicta summa f. 14094. quibus Villa Grishane appretiata erat, detracti f. 412. X. 31. Sicque totum Capitale praedictae Villae remansit f. 13681. X. 29. quod cum Capitali Villae Kottor f. 1874. X. 4½. unitim facit f. 15555. X. 33½. uti videre est in aestimatione dictarum Villarum, aliisque Scripturis desuper emanatis.

IX. Facta aestimatione Bonorum *Grishane*, et *Kottor* initus fuit Contractus venditionis, et emptionis intra Excelsam I. A. Cameram, et Syndicum Apostolicum Conventus Tersactensis die 1. Junii 1694. qui etiam die 28. Februarii 1698. â Sua Caesarea Majestate Leopoldo I. **glor. [famosae]**³⁷⁹ mem. confirmatus fuit. Cum autem praedictum Contractum Leopoldus suis litteris inseruerit, illum seorsim adducere omitto, sed **Imperatoris tantum diploma ex ipso Originali adferam**, estque hujus tenoris:

Wir Leopold von Gottes Gnaden erwählter Römischer Kayser, zu allen zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien, Hungarn, Böheim, Dalmatien, Croatien, Slavonien König, Erzherzog zu Österreich, Herzog zu Burgund, Steyer, Carnten, Crain, und Würthenberg, Graff zu Tyrol und Görz. Bekennen für Vns, Vnsern Erben und Nachkommben am Reich öffentlich mit diesen Brieff: Als auf vorhergehend unß gehorsambist gethanen Vortrag wegen herumblassung an Vnser Inner Österreichische Hoffcammer beeder in der Graffschafft Vinodol liegenden Güetel Grisane und Kuttor, welche noch hiebeuor dem würdigen Gottshaus Beatae Virginis Gratiarum und dem Closter Ord^{is} S^{ti} Francisci Reformatorem zu Tersath durch den abgelebten Graff Martin von Frangipan per modum foundationis eigenthumblich überlassen, solche auch von Vns alß dero die gesambte Zrin- und Frangipanishe Güetter theils durch Vnsern Königlichen Hungarischen Fiscum eingezogen worden, theils aber ex defectu Seminis heimbegefallen, gemeltem Closter nach eingelangten bericht und Rathlichen guttachten gnädigst zuerkennet worden seynd, zwischen obge-

dacht vnserer I. O. HoffCammer an einem: so dan zwischen den Syndicum Apostolicum ermelten Gottshaus und denen besagten P. P. Franciscanern alda andern Theils nach derselben aufgewürkhten Pabstlichen Consens ein ordentlicher Contract aufgerichtet, und geschlossen worden folgenten Innhalts.

Erstlichen: Hochgedachter Löb. HoffCammer nicht allein das Güttel Grishane, wie bißero noch fehrners hie in dero ruhiger Possess verbleiben, sondern deroselben auch das dermahlen durch Sie P. P. Franciscaner selbstn Innen habende Güettel Kuttor cum omnibus habentiis, et pertinentiis, juribus, et jurisdictionibus realibus et corporalibus in omni meliori modo, et forma validi contractus ebenmässig, und zwar dergestalten überlassen, das Sie eine Löb. Hoffcammer solche beyde Güetter ruhig Innenhaben, und selbige dem daselbstigen Lands gebrauch nach ohne mänikliche einred oder hindernuss nuzen und geniessen könne, und möge. Da hingegen, und für das

Anderte: obligiret sich erst wohlgedachte Löb. HoffCammer für angeregte Güetter Fünzfzehn tausend Gulden zu geben und selbige auf besagten beeden Gütteln beständig so gestalten ligen zu lassen, das hiervon wohl ermelten löb. Convent daselbst zu Tersath, und dessen Syndico, das Interesse mit Jährlichen Fünf pr' Cento gereicht, und von Quartal zu Quartal durch jezigen und jeden künftigen Directorn der Hoffcammeralischen Meer und Croatischen Land Gütter auf jedmahlig beschehendes anmelden ohne einzige Verzeigerung oder suchende ausflucht, noch entschuldigung mit ein Hundert, Siben, und achzig Gulden, dreyssig Kreüzer paar, und richtig, auch in guter gangbahrer münz gegen quittung dergestalten bezahlt, das hingegen von Ihnen wohllehrwürdigen P. P. nicht allein vor die Familia der Graff von Frangipan See. alß Stüffter, die vermög Stüfft und Fundations Brieff (welche der Hochlöb. I. Ö. HoffCammer in authentica forma mit, und neben diesen Contract zu extradiren seyn werden) schuldige Obligationes ohne Unterbruch fort unf fort treülichen verichtet, sondern auch vor Ihro Kay. May. etc. als Supremum Fundatorem et Protectorem, wie auch das gesambte hochlöblichste Erzhaus von Österreich ex motivo debitae gratitudinis deroselbst eigenen demüthigsten erbieten gemäss wochentlich alle Sambstag aldort zu Tersath vor dem Gnadenbild Beatae Virginis des hohen Altars ein H. Meess celebriert und neben dem täglichen gebett und H. Meessopfer auch in der Lytaney, so alle abends vor gedachten wunderthätigen Gnadenbild gehalten wirdet, die Collecta unaussezlich beygesezet werden solle. Da zum Fahl aber

Drittens: obgemeltes Interesse (von welchen sie P. P. gleichsam leben müssen, und die Kirchen versehen wirdet) über Jahr und Tag nicht entrichtet werden solte, solle dieselbe befuegt seyn, sich ipso facto in die Possess erholter beyder Güetter sezen und so lang darinnen zu verbleiben, biß ihnen solch außständige Interesse völlig bezahlt und abgetragen. Ihnen

auch genugsame Versicherung wegen künftiger richtigeren zuhaltung gegeben worden seyn wirdet.

Viertens thut offtgedachtes würdiges Gottshaus und das Löb. Convent Ord^{is} S^{ui} Francisci Reformatorum ihnen hiemit per expressum, et in optima juris forma reserviren, und in Specie vorbehalten, das wan gemelte Hoffcammeralische Meer, und Croatische Landgütter wider alles besseres Verhoffen über kurz oder lang abalienirt oder in frembde Hände kommen solten, berührte Zwey Güttel Grisane und Kuttor keines weegs mit verkaufft, noch hindan gegeben werden sollen, noch mögen: sondern es sollen in eo casu solche Güttel dem würdigen Gottshaus und dem löblichen Convent zu Tersath eben dergestalt und auf jene weis, wie solche hierüber gelassen worden, widerumb heimgestellt und cum omni jure, et jurisdictione ohne geringsten Reservat zurug gegeben werden.

Fünftens. Ist auch dieses abgeredet, und verglichen worden: das auf die etwo beschehende wider abtretung die meliorationes sowohl, alß die deteriorationes von einem Theil dem andern nach unparthayscher schätzung guttgemacht werden, und damit solches umb so viel füeglicher geschehen könne, sollen zwey gleichlauthende Urbaria neben denen dermahligen schätzungen aufgerichtet, und jeden contrahirenden Theil ein geförtigtes Exemplar zugestellt werden.

Sechstens und schliesslichen verspricht eine Löb. HoffCammer oft gedachten würdigen Gottshaus und des Löb. Convents desto mehrern Versicherung diesen Contract gegen Hereingebung eines von Ihnen unterschribenen, und producirung des Päbstlichen Consens von Ihro Kayserlichen Mayestät selbsten confirmirten zuzustellen.

Alles getreülichen, ohne gevörde, auch bey Verbindung des Landschaden Bunds in denen I. Ö. Landen wie auch gemäss der allgemeinen Rechten des Königreichs Croatien.

Actum Grätz den Ersten Juny des Sechzehnhundert Vier und Neünzigsten Jahrs etc.

Vnd Vns nun solcher Contract in Originali zu dem Ende gehorsambist fürgebracht worden, auf das Wir selbigen alß der so wohl Vns, und Vnserer I. Ö. HoffCammer, alß auch erwehnten Gottshaus und Closter deren P. P. Franciscanern zu Tersath Convenient und vortränglich ist, umb mehrer würde- und kräftten willen selbst gnädigst zu ratificiren, und zu confirmiren geruhen wolten. Als haben wir hierauf mit wohlbedachten Muth, guten Rath und rechten wissen, aus Kayser: König: und landsfürstlicher Machtsvolkommenheit diesen obstehenden Contract, gnädigst ratificirt, confirmirt und bekräftiget: confirmiren, ratificiren und bekräftigen denselben auch hiemit wissentlich in krafft diß Brieffs, und mainen, sezen, und wollen, das solcher in allen und jeden Puncten, Clausule, Innhalt und Begreifungen gänzlich bey Kräftten bleiben, von beeden contrahirenden Theillen vestiglich gehalten, und von keinen darwider gethann noch gehandelt,

sie auch krafft diser unserer gnädigsten ratification und confirmation darbey allerdings geschutzt und gehandhabet werden sollen. Gnädigist ohne gefährde. Mit vrkund diß Brieffs besiglet mit vnsern anhangenden Kay. Insigel. Der geben ist in vnserer Stadt Wienn, den acht, und Zwainzigsten Februarii im Sechzehnhundert, acht und neünzigsten, Vnserer Reiche des Römischen in Vierzigsten, des hungarischen in drey und vierzigsten, und des böheimbischen in zwey und vierzigsten Jahre.

Leopold.
Julius Fridrich Graff
Bucceleni

(L. S.)
pend.

Ad mandatum Sac^{tae} Caes^{tae}
Majestatis proprium
Joh. Ferd. von Weissenberg

X. Cum certum sit, quod Bona Ecclesiastica immobilia, aut mobilia pretiosa sine consensu Sedis Apostolicae alienari non possint, ideo P. Antonius Lazari tunc Minister Provincialis Provinciae Croatiae Carnioliae cum V'Diff'rio pro obtenendo Apostolico beneplacito ad Innocentium XII. humillimè recurrerat. Pontifex rem commisit Nuntio Apostolico Viennae residenti Em^{to} D. Cardinali Tanario, quia autem is paulo post Viennâ discesserat, ejus Successor Ill^{mus}, et R^{mus} D. Andreas Santacrucius Archiepiscopus Seleuciensis negotium ad effectum deduxit, ut ex sequenti **ex authentica copia desumpto Instrumento**, quod hujus est tenoris, clarescit:

ANDREAS SANTACRUCIUS Dei, et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Seleuciensis S. D. N. D. INNOCENTII Divina providentia Papae XII. Praelatus Domesticus, et Assistens, Ejusque, et dictae Sanctae Sedis apud S. Caes. Mat^{tem} Leopoldum in Imperatorem electum, nec non per Germaniam, Hungariam, Bohemiam, Croatiam, Austriam, Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Tyroliam, Goritiam, universumque Romani Imperii districtum, cum facultate Legati de latere Nuntius.

Dilecto Nobis in Christo Ad'm Rev^{do} P^{ri}, F^{ri} Bernardino Gregoritsch Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum Provinciae Carnioliae, Min^{ro} Pro'ali, salutem in Domino sempiternam.

Petitio pro parte tua nomine etiam Ecclesiae, et Conventus Tersactensis, totiusque Provinciae, nuper Nobis humiliter porrecta continebat, quod cùm aliàs Ss^{mus} D. N. D. Innocentius Divina providentia Papa XII. ad praesens felicissimè regnans per Breve Apostolicum, tenoris, ut infrà, Em^{mo} ac R^{mo} D^{no} Cardinali Tanario, tunc temporis ad Aulam Caesaream Nuntio Apostolico, Antecessori nostro commiserit, quatenus ad approbationem cujusdam contractus ineundi, inter dictam Ecclesiam, et Conventum, ac Inclutam Cameram Interioris Austriae super quibusdam Bonis, olim per D^{num} Comitem Martinum de Frangepani eidem Ecclesiae, et Conventui donatis, et postmodum per Eamdem Cameram possessis, deveniret, dictus verò Em^{mus} Dominus Cardinalis Tanarius contractu nondum approbato, ex his Regionibus discesserit, ac aliàs multum intersit, ut

dicti Contractûs approbatio sequatur, Nobis in eodem munere Apostolico succedentibus, supplicandum duxerit, quatenus ad supradicti Brevis executionem, ac praefati Contractus approbationem devenire dignemur. Nos propterea supplicationibus hujusmodi inclinati, petitioni tuae satisfacere, et dictae Ecclesiae, ac Conventus Bono, quantum in Domino possumus, consulere volentes, **viso dicto Brevi in Originali**, coram Nobis producto, ac antea dicto E^{lmo} D'no Cardinali oblato, ac porrecto tenoris, ut sequitur. Videlicet:

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Antonius Lazari Minister Provincialis, Paschalis Mazoll, Petrus â Flumine, Henricus Fabiani, et Zacharias Bartig Diffinitores, ac Sigismundus Sigonius Custos Provinciae Carnioliae Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quod aliàs â quondam Marchione Martino Frangepani, pro fundatione Conventûs oppidi, seu loci de Tersato Provinciae, et Ordinis praedictorum, assignata fuerunt nonnulla bona stabilia, ad hoc, ut ex eorum redditibus ejusdem Conventus, illiusque Ecclesiae necessitatibus subveniri posset, verum progressu temporis bona hujusmodi de Zrinio usurpata fuerunt, ac postea cum Camera Imperialis Viennensis, et Grecensis extinctâ dictorum Comitum familiâ, eorum bona Fisco addixissent, inter haec etiam ista sub praetextu, quod iidem Comites omnium, quae possidebant, seu detinebant, Domini essent, comprehensa remanserunt: Quamobrem cum ipsi Exponentes Charissimo in Christo Filio nostro Leopoldo Romanorum Regi, in Imperatorem electo, rem hanc pluries exposuissent, enixè postulantes, ut Bona pro fundatione praetacti eorum Conventûs, sicut praemittitur assignata restituerentur, dictus Leopoldus Rex, comperta praemissorum veritate mandavit, ut loco restitutionis eorumdem Bonorum, factâ aestimatione illorum valoris, annuus redditus, ad rationem quinque pro singulo centenariio, â Cameris Imperialibus praefatis Conventui supradicto solvi debeat, accedente ad hoc Ejusdem Leopoldi Regis promissione Bona hujusmodi nunquam alienandi. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, praemissa si fiant, in evidentem Conventûs, et Ecclesiae praedictorum cessura sint utilitatem, ac proinde exponentes praedicti, ut se miseris, in quibus plurimis ab hinc annis reperiuntur, eximere valeant, contractum desuper inire posse, plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportunè providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur: Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas â quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, et poenis â Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum praesentium dumtaxat, consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum consilio, et attenta relatione tua super praemissis ad eosdem Cardinales transmissa, Fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et servata in caeteris formâ litterarum fel. record. Urbani Papae VIII.

Praedecessoris nostri desuper in simili forma Brevis de XXII. Julii MDCXXV. expeditarum, Contractum praefatum, Auctoritate Nostra Apostolica pro tuo arbitrio, et Conscientia approbes, atque confirmes, ita tamen, ut pecunia ex annuo reddito praetacto proventura, Syndico Apostolico solvatur, et per ipsum in usus in litteris hujusmodi praescriptos erogetur: non obstantibus praemissis, ac fel. record. Pauli II. et aliorum Romanorum Pontificum, Praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiasticis non alienandis, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Conventus, Provinciae, et Ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Julii MDCXCIV. Pontificatûs nostri Anno tertio.

I. S. Cardinalis Albanus.

Venerabili Fratri Sebastiano Antonio Archiepiscopo Damasceno apud charissimum in Christo Filium nostrum Leopoldum Romanorum Regem in Imperatorem electum, Nostro, et Apostolicae Sedis Nuntio.

Viso alio simili Brevi fel. record. Urbani Papae VIII. inibi emandato, viso instrumento donationis dictorum Bonorum per supradictum Dominum Martinum Comitem Frangepani, favore dictae Ecclesiae, et Conventus Tersactensis factae, viso itidem documento aestimationis eorundem Bonorum Grisane, et Kottor nuncupat. viso tandem contractu cum supradicta Camera circa eadem Bona Grisane, et Kottor inito, mediante quoque conventum est, ut eadem Camera, penes quam dicta Bona remanent, pro summa quindecim millium florenorum, ad quem valorem Bonorum Grisane, et Kottor, juxta aestimationem factam ascendere compertum fuit, dictae Ecclesiae, et Conventui, sive verius ejus Syndico, Interesse ad rationem quinque pro quolibet centenario, quolibet trimestri absque ulla excusatione, vel dilatione solvere teneatur: ita, quod in casu retardationis hujusmodi solutionis per diem, et annum, liceat eidem Ecclesiae, ac Conventui, ipso facto, nulloque servato juris ordine praefata utraque Bona recipere, et occupare, et tamdiu detinere, quousque ex integro, eidem satisfiat: nec non Conventum, ut eadem Bona Grisane, et Kottor, ullo umquam tempore, vel casu vendi, vel alio modo alienari possint, sed si praefata Camera illa amplius retinere non vellet, dictae Ecclesiae, et Conventui eo modo, et forma, quâ fuerunt recepta, cum omni jure, ac Jurisdictione absque ulla minima reservatione (salvo tamen jure meliorationum) restitui, ac reddi debeant, ac aliâs, prout fusius in eodem contractu continetur: Visis videndis, ac consideratis considerandis, ad executionem dicti Brevis Apostolici, eâ, quâ par est reverentia, ad approbationem praefati Contractus deveniendum esse duximus, prout hisce praesentibus nostris, Authoritate, ut suprâ delegata devenimus, ac in Dei Nomine, omni meliori modo, ac formâ approbamus: ita tamen, ut pecunia ex annuo reddito praetacto proventum

Syndico Apostolico solvatur, et per ipsum in usus in dicto Brevi fel. record. Urbani Papae VIII. praescriptos erogetur: non obstantibus omnibus iis, quae Ss^{mus} Dominus Noster in dicto Brevi Apostolico voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Viennae ex Palatio Apostolico Nostrae solitae Residentiae die IV. mensis Februarii Anno Domini MDCXCVIII.

(L. S.)

A. SC. Seleucien. Archiep.

Fran^{cus} Bentinius Aud^r Gn^{'lis}, et Cancel^{tus}

Quod praesens copia juxta suum Originale collationata, et de Verbo ad Verbum consentiat, testor hac mea subscriptione, et consueto sigillo. Graecii 17. Februarii 1698.

(L. S.)

Joannes Ernestus Milpforth

Sac^{lae} Caes^{lae} Mat^{'tis} I. A. Regiminis
Registrator.

XI. Ex contractu inter Excelsam Cameram, et Syndicum Apostolicum Conventus Tersactensis Fratrum Minorum constat, quod ibidem non sit posita totalis summa pretii, sed tantum f. 15000. quod ex inadvertentia contingere potuit, nam Camera Graecensis fideliter exolvit f. 15681. X. 29. qui 681. f. 29. X. comprehendunt sub se f. 555. X. 33½. ac quasdam silvulas, quae aestimata non erant. Quod enim f. 15681. X. 29. exoluti fuerint â Camera Graecensi, patet ex testimonio Generalis Cassae Administratoris, quod hujus est tenoris:

Ich Philipp Valentin Paul der Römisch. Kay. May. Rath und General HofzahlAmpts Administrator, und Ich Johann Fridrich Wurzer Contralor bekennen hiemit, das wir von allerhöchst ernant Ihrer Kay. May. I. O. HofCammerRath und Pfening Meistern dem Wohledelebohrnen Herrn Sebastian Hayd von Haydegg zu Weyer: Königsfeld, und Wartemhaimb etc. auß seinen vnterhabenden Amptsgefällen, in specie aber an den Buccarischen Kauffschilling rest, benantlichen fünfzehn tausend, Sechs Hundert, achzig ain gulden, neün und zwainzig Kreüzer rein. und die zu handen des Ehrwürdigen Conventus Ordinis Minorum Sancti Francisci zu Tersath wegen Ihrer auf das der orthen gelegene Güettel Grisane habender praetensionen in das vns der zeit anvertraute Kay. General Hof Zahl Ambt richtig empfangen haben. Vrkund dessen etc.

Wienn den 15. Tag April A^o 1694.

Pro 15681 f. 29. Xr'

(L. S.) Philipp Valent. Paul

(L. S.) Johann Fridrich Wurzer
Contralor.

XII. Anno 1698. die 4. Martii ab Excelsa I. A. Camera demandatum fuit Administratori Bonorum Maritimo fiscalium, ut â 15000. f. â 5. pro Cento, tamquam annuum Interesse ex proventibus Buccarensibus solvat Conventui Tersactensi fl. 750. Quia verò Viennae primitus â Camera Graecensi depositi erant, ut supra visum fl. 15681. X. 29. hinc Eadem Camera ad plenam satisfactionem Conventui ex iisdem Buccarensibus proventibus solvi curavit f. 681. Xr' 29. quorum nunc f. 680 Viennae denuo investiti sunt, nam f. 1. X. 29 non erant accepti, qui tamen restituendi essent in casu, quo praedicta Excelsa Camera Conventui Tersactensi bona Grisane, et Kottor reddere vellet.

§. VII.

De eleemosyna pro Conventu Tersactensi â Martino de Frangepanibus in suis Castris *Bacchar, Bribir, Novi, Othoczacz, Okich, et Castagniza* fundata.

I. Quae, et quanta sit eleemosyna, quam Martinus Comes de Frangepanibus ex proventibus praedictorum suorum castrorum Conventui Tersactensi quotannis pendi jussit? **Ex ipsius Originalibus litteris** supra c 5. §. 1. n. 1. adductis facile pervideri potest: in quibus ad rem sequentia leguntur: *Item de pertinentiis, et redditibus Castri nostri Bacchar centum libras solidorum, et decem spodia Vini mensurae ipsius loci una cum quatuor domibus Morlachorum Item de pertinentiis, et redditibus Castri nostri Bribir dicti sexaginta libras solidorum, et decem spodia Vini mensurae ipsius loci. Item de pertinentiis, et proventibus Castri nostri Novigrad dicti centum libras solidorum, et viginti spodia Vini mensurae illius loci cum duabus domibus duorum Morlachorum Item de pertinentiis, et proventibus Castri nostri Othocac quantum ad partem nostram sexaginta staria tritici, decem milii, et alia decem staria ordei. Item de pertinentiis, et proventibus Castri nostri Okich decem porcos annuatim. Item de pertinentiis, et proventibus Castri nostri Castagniza decem porcos.* Consistebat ergo totalis eleemosyna in libris 260. et 6. domibus Morlachorum, ac 40. spodiis Vini quantum ad Castra *Bacchar, Bribir, et Novi.* Ac 20. S. V. porcis ex Castris *Okich, et Castagniza.* Ex Castro verò *Othoczacz* proveniebant 60. staria tritici, 10. milii, et 10. hordei. Ex his postremis tribus Castris, quia ad alienas manus pervenerunt, nam *Othoczacz* est sub militari jurisdictione, *Castagniza* sub jugo Turcico gemit, Conventus nil percipit amplius.

II. Castra verò *Bacchar, Bribir, et Novi,* quamvis in districtu Vinodolensi sita sint, varias tamen vicissitudines passa sunt. Etenim praedicta bona haereditaria successione ad Comites â Zrinio devoluta erant, qui sua praepotentia freti, praesertim dum haeresi Lutherana inficerentur, non tantum bona Grishane, et Kottor, ut visum, injusta usurpatione occuparunt, et Ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, ac ejus beatissimam Matrem sua haereditate spoliarent. Sed etiam

eleemosynam suprâ Castra *Bacchar*, *Bribir*, et *Novi* fundatam tribuere recusarunt, quos tamen Maximilianus II. ad contribuendam praedictam eleemosynam Conventui Tersactensi denuo obligavit, ut **ex ejus Originalibus litteris signatis Viennae die 20. Aprilis 1574.** patet, quae hujus sunt tenoris:

Maximilianus secundus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae etc. Fideli nostro, Spectabili, et Magnifico Comiti Georgio de Zrinio Tavernicorum nostrorum Regalium in Hungaria Magistro, et Consiliario nostro salutem, et gratiam. Expositum est Majestati nostrae in personis fidelium nostrorum Religiosorum Fratrum Ordinis Sancti Francisci Confessoris de Observantia in Regno nostro Croatiae commorantium. Quod licet Magnificus olim Comes Martinus de Frangepanibus Avus tuus maternus, eisdem in ultima testamentaria dispositione de Castro Bakar libras centum, et decem spodia Vini, et quatuor domos Marlachorum: de Castro Bribier libras sexaginta, ac decem spodia vini, et de Novo Castro libras centum monetæ Venetae, viginti spodia vini, et duas domos Marlachorum in toto quadraginta florenos hungaricos facient. quot annis in perpetuam eleemosynam dari, et erogari debere commississet: hujusmodi tamen eleemosynae usus jam per Successores dicti quondam Martini de Frangepanibus, Praedecessores videlicet tuos omnino è medio esset sublatus, supplicantes Nobis humiliter, dignaremur eis in restituendo pio hujusmodi Majorum tuorum instituto, de opportuno remedio clementer providere: quorum supplicatione benigniter exaudita, quum injustum, à pietateque alienum sit tales dispositiones ad pios usus factas aboleri, Fidelitati tuae harum serie firmiter committimus, et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, et praemissis sic, ut praefertur, stantibus, et se habentibus praedictam Eleemosynam dictis exponentibus juxta Testatoris institutum, et ultimam voluntatem imposterum haud gravatim dari, et persolvi facere debeas. Secus non facturus. Praesentibus perfectis exhibenti restitutis. Datum Viennae vigesima die mensis Aprilis. Anno Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

Maximilianus

(L. S.)

Jauriens. m'ppa

III. An Comes Georgius de Zrinio huic Caesareo mandato obtemperaverit? dubius haereo, et sum in partem negativam proclivior, nam eandem sortem haec eleemosyna cum Bono Grishane, quod etiam Zrinii injustè occupaverant, habuisse putatur: De Grishane autem constat, quod illud Conventus tempore contractus cum Excelsa I. A. Camera initi non possederit. Tum quia, postquam post annum 1671. potiora bona Zriniana Fisco adjudicata fuissent, Excel^{l'mus} et R^{t'mus} D. D. Leopoldus Comes à Kollonitsch Camerae Hungaricae Praeses, et partium maritimarum Supremus Commissarius demandavit die 16. Dec. 1679. D'no Joanni Friderico Geisler ab

Eylau Bonorum maritimo Fiscalium, et Portûs liberi Buccarensis Administratori, ut Conventui Tersactensi specificatam eleemosynam ex praedictis Castris tribui faciat. Certò hoc mandatum non fuisse exaratum, ei Georgius Zrinius mandato Caesareo obsecundâsset. Etsi verò dictus Comes Georgius praedictam eleemosynam fideliter exolvisset, id tamen certum, ejus solutionem fuisse â suis Successoribus denuo intermissam. Mandatum Excel^{mi}, et R^{mi} D'ni Leopoldi â Kollonitsch est hujus tenoris.

Nomine Sacrae Caesareae, Regiaeque Mat'is, Inclytae Camerae Hungariae Generoso Domino Joanni Friderico Geisler ab Eylau Bonorum Maritimo-Fiscalium, et Portûs Liberi Buccarensis Administratori, et Successoribus ejus intinandum. Perlustrata, et debita consideratione perpensa esse pia legata Conventui Sanctae Mariae in Tersacti Ordinis Minorum S^{ti} Francisci de Observantia, antea temporibus ab Ill^{mo} quondam Comite Martino de Frangepanibus mediante certo diplomate ejusdem, per Notarium autoritate Pontificia, et Caesarea Publicum ex Originali suo verò transumpto, nobis ad perlustrandum communicato, et hic copialiter annexo, fundamentaliter instituta, et ab Invictissimo quondam Imperatore Maximiliano Secundo glorioss^{mae} reminiscentiae ratificata, tenore quorum nonnulli redditus, et annui proventus dicto Conventui in subsidium intertentionis familiae ejus, pendendi veniunt, videlicet ex Castro Buccari centum librae solidorum, et decem spodia vini ejus loci mensurae: Ex Castro verò Novi centum pariter librae solidorum, et viginti spodia vini, quibus per lapsum tempus ob contrarietatem Comitum quondam Zriniurum injustè privatus, hucusque carere debuit, pro reobtinendis verò iisdem apud Inclytam Cameram mediante demissa ejusdem instantia, hic in origine adjecta, se decenter insinuavit, quatenus mentionata fundationalia pia legata per vestram dominationem, et Successores ejus in praetactis Castris suprafati Conventûs Tersactensis Patribus de novo designari, et imposterum annuatim iis administrari cameraliter ordinentur.

Et cum praerepetiti Conventus instantia hoc in passu, justitiae, et aequitati consentanea: Praetereaue Inclytae Camerae Regiae, ac Fisco parvo sit futura incommodo, seu, quae per talem piorum legatorum inconscientiosam detentionem nemini detrimentosa, bene autem in effectuantis, et promovendis similibus bonis operibus pro Dei honore, et incremento Religionis per se facilis, et prompta esse desiderat.

Quapropter Vestrae Dominationi, quam et Successoribus suis diligenter committitur per praesentes, quatenus praememoratos redditus ex Castro videlicet Buccari centum libras, et decem spodia Vini: Item ex Castro Novi centum itidem libras solidorum, et loci viginti spodiorum Vini, alias centum, et quinquaginta libras solidorum ex instituto legato suprafati quondam Comitum Martini de Frangepanibus attacto Conventui Tersactensi Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia annuatim deputatos, â die primo Januarii anni proximè futuri, seu praesentationis hujus commissionis computando, imposterum quotannis statis temporibus sine procrastinatione ulla ex mediis, et proventibus eorundem Bonorum

Fiscalium curae, et administrationi VDna'tois concreditorum, in subsidium intertentionis Patrum Conventualium erga eorumdem Patris Guardiani quietantiam in Camera acceptandam exactè, et sine defectu exolvat, cui ordinationi sese in omnibus accomodare sciverit D'natio vestra, Successoresve sui, quam in reliquo diu felicem supervivere cupio. Datum Neostadii die decima sexta Decembris Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo nono.

(L. S.)

Leopoldus Comes à Kolloniz
Ep'pus Neostadiensis Eques.

IV. Cum autem anno 1691. mortuo Adamo à Zrinio ultimo ex stirpe Zr-niana bona maritimo-Fiscalia, inter quae etiam Castra *Bacchar*, *Bribir*, et *Novi* comprehensa erant, Excelsa I. A. Camera ad se traxisset, fuit eidem à Conventu Tersactensi supplicatum, quatenus eleemosynam 260. librarum, et 40. spodiorum vini supra dicta Castra à Martino de Frangepanibus fundatam Conventui elargiri dignaretur. Excelsa Camera justae Fratrum petitioni deferre volens, assignavit loco praedictorum solidorum, et vini emolumentorum ex Proventibus Buccarensibus annuatim Conventui f. 86 X. 15. dandos, prout ex litteris ejusdem ad Ill'mum D. Ludovicum Comitem Coronini Supremum Directorem Buccari patet, quae hunc continent tenorem:

Hoff Cammer.

Demnoch wir den P. P. Franciscanern zu Tersath eingeraichtes demütiges anbringen und vermög des zwischen vnß und der daraustigen HofCammer aufgerichteten und von Ihro Kay. May. allergnädigst bestätigten Vergleichs in gnaden gewilliget, das das jenige quantum, so in gelt, wein und andern effecten von denen überlassenen fisalischen Meer güttern theils ex fundatione theils per modum eleemosynae denen P. P. Franciscanern zu Tersath von alters hero alljährlichen geraicht worden, denenselben auch führohin anoch der vnß zugestellten Verzeichnus geraicht werden solle, und sintemahlen das Jährliche Quantum so theils in gelt theils in wein bestanden, und entrichtet, anjezo aber völlig zu gelt geschlagen und Jährlich für all und jedes 86. f. 15. Xr' außgesezt worden ist. Alß haben wir untern heüntigen Dato vnsern vnterhabenden Rendmaister, und Inspector daselbst Carl von Dopp anbefohlen, das derselbe solches bey seinen anvertrauten Ambt gehörig ad notam nehmen, und besagten Patribus Franciscanern zu Tersath zu solchen Ende à dato ersten Januarii dieses Jahrs und hinführo, so lang kein widriges anbefolchen wurdet, alljährlich 86. f. 15. Xr', und zwar die gebühr jedesmahl von Quartal zu Quartal or-

dentlich krafft dieses gegen quittung bezahlen solle, so ihme H. Graffen gleichmässig zur nachricht in gnaden angedeutet würdet. Dan es etc. Graz den 4. Marty 1698.

Hoc transumptum concordat in omnibus cum suo originali.
Ita testor infrascriptus. Graecii die 22. Martii 1698.

Jacobus Andreas Catharin
Sac. Caes. Maj. Int. Aust. Camerae
Secretarius, et Registrator

V. Praerecensita Summa f. 86, Xr' 15. quae Conventui in vicem pro 260. librarum solidorum, et 40. spodiorum vini ex praetactis Castris virtute foundationis Frangepianae quot annis obveniebant comportata cum f. 750., qui Conventui ratione Bonorum Grishane, et Kottor obveniunt, facit summam f. 836. X. 15. quae usque in hodiernum diem ex proventibus Buccarensibus fideliter solvuntur. His si adjungitur ex 680. f. qui pariter propter Bonum Grishane Viennae investiti sunt, proveniens annuum â 5. p^{ro} Cento Interesse f. 34. erit totalis summa, quam Conventus, et Ecclesia ex bonis fundationalibus in districtu Vinodolensi sitis percipit f. 870. X. 15.

§. VIII.

De Thesauro Ecclesiae Tersactensis.

I. Paragraphum hunc ex singulari affectu, quo in auri, argentique amatores, et thesaurorum fossores feror, pertractandum assumpsi, ut eis veram viam ad inveniendum Tersactensem Thesaurum ostendam: Communis quippe vox est circa Tersactum habitantis populi, et falsa persuasio, quod Ill^{mus} D. Comes Martinus de Frangepanibus piissimus Conventus, et Ecclesiae Tersactensis fundator, ingentem thesaurum Fratribus reliquerit: quem Fratres ob majorem securitatem partim in Arce Tersactensi, partim in sepulchro Frangepanico custodiebant. Hoc communi praejudicio non tantum plebs, sed etiam ipsa Suprema Caesarea Intendenza imbuta erat, quae obinde, an jussu Supremae terrae Principis, an motu proprio? ignoro, delegavit quatuor conspicuos viros, quos reverentiae ergo silentio involvo, ut se Tersactum conferrent, Sepulchrum Comitum de Frangepanibus aperirent, thesaurum quaerere, inventum tollerent, ac Flumen deportarent. Obtemperantes viri delecti mandatis supremis venerunt Tersactum die 11. Decembris anno 1775. sub collatione Vespertina Fratrum stipati caterva militum, qui Ecclesiam, et portam Conventus circumdederunt, ne fors aut Fratres thesaurum reconditum asportarent, aut populus thesauri particeps fieri desiderans importunè irrueret. Horum jussu *revolutus est lapis ab ostio monumenti* Frangepanici, quo revoluti omnes, an Divinus, vel naturalis horror? non decido, adeo perculit, ut nullus primus, qui intraret, esse voluerit, quamvis se ad invicem exhortarentur, hinc P. Colmanum Mulei eo tempore loci Guardianum intrare compulerunt, qui intrante alii reassumpto nonnihil

spiritu, unus ad primum, alius ad tertium gradum descendentes â longè introspexerunt, alii *introeuntes in monumentum*, cum non invenirent thesaurum, quem diligebat anima eorum, conturbati, et conterriti, ac rubore suffusi recesserunt â monumento, imponentes P. Guardiano, ut nec per se, nec per suos subditos rem propalaret: ast nunquid factum celari poterit? quod tota vicinia vidente, et admirante contigit. Non multos post dies haec Caesarea Intendenza abolita, et suppressa fuit, cum Civitas Fluminensis una cum territorio Tersactensi Regno Hungariae incorporata fuerit, hinc haec Intendenza in sepulchro Frangepanico propriam sepulturam invenit: quare non immeritò quidam Poeta cecinit

In tumulis auri cumulum Intendentia quaeris?

Non aurum, tumulum laesa sepulchra dabant.

II. Ut itaque homines â falsa opinione de hoc Tersactensi thesauro concepta liberem, clarè ostendam, cui fundamento haec opinio innixa sit, et in quo praedictus thesaurus hujus Reformatae Croatiae, Carnioliae Provinciae. Visum est supra part. 2. c. 1. §. 2. et c. 2. §. 1. n. 2. et 3. quod Provincia nostra in sui divisione â Vicaria Bosnae habuerit 29. [31.]³⁸⁰ Conventus, qui ob Turcarum continuas excursions aut destructi, aut deserti erant exceptis tantum duobus Conventibus videlicet Tersactensi, et Segniensi, fugientes Fratres â facie inimicorum, asportarunt ex Conventibus res facilioris portaturae, puta Calices, turibula, cruces, Reliquias, aliasque, quantum per tempus licuit, et ad loca securiora domui Austriacae subjecta, factâ ad id eis licentia â Ferdinando Archiduce Austriae anno 1540. ùt suprâ part. 2. c. 12. §. 1. n. 8. visum, transportârunt. Cum autem Conventus Tersactensis immunis erat ab omnibus Turcarum invasionibus, Fratres res Sacras â potiori ad hunc Conventum ex Conventibus desertis transtulerunt. Quia autem Christiani Nominis inimicus semper his locis magis, magisque appropinquaret, timuerunt Fratres, ne Conventus rebus Sacris spoliaretur, ideo petierunt â D'no Casparo Rab tunc temporis Arcis Tersactensis possessorem, quatenus ipsis in Arce unum locum assignaret, in quo suis expensis unum cubiculum per modum Sacristiae pro conservandis paramentis, calicibus etc. aedificare possent.

III. Fratrum petitioni Cl. D. Casparus Rab libenter annuit, ut **ex hoc publico instrumento** patet, quod hujus est tenoris:

Al Nome d'Iddio Amen.

L'Anno della Natività del nostro Salvatore Jesu Cristo 1582. nella indizione decima, il giorno veramente de Giovedì à 19. di Luglio fatto nel Castello di Tersatto posseduto al presente dal Cl. Sig^r il Sig^r Caspare Rab Cavalliere etc. del Ser^{mo} Principe Carlo Arciduca d'Austria etc. Cons^e et Cap^o di Segna etc. con il tenor della presente se dichiara, et fa fede indubitata â chiunque sarà presentata. Qualmente il molto Ven. P. Frà Bernardino dell' Ordine di San Francesco dell' Osservanza Ministro,

et Provinciale de Bosna, Croatia etc. et il Ven. P. Frà Georgio Guardiano del Convento di Sa^{ta} Maria di Tersatto intervenendo per nome loro, et dell'altri Padri del detto Convento considerando, che li confini di Croatia, et altri luoghi maritimi tutta via pii[†] si van restringendo, et il Turcho nemico della Santa fede Christiana si va approssimando â danni, et ruine della Christianità, et di questi confini, et volendo provvedere, che le cose sacre, gioje, et altri paramenti donati, et lasciati da persone pie, et devote alla detta Chiesa per servitio d'Iddio dall'invasione del detto nemico siano salve, et poste in luoco sicuro, et non siano depredate, et con disprezzo di quelli strassinate, et abbrugiate, hano determinato de commun consenso â nome di tutto il Convento ricorrere dal predetto Cl^{mo} Sig^r Rab possessore del detto Castello di Tersatto, et espostoli il predetto pericolo, che sopra sta al detto povero Convento pregar S. S. Cl^{ma}, che per servizio d'Iddio li vogli concedere per reponer, et conservar le dette cose sacre paramenti, gioie, et altre cose pretiose un loco nel detto Castello, et fortezza di Tersatto, dove â spese del detto pover Convento possano fabbricarsi un lochetto, et Sacristia per salvar quelle sotto diligente custodia. Nel che oltra che farà cosa molto grata â Iddio, propria â un vero, et Cattolico Sig^{re}, et Cavall^o che la è, essi Padri non mancarano con le loro humil orationi pregar' Iddio per S. S. Cl^{ma} e li suoi.

La qual dimanda il detto Cl^{mo} Sig^r Rab havendo â pieno intesa, et giudicando quella esser giusta, pia, et S^{ta}, et tendente alla conservatione delle cose Sacre di detta benedetta casa, et Chiesa di S^{ta} Maria, et essendo sempre stato peculiar costume di S. S. Cl^{ma} â tutto suo potere, favorire, et ajutare la detta Chiesa, et Convento di sua spontanea, et libera volontà, si è contentato, et si contenta con il tenor della presente, et concede per se etc. alli detti Ven. P. P. Ministro, et Guardiano per nome proprio, et di tutto il Convento intervenendo presenti, et acetanti etc. un luoco in questo Castello, et fortezza di Tersatto, al quale da una banda confina la torre grande, dall'altra il Pozzo, dalla terza la sala del Castello, et dalla quarta le mura del Castello etc. accio che â lor piacere sopra que[†] si possano fabricar' un luoco, et Sacristia per reponere, et salvare li paramenti, gioie, et altre cose sacre della Chiesa, et Convento loro, et che di quella debbano tenere, la chiave loro, et possano entrarvi â ogni lor piacere, et volere. Promettendo S. S. Cl^{ma} per se etc. detta concessione haver sempre grata, et ferma, ne contravenir mai â quella, mà più presto sempre prestargli ogni aiuto et favore etc. Et in fede della verità, et per fermezza delle cose sopradette esso Cl^{mo} Sig^r Rab di sua propria mano si sotto scriverà et metterà il suo solito maggior sigillo etc.

IV. Quamvis D. Casparus Rab promiserit liberum accessum ad dictam Sacristiam, de qua ipsi Fratres clavim habebant, ejus tamen

anno 1601. Successor D. Casparus Chnessich aliam seram ad portam praedictae Sacristiae apposuit cum non levi praejudicio, et incommodo Conventus, quia Fratres non poterant pro libito intrare, saepius enim occurrentibus majoribus per annum festivitatis Fratres aliqua Sacra vasa, ac paramenta ex dicta Sacristia accipiebant, et denuo reportabant. Ut igitur Fratres ab hoc incommodo liberarentur, recurrerunt ad Ill^{mum}, et R^{mum} **D. Antonium Zara Episcopum Petinensem**, et Commissarium Archiducalem pro remedio, qui visa justa petitione Fratrum **praecepit die 21. Julii 1605. D. Casparo Chnessich** sub poena 25. Ducatorum, ut suam seram à porta Sacristiae auferret, ac Fratribus liberum ingressum admittat prout **ex sequenti ex originali descripto mandato** patet hujus tenoris:

Antonio Zara per gr'a d'Iddio, et della Sede Apl'ca
Vescovo di Pedena, Sig^{re} di Gollagorizza Consigl^{re}
et Commissario Arciducale speciale delegato etc.

À Voi Sig^{re} Gasparo Chnesich Affituale di Tersatto, salute nel Sig^{re} Poiche gli R. R. Padri Franciscani osservanti, commoranti nel Monasterio di Tersatto hanno à proprie spese fabricato, et eretto una Camera nel detto Castello di Tersatto per gratioso Consenso Arciducale, nato alli 13. 7^{bre} 1600. per poter più securamente conservar in quella le robbe, et il thesoro della loro Chiesa, sopra la porta della quale è stato posto un luchetto, ò una seratura, in grande, et grave loro pregiudicio, disturbo, et danno, à quali, à grande istanza, et preci delli sudetti R. R. Padri, per oviare, ancora l'anno passato, quando dal Serenissimo Arciduca Ferdinando Sig^{re} Sig^{re} nostro Clement^{mo} per questi, et altri negotii fossimo destinati Commissario, in viva voce ve ammonissimo, et ordinassimo à levare sudetta seratura. Hor poi, che per effettuare una parte della passata gratiosa Commissione, et un'altra della presente si siamo qui transferiti, vi comettiamo in nome di S. A. S. Sig^{re} Sig^{re} nostro gratios^{mo}, che per tutto dimani habbiate à levar, et quella seratura, et le robbe non pertinenti à questo Monasterio, che forse in quella si ritrovano, et ciò vi si comette à eseguire sotto pena di 25. Ducati à essere applicati à questa Chiesa, et sotto l'istessa pena, et per l'avvenire quasi voglia seratura non dobbiate, ne vogliate ponere, ne impedire, che li R. R. Padri non possino haver accesso, et regresso da quel luoco, contrafacendo etc. etc.

Datum in Monasterio D. Virginis Tersatti die XXI. Julii MDCV.

Antonio Vesc^o di Ped^a Comes^o m'ppa

(L. S.) Canc' Ep^{lis} de mand.

V. Thesaurus in Arce Tersactensi custoditus, ut **ex Inventariis anno 1604. et 1653. factis** constat, consistebat in Calicibus argenteis N^o 31. patenis pariter argenteis N^o 32. quatuor paribus Urceolorum argenteorum tribus Reliquiariis, 9. Paramenta majoris pretii, cum nonnullis Pluvialibus, humeralibus, Amictibus, crucibus argenteis, aliaque paramenta Ecclesiastica majoris valoris, cum pleraque auro, argentoque texta, aut unionibus, et lapillis pretiosis

ornata erant. Ex hoc thesauro die 28. Aprilis 1664. P. Paulus Budimir Minister Provincialis accepit inter reliquas minutias argenti 5. calices. 12. patenas. 1. antiquam lampadem, unum thuribulum cum duabus naviculis, ex quibus Venetiis fieri curavit, tres novas lampadas ex argento, et quatuor calices, prout **originaliter in Archivio Tersactensi adnotatum reperitur**. Cum autem et reliquae vestes Sacrae corruptioni, ac destructioni proximae essent, P. Antonius Lazari tempore sui primi Provincialatûs anno 1688. lapides, et uniones ex vetustis paramentis detractos aliasque res vetustate attritas, et usui non amplius servientes de Summi Pontificis consensu auferri, et divendi mandavit, pretium inde acceptum â potiori pro fabrica Conventus Tersactensis applicuit, partim verò aliorum Conventuum indigentis subveniebat: non enim omnes res ad Ecclesiam spectabant Tersactensem, sed etiam, ut jam dixi, ex aliis Conventibus illuc custodiae gratia comportata erant. Aliqua verò, ut duo calices una monstrantia, unum thuribulum, et Pax, quae antiquitatem indicant, adhuc in Sacristia Tersactensi videri possunt.

VI. Audiens Ill'mus, et R'mus D. Martinus Braikovich Episcopus Segnien-sis, et Modrussiensis, Thesaurum Ecclesiae Tersactensis esse ex Arce ejudem loci ablatum, ad Summum Pontificem, dum ei informationem, et statum suae Dioecesis misisset, rem detulit, ut **refert P. Daniel Farlato tom. 4. fol. 152** his verbis: *Beatissime Pater. Sacra Domus Nazaretana Tersacti in Dioecesi Modrussiensis tribus annis, et 6. mensibus quieverat, unde Lauretum translata fuit: in cujus locum ejusdem magnitudinis, et formae Sacellum extrui curaverant Comites Frangepani ejus loci tunc Domini, uti et Monasterium Patribus Observantiae modo Reformatis datum. Reperitur etiam in eodem Sacello celebris Imago B. Mariae Virginis â S. Luca depicta, atque ab Urbano V. pro solatio illarum partium transmissa Sacellum hoc ex pia fidelium liberalitate, ac erga Dei Matrem devotione magnum thesaurum acquisierat, qui tamen non adeo pridem valde imminutus, et absumptus est, â quo autem ablatum, aut in quid insumptum fuerit, facile resciri posset, si Sanctitas Vestra per qualificatas personas inquisitionem fieri demandaret. Pars aliqua adhuc ex illo thesauro remansit, sed haec pari periculo non caret, ejus tamen securitati provideri posset, si Sanctitatis Vestrae mandatis sub triplici clavi custodiretur etc.* Hucusque praedictus Episcopus (qui anno 1704. ad Ecclesiam Zagrabiensem translatus fuit) **apud Farlatum loc. cit.** Sed haec informatio nullum sortita est effectum, quia Roma jam prius informata erat circa hunc thesaurum â P. Antonio Lazari Ministro Provinciali, et Diffinitore Generale.

VII. Fors non aberrarem â veritate, si dicerem, quod quispiam praejudicio communis rumoris jam aliquantulum captus, ex lectione hujus informationis in sua opinione confirmatus in thesaurum inquirere coepit, cumque ab uno audisset thesaurum fuisse in Castello conservatum, alius narâset, eum esse reconditum in sepulchro Frangepanico, taliter etiam Caesaream Intendentiam informavit, quae, ut securius propter diversitatem sententiarum thesaurum invenire queat, et in Castello terram fodiendo, et in sepulchro Frangepanico lapidem removendo

illum quaesivit. Minimè hunc thesaurum in sepulchro quaesivisset, si legisset **an-notationem, quam** pro memoria **P. Franciscus Glavinich de hoc sepulchro scriptam reliquit**, dum enim eidem Ill^{mus} D. Comes Christophorus Wolffgangus de Frangepanibus Generalis, et Commendans Carlostadiensis notificâsset, quod suus Frater Nicolaus die 16. Aprilis 1647. Viennae mortuus sit Tersacti tumulandus, jussit P. Glavinich tunc Guardianus Tersactensis amovere lapidem, et quid intus repererit? audi verba ejus: *Feci io subito, quanto egli (Cristoforo Wolffgango conte de Frangepan): mi scriveva, e fatta amovere la lastra marmorea, trovassimo il tumulo pieno di terra, la quale dopo cavata in giù un passo in circa, trovassimo doi casse di legno, ma già dal tempo marzite. Nella destra erano l'ossa del condam Martino Frangipano, haveva in capo nella parte sinistra segni de doi ferite, riceute forse in qualche battaglia, in mezo la fronte haveva una valleta, e frà le ciglia sopra il naso un segno naturale di saturno, che divideva la fronte, indizio di prudenza, e pietà, dalla sinistra erano l'ossa del condam Conte Bartolomeo suo fratello, e da parte settentrionale giaceva la condam contessa Ursola, Moglie de condam Conte Martino Frangipano, teneva nelle mani una croce di legno d'ebano, al collo una croce = En thesaurum!*

Caput VII.

De ampliationibus, et notabilibus reparationibus Conventûs, et Ecclesiae, de Altaribus, de eorum consecrationibus, et inscriptionibus, de viris conspicuis in hac Ecclesia sepultis, eorumque Epitaphiis, ac Coemeterio adjacente. Nec non de Capellis et gradibus.

§. I.

De aedificatione et ampliatione Conventus.

I. Conventus Tersactensis Ordinis Fratrum Minorum in citeriore Dalmatia, vel, ut aliis placet in Croatiae finibus, ad occidentalem plagam, in confiniis Liburniae aedificatus fuit ab Ill^{mo} Domino Comite Martino de Frangepanibus, et ejus Consorte Ursia, seu (ut **habet R^{mus} D. Balthasar Kerczelich**) Dorothea Ursini à Blagay Anno Domini 1453. sedente in Petri Cathedra Nicolao V. Imperante in Occidente Friderico IV. alias dicto III. Hungariae Rege Ladislao Posthumo, ac clavum Seraphicae Religionis tenente R^{mo} Patre Angelo Serpetri à Perusio Provinciae S. Francisci alumno. Cogitavit, et proposuit, ac decrevit laudatus Martinus de Frangepanibus jam anno 1431. erigere Conventum, et Ecclesiam, ast ab Eugenio IV. Nicolai praedecessore immediato ob turbulenta tempora, ob quae et ipsemet Pontifex sub ementita veste Roma exulare compulsus erat, licentiam, sine qua tunc nullus Fratrum Conventus erigi potuit, obtinere haud potuit, unde res dilata erat usque ad Nicolaum V. Eugenii Successorem.

II. Tam **P. Glavinich**, quam **P. Petrus Francetich**, ac **P. Clarus Pasconi in suis historiis** Conventus Tersactensis, fatentur, quod Conventus aedificatus fuerit ab ipso Fundatore Martino Comite de Frangepanibus, ast nemo determinat, quae pars Conventus tunc aedificata, et quae postea adjecta. Cùm autem in quolibet Regulari aedificio Conventus connecti soleat cum Ecclesia, dicendum est, quod Conventus quadriangularis fuerit primus, cujus una pars eadem est cum muro Ecclesiae, alia â moderno Bibliotheca usque ad infirmariam protenditur, quae probabilius olim 7. constabat cellis, nam Guardianatus nunc habet cellas duas, cumque moderna Bibliotheca posterior sit ipso Conventu, utpote unacum Sacristia interiore aedificata post **decretum â V'Diff'orio anno 1660. latum** videtur stetisse una cella in illo atrio ante Bibliothecam, tertia pars, quae respicit Clericatum, sub qua antiquum Cellarium erat, continet 5. Cellas, quarta verò pars, qua ad Chorum itur, et Coemeterium, ac hortum respicit, continet Cellas 6. Sicque totus antiquus Conventus constabat 18. Cellis: quia verò **P. Franciscus Glavinich in quodam Manuscripto** asserit, quod anno 1629. fuerint 22. Fratres in Conventu, quorum tamen nullus ab igne illo anno in Conventu exorto laesus fuerat, sequitur, quod Conventus amplior fuerit, quam est nunc hic quadriangularis, videturque protractus fuisse usque ad scalas, seu gradûs ambitûs longi, quod **innuere censetur P. Glavinich, in cit. MS.**, ubi dicit, quod post incendium reparaverit post annum 1644. octo Cellas cum libraria, et communitate supra refecturium, videlicet 4. Cellas ex parte Orientis, et 4. ex parte meridiei.

III. Anno 1629. die 5. Martii hora tertia noctis exorto in Arcularia Saeclarium Arculariorum incuria incendio vehementissimi venti borealis tunc flantis impulsu trium circiter horarum spatio totum conflagraverat Monasterium irreparabili damno, praesertim conspicuae Bibliothecae, aliorum memorabilium monimentorum, inter quae connumerabatur etiam **itinerarii series conscripta ab Alexandro de Georgio Parocho**, qui cum aliis sociis â Nicolao III. Anicio Frangepano ad investigandam realem Nazarenae Almae domus translationem in Galilaeam ablegatus fuit. Non tamen B'ma Virgo ob tanta damna maestissimos Fratres consolari, et saltem ex parte eorum dolorem lenire intermisit, cujus patrocinio Capella Sancto Nomini suo dicata, Ecclesia, Sacristia, universaque ejus sacra supellex **una cum foundationalibus litteris, summorumque Pontificum, et Caesarum diplomatibus** non absque manifesto miraculo â vastatricibus flammis praeservata erant. **P. Francetich in sua Hist. Tersat.** ponit hoc incendium ad diem 26. Martii, et annum 1628. **P. Glavinich in cit. MS.** ad diem 23. Martii, et annum pariter 1628. Mihi **† [...]**³⁸¹ tamen verosimilior apparet opinio **P. Clari Pasconi**, qui illud accidisse die 5. Martii 1629. asserit, quod etiam **Urbarium Conventus** anno 1630. factum confirmat, in quo legitur, incendium contigisse die 5. Martii 1629. Deinde certum est, quod Fratres mox post incendium, ut ipsemet **P. Francetich scribit**, hinc inde exmissi fuerint ad diversos benefactores pro subsidio, et acquirenda eleemosyna ad citius restaurandum saltem quoad magis necessaria Conventum, id autem contigisse anno 1629. patet **ex Orig-**

nalibus litteris Wolffgangi Christophori Comitis de Frangepanibus Commendantis Carlostadiensis datis Carlostadii die 6. Sept. 1629. in quibus non tantum Officialibus, sed etiam universis Christifidelibus Fratres commendat, quatenus eorum indigentis adiutrices liberaliter porrigerent manus.

V.³⁸² Cupientes igitur Fratres Minores hujusmodi incendii restaurare ruinas, conquisito hinc inde â benefactoribus Sacri Ordinis opportuno subsidio pro congrua, et comoda Fratrum habitatione, ac sustentatione Monasterium eodem in loco reaedificari curarunt. Praecipuus porro hujus novi aedificii restaurator, et promotor extitit A. R. P. Michael Chumar ê Comitatu Goritiensi tunc Minister Provincialis, ac Diffinitor Generalis actualis, cujus rei memoria etiamnum reservatur â tergo imaginis Sancti Michaelis Archangeli, â Fratre Seraphino Schön Ordinis Seraphici laico industrie depicta, sequentibus verbis registrata: *Sub A. R. P. Michaelae Chumar Generali Diffinitore, et Provinciae Ministro hujus Conventus restauratore Frater Seraphinus Schön laicus professus pinxit anno 1631.* Quamvis verò Patres omnem possibilem navarunt operam in reaedificando Conventu tamen aedificium hoc ob sterilitatem illius Regionis, et defectum Benefactorum valdè lente exurgebat, ita ut P. Franciscus Glavinich, qui anno 1644. ibidem factus fuit Guardianus, nonnisi novem cellas nec has undequaque perfectas invenerit, qui dein benefactorum auxilio, inter quos speciali memoria dignus est Ill^{mus} D. Nicolaus VIII. de Frangepanibus, cui idem P. Glavinich â Sacris Confessionibus fuit, adhuc alias novem Cellas supra modernum Refectarium aestivale adjunxit, ut **ipse in jam saepe cit. MS. testatur.**

VI. Dein circa annum 1686. hic ambitus suprâ Refectarium magis protractus fuit versus orientem, prout hodie visitur, sub Guardianatu P. Francisci Uzollin, patet id **ex quodam Decreto Diffinitoriali**, vi cujus praecipitur, ut *culina Tersactensis ad remotiorem locum transferatur, et Refectarium in hyeme propter Juventutem calefieri procuretur.* Ex hoc Decreto etiam desumitur, quod Culina prius partem Refectorii aestivalis occupaverit, et hoc tempore ad locum remotiorem posita, ac dein aliud Refectarium hyemale, quod calefieri solet, extractum fuit ex altera parte Culinae. Hoc aedificium anno 1686. vel sequenti inchoatum, fuit absolutum ad annum 1694. sub Guardianatu P. Petri Francetich, quod desumitur **ex Contractu inter Conventum, et D. Leonardum Paccassi lapicidam inito de erigendo Lavatorio**, et novo pulpitu in Refectorio aestivali, imo, quoad omnem sui perfectionem vix anno 1705. absolutus fuit, ut patet **ex imaginum subscriptionibus in Refectorio aestivali collocatarum.** In hoc tractu Conventus sunt praeter Clericatum, pro comoda Religiosorum habitatione cellae 16.

VII. Praecipuus hujus Fabricae promotor extitit A. R. P. Antonius Lazari Minister Provincialis hujus Carnioliae Provinciae, qui ex pretio, et pecunia divendarum unionum, aliarumque

rerum Sacristiae Tersactensis, seu thesauri vulgò nuncupati maximam partem pro aedificio hujus partis Conventûs applicuit. Alius singularis benefactor extitit hujus fabricae Excel^{mus} D. Adamus Comes â Zrinio, qui praeter majorem partem lignorum pro tecto jam datorum, dum ejus bona D. Baroni Androcha in Arendam data fuissent, isque absque **novo Decreto ejusdem Comit**is reliquam partem assignatam subministrare detrectaret, ad **supplicem libellum P. Petri Francetich Guardiani Tersactensis** assignavit ex suis bonis pro subsidio fabricae f. germ. mon. 300. ut **ex resolutione dicti suplicis libelli** patet, quae hujus est tenoris: *Magnifico Domino Arendatario bonificantur floreni Aeheenses trecenti, quos in fabricam Aedificii, et Monasterii Tersactensis Eleemosynae loco impendet. Actum Czakurniae die 21. mensis Junii 1691. Comes Adamus â Zrinio.* Haec eleemosyna non fuit exoluta hoc anno 1691. sed anno posteriore 1692. mense Octobri post mortem Comit'is Adami â Zrinio, ut patet **ex quadam Epistola dicti Baronis ab Androcha**, in qua â P. Guardiani **petit supplicem libellum cum decreto praefati Comit'is** sibi extradi, simulque suggerit, quomodo sit facienda quietantia de perceptione 300. f. his in lingua italica verbis: *Io sottoscritto hò ricevuto dal Baron Androcha fiorini trecento allemani [švabski]³⁸³ per una eleemosyna fataci dal q^m Ill^{mo} Sig^{ro} Conte Adamo Zrino in tempo[†] che parti all' Armata, dove in servizio di S. M. C. hà perso gloriosamente la vita combattendo contro li Turchi, et per verità hò fatto la presente sigilata col sigillo di questo nostro Monastero etc. Tersacti 6. Octobris 1692. Frà Pietro Francetich Guardiano.*

VIII. Singularis benefactoris titulo condecorari promeretur Aulica Camera, quae de debito 400. f. quod Conventus Buccari emendo ligna pro aedificio contraxit, remisit, et donavit Conventui f. 200. ut ex ejusdem Excelsae Aulicae Camerae gratioſo Rescripto ad D. Comit'um Ludovicum Coronini Directorem Buccarensis die 24. Februarii 1696. dato patet, quod ita sonat:

Hoff Cammer

Nachdeme wir in puncto der von N. Guardian, und Convent Fratrum Minorum S. Francisci zu Tersat demütigist angesuchten nachsehung des von dem Herrn Graffen zur reparirung Ihrer Kirchen und Convents genombenen Pau Holzes per vierhundert gulden, die Nottdurff naher Hoff gehor. remonstrirt und Ihr Kay. May. solche nachsehung gehor. anhaimbs gestölt, haben höchst gedacht Ihr Kay. May. vntern 9. dits Ihnen Patribus Franciscanern hierauf die Hälffte von gemelten Pau Holz in Gnaden nachgesehen, welchem nach Ihme Herrn Grafen dan solches zu Seiner Nachricht, vnd zu dem Ende

anerindert würdt, das derselbe dieses zu beobachten und diese nachgesehene 200. f. in die außgab zu bringen wissen und haben möge. Dan etc. den 24. Febr. 1696.

IX. Tandem anno 1732. sub Provincialatu ARP. Sigismundi Skerpin, et Guardianatu P. Henrici Duger fuisse Clericatum ex muro erectum, nam prius semiligneus fuit, ex Conventu majori intratur ad Clericatum, in quo praeter Scholam 7. reperiuntur Cellae. Hoc eodem anno fuisse inchoatum aedificari Cellarium, et supra illud Infirmaria, constat **ex actibus Diffinitorialibus**, ubi delineatio approbatur his verbis: *Approbatur delineatio Infirmariae, et Cellarii in Conventu Tersactensi, dummodo suis sumptibus eam erigere posset.* Continet Infirmaria praeter Capellam cum cella Fratris Chyrurgi cellas 5. quo verò anno hoc aedificium terminatum erat, adnotatum non reperio. Et sic successive Conventus per ultimam additionem Infirmariae ad hanc formam, quam hodie habet, pervenit. Totus Conventus modernus habet in superiori ambitu Cellas 44. Oportuit itaque Conventum extendi non tam propter commoditatem Fratrum, quorum ordinariè 36. aut 37. hic habitare solent, sed etiam propter Sacerdotes Saeculares, aliosque hospites conspicuos, qui in maioribus anni festivitatibus in magno numero devotionis gratiâ ad hunc Thaumaturgum locum convenire solent.

§. II.

De erectione Ecclesiae, ejusque ampliatione.

I. Postquam anno 1294. die 10. Decembris Alma Domus Nazarethana Tersacto trans mare Adriaticum primò Recinetum, dein Laurethum Angelorum ministerio translata fuisset non sine ingenti incolarum luctu, Nicolaus III. de Frangepanibus ad leniendum ob amissionem tanti thesauri maestissimi populi dolorem supra vestigia, quae solo impressa remanserant, Almae domus, aliam Capellam ad instar Laurethanae superinstrui curavit. Posteaquam verò Martinus de Frangepanibus pro Fratribus Minoribus tum Conventum, quam Ecclesiam aedificare, quod sui Antecessores ob bellorum tumultus facere nequiverant, proposuerit, et in effectum fecerit, Capellae Nazarenae, quam prius per 159. annos Clerus Grobnicensis, Buccarensis, et Fluminensis officiaverat, adjunxerat aliud Corpus Ecclesiae immutata Capella usque ad aram S. Nicolai extructis praeterea duabus aris S. Michaelis, et S. Catharinae, ut §. sequi. dicitur, Ita quod Ecclesia conclusa fuerit intra murum, qui ducebatur à latere sinistro Arae S. Michaelis directè versus portam, ubi nunc columnae extant, et murum Conventus, quo etiam hodie cingitur. Sicque in introductione Fratrum Minorum ad Conventum Tersactensem tres tantum Arae extabant videlicet B'mae V. in Capella Laurethana, ac Arae S. Catharinae Virginis, et Martyris, atque S. Michaelis Archangeli, quibus non multum post adjuncta fuit Ara S. Nicolai ab Ill'mo D. Comite Nicolao V. de Frangepanibus fratre fundatoris.

II. Quoniam verò haec Sacrosancta Aedicula à Nicolao III. Comite de Frangepanibus, et regnorum Dalmatiae, Sclavoniae, ac Croatiae Bano fundata, non erat per omnia similis Almae domui Recinetum translatae, sed medietatem dumtaxat longitudinis, et magnitudinis ejus attingebat, dimensâ itaque Piceni Alma Domo, P. Franciscus Glavinich anno 1614. quâ actualis Conventûs Guardianus eamdem reformavit, ac tam quoad longitudinem, quam latitudinem, et altitudinem Domui Laurethanae piorum eleemosynis similem construi curavit. Capellae adjunxit etiam Sacristiam exterioriorem, cujus fundamenta dum operarii foderent, media orgia sub terra recondita Campanula reperta fuit, cujus rei licet nullum appareat indicium, aut vetus monumentum, piorum nihilominus opinione virorum supponitur efformata tempore, quo Alma Domus Nazarena triennalem ibidem fixerat stationem: ab anno autem supra citato ad haec usque tempora inde extracta atque in turricula Sacrae Capellae collocata stat, sonituque suo constanter invitat populum ad Cultum Divinum, et Marianas fundendas laudes, sicut et ad coercendas aëreas tempestates, experientia teste, admirandum in modum conducit.

III. Excrescente verò magis, magisque confluentium devotorum, et Clientum Marianorum numero, Tersactana Basilica angusta nimis pro capienda populi multitudine dignoscebatur, atque adeo Dei miserentis auxilio, Nicolaus VIII. de Frangepanibus Regnorum Croatiae, Sclavoniae, et Dalmatiae Prorex, nec non trium Comitatum, Segniae, Vegliae, et Modrussiae Comes Proavorum suorum laudabilissima imitari contendens vestigia, eamdem Ecclesiam inchoativè ab Ara Divi Nicolai Episcopi protendi, sicut et alteram Ecclesiae partem ad Aquilonem versus à gradu, quo ad Capellam S. Antonii itur, usque ad finem suis sumptibus noviter aedificari curavit, cujus primum lapidem solemnî ritu benedixit, et posuit die 24. Augusti S. Bartholomaeo Apostolo Sacra anno 1644. Illustrissimus, et R'mus D. Petrus Mariani Episcopus Segniensis, et Modrussiensis sub Pontificatu Urbani VIII. et Ministro Generali totius Ordinis S. P. Francisci R'mo Patre Joanne Merinero Hispano, Ministro Provinciale Provinciae Bosnae Croatiae ARP. Candido Barbaritio à Pisino, ac Guardiano Conventus existente ARP. Francisco Glavinich Praedicatore Apostolico, ter Ministro Provinciale.

IV. Idem P. Franciscus Glavinich statuam ligneam B. V. Mariae, quam P. Bernardinus Lupossinich ex Conventu Sluinensi anno 1583, dum ille à Turcis depraedaretur, acceptam Tersactum transportavit post Aram B. V. Mariae, quae prius in medio Ecclesiae consistens prospectum ad Aram majorem impediabat, collocavit supra Caminum ubi à transeuntibus devota excipit oscula. Liberum ad Sanctuarium ingressum ferrea vetat crates, quae ex Ill^{mi}, et R^{mi} Domini Martini Braikovich quondam Zagrabiensis Episcopi liberalitate affabrè connexa, prout irruentes arcet populos, ita duplici partita lare eosdem sensim excipit, et exmittit. Dein elap-

so jam decimo septimo saeculo, aut reparata, aut noviter erecta fuit â Perillustri Domino Jacobo Orlando, quondam parente Spirituali Conventûs. Supra cratem afforis amplum semiovale spatium interiorem veteris Ecclesiae prospectum exhibens Annuntiatae Virginis, cum Almae domus è Galilaea Tersactum, et hinc trans mare Picenum migrantis, **Historia celebri Christophori Tasca pictoris Veneti manu expressa** piè simul, et totum occupat, atque Illustrissimum D. Franciscum Ignatium lib. Bar. de Androcha, unà cum Maria Isabella Henrica ex Comitibus â Windischgraz conjuges operis hujus Maecenates Deo, et Gratiarum Virgini commendat. Extat in hac Ecclesia sub Crucifixo in prima ab Ara S. Michaelis columna Imago Cartacea B. V. Tersactensis, quae in incendio Conventus Clanicensis in Sclavonia in cela tri-duo flammante intra ignitos cineres ex latere nonnihil adusta, non tamen combusta crystallo obducta servatur, cum **sequenti subscriptione**:

**CartaCea IMago DeIparae VirgInIs
ab Igne servata**

In Croatia in Conventu nostro Clanicensi Minorum Reformatorum, ab irrestinguibili incendio in vicina domo suborto, omnibus prope igne consumptibilibus in favillas abeuntibus, haec imaguncula in Cela tri-duo flammante candentes inter clavos, et ignitos cineres mirabiliter reperta est. Imburi Virgo Tersactana permisit, quod naturaliter comburi debuit, ut prodigii magnitudo manifestior evadat, ipsa tamen, ut semper fuit, prorsus intacta. Hoc si potuit typus in Carta, quid non Architypus possit in Ara? Tu vide, et vade.

V. Campanile Ecclesiae Tersactensis est supra Chorum Religiosorum elevatum non aut rotundum, aut quadrum, fabricatum, ut in Germania fieri solet, ita ut campanae intra muros continerentur, sed tres pendent in ea Campanae mediocris molis quasi intra fenestras, quarum major caeteris antiquior apparet, cum jam anno 1480. facta fuerit, ut **ex ejus inscriptione** patet hujus tenoris: *Rosetus me fecit Anno MCCCCLXXX*. Est in hac Ecclesia consuetudo sub Cantico *Magnificat* in Vesperis dandi campana minore aliqua signa. Communis traditio fert, quod sub hoc Tempus Turcae Tersacto appropinquassent, animo spoliandi templum B. V. Mariae. Quibus appropinquantibus campana divinâ virtute pulsabatur, audito pulsu Turcae nec pro uno gressu procedere poterant, unde virtute, et potenti B. V. Mariae auxilio confusi non sine dedecore retrocedere coacti erant: proinde ob tanti prodigii memoriam semper hoc tempore ad *Magnificat* certa signa dantur: interim traditio haec fidem humanam non transcendit. Organum, quod adhuc hodie extat, factum fuit sub Guardianatu A. R. P. Petri Francetich, ut **ex his litteris in Organo sculptis** patet: *S. G. A. R. P. P. F. A. F. P. P.* Id est *Sub Guardianatu A. R. P. Petri Francetich â Flumine Provinciae Patris*. Cùm autem praedictus P. se nominat Prov'iae Patrem et anno 1705. Pro'alis electus fuit, et ultima vice Guardianum egit anno 1722.³⁸⁴ Organum intra hoc tempus fieri debuit.

VI. Bina devotos suscipit Janua, quarum una Veteris Ecclesiae, novae altera nuncupantur, haec Divi Antonii Paduani Capellam, in Deiparae Sanctuarium aperiunt in prospectu. Tota Templi machina solido firmatis muro fornicibus tecta in duas naves veterem, et novam dividitur, verum duobus in medio arcubus in simul adcompaginata. Pavimentum, quod prius ex tegulis ordinarii stratum fuit, anno 1762. lapide quadro sterni coeptum fuit, qui labor una cum quatuor cryptis (nam antea homines aliqui plebei habentes sepulturam in Ecclesia effossa, et superinjecta humo sepeliri consueverunt, unde ne stratum damnum patiatur, aliquot Cryptae factae sunt) anno 1765. terminatus fuit. Quando, et â quo Ecclesia sive nova, sive antiqua consecrata fuerit? memoria non est proditum, probabilius memoriam consecrationis incendium ê medio sustulit. [De consecratione Ecclesiae tamen nullum superest dubium, cùm ea quotannis ab immemorabili dominica proxima post festum B. V. Mariae in Coelos assumptae suae consecrationis recolat memoriam].³⁸⁵ Totum Corpus Ecclesiae comprehensa utraque parte hodie habet interclusa etiam Alma Domo in longitudine orgias 19. et 1. pedem Viennenses, in latitudine orgias 8. et 1. pedem.

NB 1.³⁸⁶ Qualibet Dominica, et festiva die fit concio in idiomate Illyrico ad populum domesticum, pro populo autem quolibet anno ex Carniolia copiosè confluente, institui solet tertius Concionator, qui eidem Verbum Dei in idiomate Carniolico proponit.

NB 2.³⁸⁷ Quae autem circa Altaria, Sepulturas, aliaque memorabilia enarranda occurrunt, ea sequentibus paragraphis pandam.

§. III.

De Altaribus, eorum Consecrationibus, et inscriptionibus.

I. Inter Aras hujus celeberrimae Basilicae Tersactensis tam antiquitate, quam dignitate principem meritò occupat locum Ara B'mae Virginis Mariae Gratiarum nuncupatae, in Sanctuario, seu Capella Nazarena sita, de qua patrocinium quotannis in festo B. V. Mariae in Coelos Assumptae solemnè memoria recolitur; Etenim haec prima fuit, quae post Almae domus Tersacto Recinetum translationem â Nicolao III. de Frangepanibus erecta est, ad quamque reposita fuit Imago B'mae Virginis Mariae â Sancto Luca Evangelista depicta, ac ab Urbano V. Summo Pontifice Româ in consolationem Populi Dalmatiae, et Liburniae Tersactum transmissa. Ara haec primitus ê ligno elaborata cum ruinam minaretur, eam Nobilis, ac Spectabilis Dominus Joannes Uzollini annis superioribus Zagradiensis Civitatis Gubernator, et Rector novam ex marmore variis lapidibus, et divitioso aere comparatam erexit anno Domini 1692. prout *inscriptio â tergo ejusdem in latere dextero apposita* sequentibus indicat verbis:

Nobilis, ac Generosus Dominus Joannes Uzollini Judex L. R. C. Z. ac Regni Sclavoniae Fisc. et olim Exactor, in honorem B. V. Mariae, Aram hanc majorem erigi curavit anno MDCLXXXII.

II. Cum ad apponendam Aram marmoream necesse fuerit Iconem Sacram B. V. Mariae â S. Luca depictam ad tempus ad alium locum transferre, unde Patres nostri quoddam armariolum in Sacristia pro temporanea habitatione deligentes, Beatae Virginis Iconem cum hymnis, et canticis accensisque luminaribus ad praedictum locum deferre decreverunt. Sed quis rerum eventus? Sane non sat admirandus! Siquidem B'mae Virginis Iconem è sua sede Patres dimovere conantes, omnes suos conatus irritos conspiciebantur admirabundi, nam tanto eam pondere Virtus Divina fixit, ut nulla humana virtute è loco potuerit dimoveri: etenim, quo magis Patres nostri eandem levare conabantur, tanto firmior, immobiliorque reddebatur. Verùm cum eidem semper humilium deprecatio placeat, ad preces humillimi cuiusdam Religiosi Sacerdotis Provinciae [Croatiae]³⁸⁸ Carnioliae, Conventûs hujus incolae se dimoveri permiserat; nam is Aram Virgineam pedibus nudatis accedit, atque ad Altaris crepidinem provolutus oravit dicens: *Augustissima Domina, quoniam Dominus respexit humilitatem tuam, respice et tu humillimam deprecationem nostram. Rogamus te Virgo gloriosa, et benedicta, ut alio ad tempus te sinas transferri, donec Arâ marmoreâ tuum in honorem elaboratâ rursus pristinum in locum reponaris: mens enim nostra non est, te alio transferre ad permanendum. Ita promittimus, ita spondemus.* Mirum dictu! Completa hac brevi oratiuncula praedictus pius Sacerdos absque ulla difficultate, aut resistentia Sacram B'mae Virginis effigiem è loco levavit, quam in actu translationis splendida quaedam nubecula circumdedit, ac ipsum armariolum splendor quidam praefulgidus illuminavit.

III. Appositâ Arâ novâ B. Virginis Imaginem Patres nostri juxta promissionem eidem factam suae pristinae sedi restituere decreverunt. Proinde, ut actus tam solemnis omni possibili decore, et honore perageretur, fuit ad Pontificalia exercenda â R. P. Petro Francetich pro tunc Guardiano humanissimè invitatus Reverendissimus Dominus Nicolaus Salon Titularis Episcopus Macariensis, Abbas Infulatus, ac Parochus Ternoviensis, qui congenita teneritudine, humillimae annuit invitationi, ac protinus arrepto itinere, Tersactum incolumis salutavit. Dispositis itaque omnibus necessariis die 24. Junii S. Joanni Baptistae consecrata anno eodem 1692. Pontificaliter indutus praefatus R'mus D. Nicolaus ad locum Sacristiae, ubi hic pretiosissimus conservabatur thesaurus, accessit, aperto armariolo, ecce rem miram! ab Icone Virginea rursus splendidissima quaedam nubecula egressa totum Sacristiae spatium mirabiliter illuminavit, omnes circumstantes ad tanti splendoris contuitum ingenti gaudio replevit, et in eorum cordibus maxima devotionis, et adorationis suspiria excitavit. Moxque in allato portatili throno, ea, qua par est, veneratione collocata fuit, quam quatuor nostri Sacerdotes levitico apparatu amicti è loco levantes, et praeceuntem processionem (in qua 175. Cruces, seu Sacra Vexilla â populo undique confluyente allata numerabantur)

sequentes per Ecclesiam, et Coemeterium, inde circa murum, et silvam Conventui adjacentem circumtulerunt. Personabant interim omnes Campanae non tantum Tersacti, sed etiam Flumine, â fixis etiam in portu Fluminensi navibus, praecipuè verò Melitensibus Sacratissima Icon bellicis salutabatur machinis, potiori ex parte, qui processionem hanc solemnem comitabantur, cereis, et facibus accensis B. Virginem laudabant. Durante processione quatuor factae fuerunt stationes, quibus quatuor vicibus praedictus Pontifex ad quatuor mundi plagas conversus universum propemodum Orbem Sacratissima Virginea Icone benedixit. Postquam verò ad conspectum Ecclesiae nostrae perventum fuit, nubes illa perlucida ad instar aurei coloris, quae in depositione ad armariolum, et in ejus elevatione, ac durante processione gloriosissimam B'mae Virginis Iconem circumdederat, sensim sinu sensu ad Coelum ascendendo mirum in modum evanuit, plurimis id probè intuentibus. Quis, et quantus populi tam copiosi tanta prodigia cernentis Jubilus, ac propemodum montis excessus fuerit? quot devotissima suspiria ad hanc Sacratissimam Iconem emissa? quot tenerrimi affectus elicit? et quanta interna consolatione ex longinquis etiam partibus tam copiosi Mariani cultores repleti ex hoc gratiarum monte ad sua reversi sint? facilius mente comprehendere, et intellectu percipi, quam aut verbis enarrari, aut littera exprimi potest. Tandem dicto Hymno Ambrosiano cum consuetis Ecclesiae orationibus decantato, Divina Mater è throno portatili summa Religione levata in nova Ara, prout nunc est conspicere, fuit collocata.

IV. Praeter Aram B. V. Mariae in Capella Nazarena sitam sunt adhuc [9.] 8.³⁸⁹ Arae laterales videlicet 1. S. Catharinae Virginis, et Martyris. 2. S. Michaelis Archangeli. 3. S. Joannis Nepomuceni Martyris. 4. S. Nicolai Episcopi. 5. S. Antonii Patavini Orbis thaumaturgi. 6. S. Petri Apostolorum Principis. 7. S. Annae Matris B'mae Virginis Mariae. 8. Seraphici Patriarchae S. Francisci Confessoris. Priores 4. in antiqua Ecclesia, posteriores verò 4. in nova Ecclesia sitae sunt. Ara S. Catharinae Virginis, et Martyris Dominorum Comitum de Frangepanibus munificentia in ipso initio foundationis, et introductionis Fratrum Minorum ad hunc Marianum Collem extructa dignoscitur ex ipsis Conventûs veteribus monumentis, quia verò edacitate temporum proximam minabatur ruinam anno 1628. piis fidelium eleemosynis novum fuit erectum Altare sub Ministeriatu A. R. P. Michaelis Chumar. Tandem Praenobilis Domina Anna Sorsiana è Regno Croatiae suam trahens originem peculiari devotionis affectu erga eandem Virginem, et Martyrem aliud marmoreum suo aere construi curavit anno 1694. P. Clarus Pasconi hanc Aram consecratam dicit à R'mo Episcopo Segniensi Joanne Smoglianovich, cum autem dictus Episcopus jam mortuus erat, quando Ara erecta fuit, et certum est, quod tunc fue-

rit jam Episcopus R'mus D. Sebastianus Glavinich, dicendum est Aram fuisse ab hoc Episcopo consecratam. **In medio Arae sequentia verba incisa** leguntur:

Generosa Domina Anna Vidua Sorsiana Nata
Petrekovich in honorem Sanctae Catharinae fieri
curavit MDCXCIV.

V. Ara S. Michaelis Archangeli pariter mox sub initio aedificatae Ecclesiae â Comitibus de Frangepanibus erecta fuit, quam vetustate obsoletam A. R. P. Michael Chumar piorum fidelium sumptibus restaurari curavit anno 1625. Demum Illustrissimus, et Reverendissimus D. Sebastianus Glavinich Dioecesis Segniensis, et Modrussiensis Antistes novam ex marmore liberali manu ad perennem ejusdem Sancti gloriam, et honorem fieri fecit, quam die 26. Augusti anno 1706. solemniter consecravit Ill^{mus}, et R^{mus} D. D. Benedictus Bedekovich Episcopus Segniensis, et Modrussiensis. Haec Ara erecta est extra crates ferreas Capellae Laurethanae ex cornu Evangelii Arae S. Catharinae, quae est ex Cornu Epistolae diametraliter opposita. In media Ara sequens legitur **incisa inscriptio**:

Positum munificentia Reverendissimi Domini
Domini Sebastiani Glavinich Episcopi Segni-
ensis, et Modrussiensis MDCCI.

VI. Capella S. Antonii perfracto, et dejecto muro novae Ecclesiae (nam prius erat murus directè ab ara S. Michaelis ad aram S. Petri ductus, ubi altera navis Ecclesiae terminabatur) in hortum orientem versus extensa est, quam D. Franciscus Frankulini Capitaneus Grobnicensis in debitae gratitudinis argumentum ex eo, quod gravi pressus infirmitate ejus patrocínio pristinae restitutus sit sanitati propriis sumptibus anno Domini 1691. fieri curavit, quod **ex inscriptione** in lapide in pariete laterali visibili **incisa** patet, quae sic sonat:

Spectator
Cuilibet ne fideris sorti
Maximas tum numero, tum duratione mea,
Mihi culpaе inscio texuerat vexas.
Ast Divi Antonii Patavini ope fiducialiter
imploratus palam adjutus, nexus illarum
publicè justificatus dissolvi,
Et beneficium pietate, gratitudineque
litaturus, sacelli hujus dotata erectione solvi
Franciscus Frankulini MDCLXXXI.

Haec Ara lignea post 70. annorum curriculum ruinam mi-

nabatur, quare Patres decreverunt in ejus locum novam ex marmore substituere, quae etiam piis diversorum benefactorum eleemosynis sub Guardianatu R. P. Francisci Corradini Ex-Custodis anno 1761. quae constitit f. 720. praeter pavimentum, et unum gradum ad introitum Capellae, quae D. Andreas Kollenz Architectus propriis expensis pariter ex marmore fieri curavit, erectaque Antiqua Ara erat consecrata die 26. Augusti 1706. unà cum Ara S. Michaelis Archangeli ab Ill'mo, et R'mo D. D. Benedicto Bedekovich Episcopo Segniensi, et Modrussensi. Ara verò nova consecrationis beneficio donata fuit ab Ill'mo, et R'mo D. D. Pio Manzador pariter Episcopo Segniensi, et Modrussensi die 29. Novembris 1770. impositis Reliquiis Sanctorum Martyrum Flori, Fausti, et Secundi.

VII. Extra Capellam S. Antonii extat Ara Divo Petro, Apostolorum Principi dedicata, extructa fuit perfracto muro, quia eo tempore altera navis Ecclesiae nondum erat facta, ab Ill'mo D. Petro Crussich Equite aurato, Lupoglavi in Istria Domino, ac Civitatis Clissae in Dalmatia Supremo Commendante jam ante annum 1530. Is enim proeliaturus adversus Turcarum tyranidem in Dulmae planitie, ut incertam belli aleam redderet securiorem, tota animi teneritudine in clientelam Matris Tersactensis Gratiarum sese concredidit, editoque in hunc finem voto, illustrem victoriam reportavit. Hanc Aram vetustate prope consumptam, anno 1723. D. Petrus de Denaro S. C. Regiaeque Majestatis Portis Maritimi Buccarensis Administrator, et Excelsae Camerae Graecensis Consiliarius noviter ex ligno tamen, propriis sumptibus extrui curavit, in quam expendit f. 566. X. 40. De consecratione hujus Arae posteritati scripto nihil relictum est, si tamen fors antiquitus memoria hujus consecrationis extabat, ea in sequenti incendio facile perire potuit. Si verò mensa in appositione novae Arae amota fuit, credendum est, eam cum aris S. Nicolai, et S. Joannis Nepomuceni consecratam fuisse anno 1727. à R'mo Episcopo Nicolao Pohmajevich.

VIII. Paulò infra Aram S. Petri est Ara S. Annae Matri Divae Virginis Mariae honoribus extructa anno 1624. ab Ill'mo D. D. Stephano L. B. de Ruvere Capitaneo Fluminensi, fuit in aedificatione hujus Capellae etiam murus Ecclesiae antiquae perforatus, et Capella Aquilonem versus protracta, infra quam, et Aram S. Petri murus erat medius, qui in aedificatione alterius partis Ecclesiae dejectus fuit. Lapsu tandem temporis, et haec Ara vetustate corrosa ruinam minabatur, atque adeo ad excitanda corda fidelium, ut eo ferventius Sanctissimae Dei Genitricis Matrem colerent, supra eandem mensam lapideam jam pridem consecratam novum fuit erectum Altare industria A. R. P. Petri Francetich p. t. Guardiani quo anno? nil prostat. **Ex his verbis P. Clari Pasconi** claret, novam Aram non indiguisse consecratione, cum mensa prior immota, et integra perstiterit. Quod D. Stephanus L. B. de Ruvere anno 1624. hanc Aram aedificaverit, patet **ex sequenti monumento**, quod praedictus Dominus

ad laevam ejusdem Altaris affigi curavit, sub hujusmodi tenore:

D. O. M.

Sacrum hoc ad gloriam Divae Annae dicatum, sibi vero
et suis Monumentum Stephanus de Ruvere Sac.

Rom. Imp. lib. Bar. et C. Invict. Impe. Fer-
dinandi II. Consiliar. Cubicularius, et S. Viti
Fluminensis Capitaneus aere proprio erigi, et
decenti dote fulciri curavit Anno Domini

MDCXXIII.

IX. Aram S. Annae sequitur Ara S. P. N. Francisci munificentia Illustris-
simi, et Reverendissimi Domini Domini Francisci Czikulini lib. Bar. et Domini de
Somseduar, et Stubiza Episcopi Scopiensis, et electi Segniensis circa annum 1686.
ex marmore erecta. **P. Clarus Pasconi in Hist. progr. Marian. Triumphi c. 5. §. 6.**
pag. 49. Hoc Altare consecratum dicit die 16. Augusti 1706. ab Illustrissimo, et Re-
verendissimo Domino Benedicto Bedekovich Episcopo Segniensi, et Modrussien-
si, quod mihi verosimile non paret, etenim **idem P. Pasconi** de Aris S. Michaelis,
et S. Antonii Patavini dicit, quod consecratae fuerint die 26. Augusti 1706. â citato
Episcopo Benedicto Bedekovich, ex quo sequitur, quod idem Episcopus eodem
anno, et mense intra 10. dies duas consecrationes in eadem Ecclesia tenuerit, quod
vix credibile est: dicendum proinde est, hic aut errorem calami, aut typi irrepsisse,
et loco diei 26. Augusti, positam, aut scriptam fuisse diem 16. Augusti.

X. Aram Sancti Nicolai Episcopi Myrensis Nicolaus V. de Frangepanibus
Vegliae, Segniae, ac Modrussiae Comes Frater Martini de Frangepanibus fundato-
ris hujus Coenobii munificentissimi mox ad initium introductionis Fratrum Mino-
rum extruxit: decursu verò temporis Anno videlicet 1625. A. R. P. Michael Chu-
mar Minister Provincialis instauravit, et in meliorem formam redegit: demum anno
1726. A. R. P. Theodoricus Lucich pariter Minister Provincialis novam ex integro
aedificari fecit, hancque anno immediate sequenti Illustrissimus, et Reverendissi-
mus Dominus Nicolaus Pohmajevich Segniensis, et Modrussiensis Episcopus con-
secravat, prout **ex fide publica**, quam in terminis appono, liquet

*Anno MDCCXX. die IX. Mensis Julii: Episcopus Nicolaus Pohmajevich
consecravi Altare hoc in honorem Sancti Nicolai: et reliquias Sanctorum Mar-
tyrum Donati, Deodati, et Fortunati in eo inclusi: et singulis Christi fidelibus ho-
die unum annum, et die anniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus,
quadraginta dies de vera Indulgentia in forma consueta Ecclesiae concessi.*

XI. Tandem sequitur Ara S. Joanni Nepomuceno Sacramentalis sigilli in-
victissimo Custodi, et fama periclitantium

patrono dicata. **P. Clarus Pasconi dicit**, quod in hoc loco nulla praeextiterit Ara, et primò anno 1726. à P. Theodorico Lucich Ministro Provinciali erecta fuerit, verum **inter Scripturas Conventus Tersactensis reperi memoriam cujusdam Arae** in honorem [S. Thomae Apostoli],³⁹⁰ et S. Didaci Ordinis Minorum laici professi à diametro Arae S. Petri constructae [ab Ill'mo D. Comite Thoma Erdoedy Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Bano anno 1598].³⁹¹ quae alibi esse non potuit, nisi in hoc loco. [...] ³⁹² Haec Ara in honorem Joannis Nepomuceni erecta consecrata erat anno 1727. ab eodem Antistite Pohmajevich, prout **ex illius distincta attestazione** pariter colligitur tenoris, ut sequitur:

Anno MDCCXXVII. Die IX. mensis Julii: Episcopus Nicolaus Pohmajevich consecravi Altare hoc in honorem Sancti Joannis Nepomuceni: et reliquias Sanctorum Martyrum Maximi, Victorini, et Columbae in eo inclusi, et singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiae consueta concessi.

XII. His adnumeranda venit Ara S. P. N. Francisci Sacra Stigmata à Christo recipientis erecta anno 1647. à Reverendo Domino Matthaeo Rechamarich in quadriangulari Conventûs ambitu orientem versus, ut ex apposita laterali inscriptione patet. In hac Capella Archiconfraternitas Chordigerorum teste P. Francisco Glavinich erecta fuit. Praeterea extat in Choro Fratrum quaedam Ara B. V. Mariae, ad quam reposita est Imago ejusdem Virginis multum devota, ubi quolibet die Sabbatino unum Sacrum, et tempore concursuum plura celebrantur. De hac imagine est traditio, quod prius fuerit sita in scalis in media Capella, cujus amore quidam peregrinus nauta captus eam devotionis causa sustulit animo ejusdem devotionem in sua patria promovendi, sed en! dum navim solvisset nullo modo adhibitis omnibus mediis à portu Fluminensi eam amovere potuit obstupescens cunctis. Mox agnovit bonus vir causam sui irriti conatus esse hoc pium furtum quapropter Imaginem Tersactum retulit, et rei seriem sincerè enarravit, facta Sacrae Iconis restitutione facile à littore movit: Imago verò ad extractam in Choro aram collocata fuit.

§. IV.

De Viris conspicuis in hac Ecclesia sepultis, eorumque Epitaphiis.

I. Inter viros illustres, qui in Ecclesia Tersactensi tumulari voluerint, principem sibi vindicat locum Illustrissimus Dominus D. Martinus de Frangepanibus Vegliae, Segniae, Modrussiaeque Comes Coenobii Tersactensis piissimus fundator, qui plenus meritis, et bonis operibus anno 1479. die 4. Octobris, ipsa videlicet die Seraphico Patri Divo Francisco Sacra Superna dispositione diem clausit extremum. Corpus ejus ritu solemniter Tersacti in Capella Divae Virginis, et tumulo Bartholomaei fratris sui germani quin-

quennio prius videlicet anno 1474. die 22. Martii vita functi reconditum fuit **cum sequenti sepulchrali monimento**:

Hic tumulo jacent ossa, comitesque illustres
Segniae, Modrussiae, totiusque Croatiae dominarunt
Martinus, et Bartholomaeus
per orbem nomina ejus illustrent
Conventus Mariae fautores, Seraphicique
fuêre.

Obitus Martini
MCCCCLXXIX.
Octobris IIII.

Obitus Bartholomaei
MCCCCLXXIII.
Martii XXII.

In hac crypta pariter sepulta est Illustrissima Domina Ursia, quam R'mus **D. Balthasar Kerscelich nominat** Dorotheam Ursini Comitissam â Blagay. In eadem crypta jacent Ill'mus D. Nicolaus VIII. de Frangepanibus ampliatus Ecclesiae Tersactensis, qui 16. Aprilis anno 1647. Viennae Austriae demortuus in urna cuprea Tersactum, ut in vivis ordinaverat, deferri voluit, ac inter suos Majores tumulari. Supra urnam extat quaedam **tabella cuprea**, et deaurata, **in qua incisa sunt sequentia**:

Nicolaus Comes de Frangepanibus â Tersacz, ac Segniae,
Vegliae, Modrussiaeque perpetuus S. Caes. Regiaeque
Majestatis Consiliarius, cum bene, et pie obiisset
Viennae Austriae die 16. Aprilis 1647. aetate
verò sua propè septuagenarius: hac tandem
urna requiescit.

In hac eadem Crypta est alia tumba holoserico nigri coloris obducta clavis argenteis firmata, ad pedes tumbae est annus pariter ex argento formatus videlicet 1652. In hac tumba requiescit Illustrissimus D. Christophorus Wolffgangus Comes de Frangepanibus frater Nicolai VIII. generalis, et Commendans Carlostadiensis, qui ibidem obiit die 15. Martii intra horam 8. et. 9. matutinam anno 1652. ut **ex originali intimatione mortis â Comite Georgio de Frangepanibus** ejus filio, et Vice-Commendante Carlostadiensi Patri Guardiano Tersactensi **facta** patet. Supra hanc tumbam erat quaedam parvula cujusdam prolis, et in medio alia lignea, quae unius ex tribus uxoribus praedicti Christophori esse creditur.

II. Extra crates Capellae erant **duo lapides sepulchrales** ante Aram S. Michaelis, in quorum uno efformata erat effigies Nicolai V. de Frangepanibus fratris ipsius fundatoris, in alio effigies ejus Conthoralis Elisabethae cum **his** in extremitate **inscriptionibus**:

Hic jacet Dominus Nicolaus
de Frangepanibus, Vegliae, Se-
gniae, Modrussiae Comes

Hic jacet Elisabeth Petuhi
Consors spectabilis, et Magnifici
D'ni Nicolai de Frangepanibus, Vegliae,
Segniae, Modrussiaeque Comitissae etc. quae
obiit die 18. Dec. anno MDXII.

Hi duo lapides anno 1762. dum Ecclesia lapide quadro sternebatur, quia multi transeuntes praesertim peregrini propter eorum cavitates cadebant, translati erant ad aram S. Petri, lapis Nicolai positus est ex parte Evangelii, et Elisabethae ex parte Epistolae.

III. In Capella S. Antonii de Padua Dominus Franciscus Frankulini Capitaneus Grobnicensis, qui etiam ipsam Capellam suis sumptibus aedificavit, pro se, et suis posteris sepulturam selegit, ac in hunc finem **cryptam** etiam erexit **cum lapide sepulchrali, cui hanc apposuit inscriptionem:**

Monumentum Hoc

Nobilis, ac Generosus Dominus Franciscus Frankulini

S. C. M. Portus Buccari, et Grobnicensis Vice-

Capitaneus pro se, et suis fieri fecit.

MDCLXXXII.

IV. D. Petrus Crussich Dominus Lupoglavi in Istria, et Commendans Civitatis Clissae in Dalmatia fundator Arae S. Petri, post reportatam in Dulmae planitie contra Turcas illustrem Victoriam in Urbe Croja in Albania legionibus militum iterato praefectus fuit, ut eam ab inimicorum insultibus tueretur, capta â Turcis Urbe amputatoque ejus capite in obsequium fidei amisit temporalem vitam, ut aeternam mereretur accipere: redemptoque mille nummis â Catharina sorore sua corpore, terrae fuit mandatum in hac ipsa Divi Petri Capella â se extracta, relicto posteritati **sequenti erudito rescripto:**

Hoc Petri Crussich marmor tegit ossa perempti

Proh dolor! â Turcis, quos Segnia, Clissaque nunquam

Vivente timuit. Mors corpus, Spiritus astra

possidet: at gestas celebrat res fama perennis.

Elogium pie appositum Mausoleo Clarissimi

Equitis aurati Petri Crussich MDXXXVII.

Hoc Epitaphium non amplius extat, quia anno 1764. dum Crypta repararetur, lapis fractus fuit, et novus sine praefata inscriptione positus.

V. Prope hujus tumulum mox ad gradum versus medium Ecclesiae extat et alius, in quo trium Episcoporum Segniensium corpora solemni ritu sepulta requiescunt videlicet Illustrissimorum, et Reverendissimorum Dominorum Joannis Baptistae Agatich Ordinis Eremitarum S. Augustini, Petri Mariani Fluminensis, et Joannis Smolianovich Buccarensis, qui sibi invicem in Episcopatu succedebant. Prior obiit die 30. Octobris 1640. secundus die 30. Julii 1665. et tertius anno 1677. Prioris **Epitaphium in ipso lapide sepulchrali incisum** hujus est tenoris:

D. O. M.

Frater Joannes Baptista Agatich Fluminensis Sacrae Religionis Augustinianae Alumnus, Episcopus Segniensis, hunc locum

usque ad novissimum tubae sonitum adhuc vivens sibi elegit,
cujus anima sit reposita in fasciculo viventium. Obiit die XXX.

Octobris Anno F. O. F. MDCXXXX.

Secundi vero **Epitaphium** (quod tertius fieri non curavit) **in lapide marmoreo excisum**, et ad cornu Evangelii penes Aram S. Michaelis immurato legitur sequenti sub tenore:

EPITAPHIUM

Illustrissimi, et Reverendissimi Domini Petri Mariani

Sac. E. S. et M. S. G. R. O. M. C.

Petri scire viam forsán cupis ô pie lector

En tibi scissura saxeá ritè notat.

Te duce lustrato loca plena silentibus umbris

reddit attonitum coelica turba Patrem

Una est cunctorum prima, et genialis origo

Sola, potest mentes demeruisse, probas

Moribus, et vita decus Marianus abivit

Ad Sedis aeternae, et Regna beata poli

Rubini Marianus habet, nomenque Sacratae

Jaspidis ex opere, ac actibus ipse tenet

At si plura cupis scire hic tibi lucida dicto

Nomina: scala via, et porta segura poli est

Unus voce, habituque fuit per singula nobis

Susceptus, Patriae gloria, laus et honor.

Obiit Anno

ALMa Dies VItae **nItet, Í** ergo Petre **qVIesCe**
die **XXX.** Julii.

VI. Capellam S. Annae cum Ara aedificavit, suprà dixi, Illustrissimus D. Stephanus L. B. de Ruvere Capitaneus Fluminensis, antequam jam anno priori videlicet 1623. extrui curavit unam Cryptam pro se, et Suis posteris. In hac crypta sepultus requiescit ipse Stephanus fundator cum tota fermè familia sua, in qua ultima ex familia nempe Illustrissima Domina Beatrix Comitissa de Fonfogna nata lib. Bar. de Ruvere tumultata fuit circa annum 1768. **Lapis sepulchralis** hanc brevem exhibet **legendam inscriptionem**

Sibi, et suis

Stephanus de Ruvere lib. Baro MDCXXIII.

Ad dexteram Arae Sanctae Annae, cujus imaginem pinxit percelebris pictor à Pomis dictus, seu ex parte epistolae extat Epitaphium Stephani de Ruvere Consortis, ac filiae eorumdem **cum sequenti in marmore** ad murum lateralem **imposito inscriptione**

D. O. M

Annae Liberae Baronissae De Ruvere
 Natae Lib. Baron. â Par
 cujus Religio, pietas, et mores
 insignem generis virtutem
 aequarunt, ornaruntque,
 Prudentiam, obitum, et laudes
 nemo non coluit, non luxit, non extulit.
 Stephanus de Ruvere lib. Bar. pos.
 Maritus maestiss: conjugii fidiss:
 Quae obiit in Arce Civitatis Flum. Sanc. Viti
 XXIII. Augusti Anno MDCXXIII.
 nec non
 Leonorae filiulae
 cui vix mortalis illuxit diecula
 cum Stephano Genitore
 Laura parens â Turri, et Valli-Saxinae
 Comes, primo suo germini posuit.
 Non obiit, abiit ex eadem Arce
 die XXX. Junii MDCXXVII.

VII. Aram S. P. N. Francisci suis sumptibus erexit Ill'mus, et R'mus D.
 Franciscus Czikulini Episcopus Scopiensis, et electus Segniensis unâ cum cryp-
 ta ante dictam Aram, in qua etiam tumulatus fuit. Post ejus mortem anno 1699.
 ejusdem haeredes cum permissione Superioris Conventûs **hanc** â dextris Altaris **in**
marmoreo lapide incisam reliquerunt **memoriam**:

Quod Unicum superest

Sepulchrum Illustrissimi, et Reverendissimi Domini
 Domini Francisci Czikulini lib. Bar. de
 S. D. M. S. E. D. U. A. R. et Stubiza
 S. C. M. Consiliarii, et Episcopi Scopiensis

Salvo meliori judicio puto, lapicidam in incisione hujus Epitaphii errorem comi-
 sisse, dum litteras majusculas S. D. M. S. E. D. V. A. R. posuit seorsim, quasi
 quaelibet singularem denotaret significationem, quae meo videri conjugii deberent,
 et unicum nomen efficere, mutata tamen prima littera D. in litteram O. quae per
 iniuriam lapicidae facile corrumpi potuit, et taliter legi deberet: *Lib. Bar. de Somse-*
duar, et Stubiza Sac. Caesareae Majestatis Consiliarii, et Episcopi Scopiensis. Si
 quis verò perspicacioris ingenii ex praedictis litteris alium eliciet sensum, aut litte-
 rarum significationem sine tamen coactione, eidem libenter subijciam debile meum
 judicium.

VIII. Sunt praeter ennumeratos plures personae Nobiles in hac Ecclesia sepultae, quarum obitûs dies, et anni non reperiuntur notati ob iniuriam eorum, quorum adnotare intererat, inter quas numeratur quidam Casparus de Frangepanibus, Petrus de Argento Lib. Bar. de Silberberg Capitaneus Fluminensis, Casparus Chnessich Arcis Tersactensis gubernator, aliique quamplurimi. In medio Ecclesiae anno 1711. intra portam, qua ex Conventu ad Ecclesiam itur, et aram Sanctae Annae, duae factae sunt Cryptae, in quarum una sequens **inscriptio** est:

Sepultura Commune MDCCXI.

In altera vero sequens incisa legitur **inscriptio italica**

*Sepultura per li confratelli, e sorelle di questa
Sanctissima Vergine, e Madre delle gratie
MDCCXI.*

In lapidis lustralis superiori circulo haec verba exprimuntur:

D'nus Joannes Baptista Episcopus curavit fieri anno 1689.

infra vero penes terram iste notatur annus: MDLIX. Ex quo apparet, quod primus lapis pro aqua benedicta factus fuerit anno 1559. et dein anno 1689. alius factus fuerit remanente pede â praedicto Episcopo Joanne Baptista.

IX. In medio Ecclesiae sub Crucifixi simulacro sequens legitur sepulchralis **inscriptio**:

Haec Requies mea (dein carmina duo, quae legi amplius haud possunt, dein sequitur)

*Petrus L. B^o ab Argento Caesareus Consiliarius,
Fluminensis, Tersactique Capitaneus Constantiae
Rosaliae ab Herberstein uxori, sibi posterisque
posuit 1677.*

Sub Hexedra, seu pulpitu concinatorio est quaedam **Crypta, in cujus lapide haec incisa sunt verba**:

*Anno Domini 1543. hoc sepulchrum fecit fieri
Nicolaus Noscicih Nobilis Segniensis pro se
Suisque. Hic jacet conjux cum Matre sua.*

Ex qualibet parte primae Ecclesiae penes portam majorem sunt Cryptae duae **cum hac inscriptione**:

O. A. M. D. G.

Hoc sepulchrum fecit fieri Georgius Valich sibi, et suis 1666.

In posteriori verò leguntur verba sequentis tenoris:

Monumentum hoc fieri curarunt fratres Mathias,
et Petrus Matergliani pro se, suisque
Anno 1690.

§. V.

De Coemeterio ante fores Ecclesiae sito, [Caeremoniis, et Consuetudinibus sepeliendi].³⁹³

I. Coemeterium Tersactense sat magnum muro circumdatum est communis sepultura non tantum Tersactensium, sed etiam populi in Draga, et Podvessiza habitantis, nec non majoris partis Costrenensis. Hoc Coemeterium si non praecessit introductionem Fratrum, saltem hoc tempore unà cum Conventu, et Ecclesia erectum creditur. Duas habet portas, per unam, quae ad oppidum Tersactense est, ingreditur populus vicinus putà Tersactensis, Grobncensis, Buccarensis, aliusque ex Valle Vinaria, ac Croatia, altera excipit populum Fluminensis Civitatis, Liburniae, Istriae, et Carnioliae, hanc portam anno 1762. P. Jacobus Kukaina p. t. Guardianus reparari curavit, in cuius summitate appositus est lapis, cui incisus est S. Pauli ad Romanos *textus* hujus tenoris: *Salutate Mariam, quae multum laboravit in nobis* ad Rom. 16. V. 6.

II. Mos sepeliendi mortuos in hac patria multum differt ab illo in Germania³⁹⁴ nam mortui cadaver portatur ad tumulum in tumba ex tribus asseribus compacta, cooperculum unus distinctus portat in capite post cadaver, quo cadaver cooperitur, dum jam ad tumulum ponitur. Mortuus ex Draga, aut Costrena deponitur penes quoddam signum extra septa Conventus, ubi cadaver manet, donec Religiosi cum cruce, Officiatore pluviali, et levitis Dalmaticis indutis adveniant, quorum quilibet accipit unam, duas, aut tres candellas unius, aut duorum solidorum valoris. Facta aspersione, et recitatis solitis precibus elevatur cadaver, et deportatur ad Ecclesiam, ubi aliae Ecclesiasticae peraguntur Caerimoniae. Antequam elevatur cadaver ad tumulum deportandum omnes Consanguinei turmatim accurrunt, et defuncto non sine magno ejulatu ultima infigunt oscula. Praeterea conducuntur una, aut duae vetulae pro una libra, seu 20. solidis, quae penes defunctum manent, donec sepeliatur, quarum officium est, ut penes defunctum vigilent, fleant, ululent, et vociferentur, quae etiam, ut suam mercedem promereantur, flent sine tamen lachrymis; etenim est fletus artificiosus, et vociferantur usque ad raucedinem, recitantque quasi ex tripode omnia bona, quae in vita gessit, totamque possessionem minutim enumerant, qua ennumerata increpant defunctum, quod mortuus sit, cum sufficientem habuerit substantiam, unde diutius vivere potuisset. Si verò in oppido Tersactensi quis moritur, vadunt Religiosi cum Officiatore, et Ministris Sacris vestibus induti usque ad domum defuncti, ubi una cum Parocho, aut ejus Substituto simul funus benedicunt, elevant, et ad Ecclesiam deportant cum suprà

memoratis Caerimoniis. Si verò ex Civitate Fluminensi aliquis Tersacti sepelitur, eo tempore descendunt Religiosi pariter cum Officiatore, et levitis, Sacris respective vestibus amicti, quos Parochus loci associare solet, ibique in medio pontis benedicunt cadaver, elevant, et Tersactum deportant.

III. Alia adhuc in hoc Conventu viget consuetudo, quae in aliis Conventibus non observatur, videlicet quod in Adventu quotidie cantetur *Rorate*, in qua Missa Epistola, et Evangelium canitur in idiomate Illyrico, sicut etiam in tribus Missis Nativitatis D. N. J. C. item *Passio* Domini dominica Palmarum, ac in Parasceve, nec non quatuor initia Evangeliorum in processione Dominica infra Octavam Corporis Christi duci solita. Processiones ex hac Ecclesia usque ad primam Capellam supra gradus redeundo infra Coemeterium ducuntur sequentes videlicet in festo S. Marci, tribus feriis Rogationum (nota feria 3^{tia} vadit usque ad Ecclesiam S. Georgii) Dominica infra Octavam Corporis Christi, et in festo S. Laurentii ad Capellam penes mare eidem Sancto dedicata: Has processiones, excepta ultima, semper aut Parochus, aut Capellanus Cotta, et Stola indutus comitari debet, vaditque mox post Officiatorem. Imo olim Parochus in Processione Dominica infra Octavam Corporis Christi Dalmatica indutus canere debuit quatuor Evangelia, sicut etiam *Passionem* dominica Palmarum, et in die Parasceves, nec non in tribus Missis Nativitatis Domini agere levitam, quod onus jam dudum excusserunt.

IV. In hoc usu Stolae extra Septa Monasterii Patres Tersactenses imperturbati erant usque ad annum 1693. Hoc enim anno, cum D. Petrus L. B. de Argento Capitaneus Fluminensis extremum clausisset diem, et Tersacti sepeliri voluisset, Ill'mus, et R'mus D. Sebastianus Glavinich Episcopus Segniensis absentiam D. Parochi Tersactensis supplere, ac funus magis condecorare volens, in persona illud in medio pontis excepit, ubi etiam P. Guardianus p. t. Petrus Francetich cum Ministris Sacris vestibus indutis comparuit, ut ab antiquo moris erat. Contra hunc actum tamquam violativum jurium Parochialium protestatus est dictus D. Episcopus, ac litem movit contra P. Guardianum Viennae apud Sacram Nunciaturam, ab ea autem proseguenda, cum sententiam sibi minus favorabilem eventuram praesentisset, destitit. Aliam querelam deposuit apud suum Episcopum Martinum Braikovich Parochus Tersactensis Justus Chrismancig contra Guardianum Tersactensem, quod quoddam Cadaver Tersacti elevaverit sine sua praesentia anno 1702. Anno 1738. ARD. Mathias Paravich denuo movit causam coram R'mo D. Antonio Benzoni Episcopo Segniensi contra Conventum Tersactensem, quod ejusdem Conventus Religiosi pro elevandis mortuorum corporum cum stola, et cruce elevata ad suam Parochiam veniant. Tandem anno 1755. cum ex praecedentibus querelis Parochus Tersactensis nil juris, contra PP. Franciscanos obtinere potuerit, insurrexit totum Capitulum Buccarense, cum Parocho Tersactensi, cui se etiam adjunxit Capitulum Grobnicense, non quod in sua jurisdictione laesum

fuisset, cum rarò demortuâ Familiâ Frankulini aliquis ex Parochia Grobnicensi Tersacti sepeliatur, sed ut causa junctis viribus fortior evadat, contra Conventum Tersactensem querulando coram Excelsa Ministeriali Aulica Banco-deputatione, quod P. P. Franciscani Stolâ extra Septa Monasterii utantur, cadavera sine praemonitione D. D. Curatorum elevent, quartam funeralium Parochis non solvant, et quod collecturam musti faciant ante collectionem decimarum. Quid sententiae ex hac proposita causa evenerit? ignoro, id unicum scio, Conventum in antiqua consuetudine immobilem existere.

V. Ut autem res clarior evadat, jura, quibus Conventus innititur, in medium adducere decrevi. Fateor de Jure communi Regularibus prohibitum esse processiones extra Claustra ducere, aut Stolâ extra Septa Monasterii uti, cui autem juri praescribi posse, nemo est, qui ignoret. Imprimis loquendo de processionibus certum est, quod consuetudo praesertim immemorialis obtineat vim legis, et ipsa Decreta Sacrae Congregationis, dum processiones Regularibus inhihent, excipiunt consuetudines, sic enim **Sacra Congregatio die 28. Feb. 1628. apud La Croix lib. 6. p. 2. Num. 2055 decrevit: *Extra ambitum Ecclesiae non licet Regularibus facere Processiones, nisi de licentia, et consensu Parochi salvis privilegiis, et consuetudinibus, si quae sunt.*** Eadem **Sacra Congregatio** in una Leopoliensi die 14. Feb. 1642. ad instantiam mendicantium **decrevit hoc modo: *Oratores, quando habeant ad ipsorum favorem, consuetudinem legitime, praescriptam faciendi Processiones extra ambitum ipsarum Ecclesiarum, atque Conventuum, non posse prohiberi à Parochis, seu locorum Ordinariis, ne de caetero ipsas Processiones, sicut praemittitur faciant sine ipsorum licentia, prout hactenus facere consueverunt praemissis, caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.*** Quantum attinet Processionem Dominica infra Octavam Corporis Christi, S. Pius V. concessit Ordini Praedicatorum facultatem ducendam cum Sanctissimo Processionem aliqua die infra octavam Corporis Christi, quam facultatem ad omnes Regularium Ordines extenderunt **Gregorius XIII. in Bulla incipiente *Cum interdum contingat*, Clemens VIII. Bulla: *Ratio Pastoralis*, et Paulus V. Bulla *Injuncti Nobis*, ut videre est in Bullario Cherubini tom. 2. 3. etc. Idipsum concessit **Innocentius XII. Fratribus Minoribus, et quidem specialiter pro Dominica infra Octavam Corporis Christi Bullâ incip. *Sua Nobis data Romae V. Kalendas Martii anno 1696.*** quam refert **Matthaeucci tom. 2. Verb. *Officialis quoad Processiones.*** Deinde Decreta Sacrae Congregationis inhihentia Regularibus Processiones extra ambitum instituere communiter allegant causam, quia Regulares non praesertim mendicantes non habent proprium territorium; ast Ecclesia, et Conventus Tersactensis habent proprium Territorium extra Claustrum, et quidem in specie illud, in quo, et per quod fiunt Processiones, est Territorium spectans ad Jurisdictionem Ecclesiae Tersactensis, ut videre est in **litteris Martini de Frangepanibus de dato 7. Apr. 1431. suprâ allatis.****

VI. Quod Patres Conventûs Tersactensis sive Parocho Tersactensi, sive Buccarensi in tumultandis cadaveribus mortuorum tum Tersactensium, cum Dragensium, et Kostrenensium, mortem eorum iisdem prius non denuncient, aut elevent, et tumultent sine eorum praesentia, praetensio ridicula nimis est; Etenim si rustici Dragenses, et Kostrenenses suorum mortuorum cadavera sine scitu, et associatione proprii Parochi Tersactum tumultanda deferant, conquerantur, et compellant Domini Parochi ipsum populum, aut filialium Ecclesiarum aedituos, ut cujuslibet Parochiani mortem denuncient, et si non denunciatur, in Conventum culpam non conijciant, cum ad id Conventus nullo jure teneatur. Neque Parochus Tersactensis quidquam solidi opponere potest contra immemoriam consuetudinem, quod enim ad benedicenda cadavera ex aliena Parochia Tersacti sepelienda non accedat, quis hoc unquam prohibuit? quod vero subinde Tersacti contigerit, quod Fratres cadavera in ipso oppido Tersactensi elevaverint sine praesentia Parochi, id factum fuit, dum Parochus vocatus comparere renuerat, quod licite facere potuerunt conformiter ad declarationem Sacrae Congregationis confirmatam **ab Alexandro VII. in Bullâ incip. *Alias pro parte***, quam **Lantusca in Theatro Regularium pag. 535** refert sub his verbis: *Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum, et Regularium praeposita censuit defunctorum cadavera in Ecclesia dictorum Fratrum (videlicet Minorum) sepelienda ab aedibus defunctorum ad eorundem Fratrum Ecclesias recto tramite deferri licitè posse, monito tamen prius, et requisito (utique ab ipsis Parochianis, ut praxis universalis docet) ac expectato proprio defunctorum Parocho, à quo benedictionem, vel ultimum vale recipere possent, quò venire recusante, possent iidem Fratres etiam ipso invito dicta cadavera ad suas Ecclesias transportare. Si quae verò immemorialis consuetudo in contrarium super praemissis praetendatur, legitimè probetur.*

VII. Ex hac Sacrae Congregationis Resolutione plura eruuntur in favorem Regularium, et quidem *primò*, quod defunctorum corpora non sint deferenda prius ad Ecclesiam Parochialem, et dein *primò* ad Ecclesiam Regularem, prout aliqui Parochi praetendebant, sed via recta è domo defuncti portanda sunt ad Ecclesias Regularium, si sibi ibidem sepulturam elegerunt. *2^{do}* Quod si Parochus requisitus venire renuat, possint Regulares cadaver levare, et ad suas Ecclesias deferre, etiam invito Parocho. *3^{tio}* Si aliqua immemorialis consuetudo in contrarium vigeat, illa legitimè probari debeat. Iam loquendo de Conventu Tersactensi immemorialis viget consuetudo, quod Fratres cum stola, et pluviali exeant pro levandis cadaveribus Dragensium, ad domum verò defuncti, quantum ad cadavera Tersactensia, ac ad medium pontis pro levandis cadaveribus Fluminensium Tersacti sepeliri volentium, quae consuetudo jam dudum legitime probata fuit **ex authentica attestatione Judicum, Seniorum, et**

populi Tersactensis, nec non ipsius Parochi ejusdem loci, quae in Originali sigillo Communitatis Tersactensis munita, ac subscriptione publici Notarii roborata reperitur in Archivio Conventus Tersactensis sequentis tenoris:

Noi infrascritti Parocho, e Seniori del popolo di questa terra, ò Sy Villa di Tersatto facciamo certa fede, et in conscientia nostra attestiamo, â chiunque perveniranno le presenti, come li M^{to} R. R. P. P. Min. Rif^{ti} di S. Francesco di questo Convento di Tersatto, dovendo sepelirsi nella loro Chiesa, ô Cemiterio qualcheduno de' nostri morti dal principio della loro venuta in questo luoco, sempre vi siano intervenuti processionalmente con loro Croce, aparati Relig^o Pad^{te} Sacerd^{te} con stolla, e piviale, ò senza questo, conforme richiedeva la qualita delle persone, parenti, ò casa del defonto, e tal volta sono andati sino al luoco, che è in publica strada, ove sogliono secondo antichissimo costume delli convicini del nostro Territorio deporsi tutti li corpi morti, et aspettare li sudetti P. P. R. R. acciò venghino levarli, qualche volta nelle nostre case, mentre sono stati chiamati, cosi pure, sopra il ponte della Fiumara, ove confina la Giurisdittione della loro chiesa, e sempre vi benedicevano, ricevevano, e levavano li corpi morti, e facevano attorni quelli tutte le cerimonie, e necessarie fontioni[†] anchorche vi fosse stato presente il nostro Parocho, nulla s[†] ingeriva in tal cerimonia, ò fontione, che veniva fatta solamente dal Padre di sagre vesti vestito, ma il nostro Parocho solo si[†] incaminava con li medemi Padri per accompagnare il defonto sino la loro Chiesa. Così lo manteremo esser stato sempre e dalla memoria nostra, e de nostri Vecchi, perciò volentieri, benche ricarcati, habbiamo fatto il presente attestato, e con nostro Commune consenso sigillato col Sigillo de Publico. In Tersatto 4. Gen^{tro} 1694.

(L. S.)

Com.

Sic rogatus â Judicibus, Senioribus, et Populo Tersactensi Ego Joannes Antonius Urbani Imperiali Auc'te Notarius Publicus praemissam attestationem subscripsi, meoque sigillo munivi ac eorumdem Judicum, et Seniorum Nomina ipsis poscentibus retro extendi, die 6. Januarii 1694.

(L. S.)

Not.

Georgius Sercoch
Georgius Sporarich
Matthaeus Zachan
Petrus Maracz
Joannes Gersapich
Thomas Matcovich

Joannes Chaus
Antonius Materlian
Joannes Berncich
Matthaeus Sercoch
Stephanus Covacz

(L. S.)

Par.

Ego Georgius Chop electus Parochus, et Cancellarius Tersactensis testor, ùt suprâ m'ppa

VIII. De solutione quartae partis funeralium, satis mirari nequeo, quod D. Parochus Tersactensis, et V. Capitulum Buccarense mentionem aliquam faciant. Verum est **de jure communi secundum Clementinam** = *Dudum*, dum corpora non in Parochiali, sed aliena Ecclesia sepeliuntur, quartam partem de omnibus rebus, et emolumentis, quae illi Ecclesiae introitu funeris obveniunt, deberi Parocho, sive ejus Ecclesiae, quod debitum stringit ipsam Ecclesiam, in qua corpus Parochiani sepelitur. Attamen omnino certum est, et evidens, Ecclesias Regularium fuisse jam olim ab hoc onere, seu praestatione quartae funeralium exemptas, nimis molestus essem, et rem actam agerem, si Pontificias Bullas hanc exemptionem nobis concedentes numerare, et adducere vellem, satis est **Bulla Alexandri VI. incip. Sacra Religionis edita 5. Febr. A^o 1501.** et reperitur **apud Rodericum in Collect. Privileg. Apostol.** in ea siquidem Summus Pontifex non tantum confirmat cuncta privilegia Ordini Fratrum Minorum concessa, sed insuper expressè eximit illum à solutione quartae hujus partis his verbis: *Etiam quoad exemptionem à solutione quartae locorum Ordinariis, et Parochialium Ecclesiarum Rectoribus debita, à qua vos potiori pro cautella* (supponit enim nos jam prius fuisse exemptos) *eximimus.* Tandem **decisio S. Concilii Tridentini sess. 25. cap. 13. de Reformat.** decernit, ut *omnia loca, quae 40. annis ante publicationem hujus Decreti solvere solebant quartam funeralium, eadem postea integro jure, sicut prius consuetum erat, persolvant, non obstantibus quibuscumque privilegiis etc.* Plures **declarationes Sac. Congr. Cardinalium hujus Concilii Interpretum apud Gallemarth, et alios** passim videntur, ac receptae habent, in vim hujus decreti Monasteria, quae 40. annis ante illius publicationem primùm erecta sunt, ad ejus solutionem non esse obligata. Jam ad propositum de Conventu Tersactensi loquendo, erectus ille est anno 1453. Concilium verò Tridentinum publicatum est anno 1563. stetit proinde Conventus 110. annis ante publicationem Tridentini. Illis 110. annis, aut saltem 40. annis praevis ad publicationem, si quaestio est, utrum Conventus solverit quartam funeralem, dico constanter, nec uno anno solvisse. Si verò id D. Parochus Tersactensis, aut Vn'ble Capitulum Buccarense contrarium asserere auderet, illis, non nobis id probare incumbit. Cum itaque querulantes non sint capaces aliquando id probandi, nescio quo fundamento exsoletam hanc querelam de non soluta quarta funeralium, de cujus solutione alii Domini Parochi in aliis locis, sive quoad nos, sive quoad alios Regulares nunquam cogitent amplius, opponere ausi fuerint?

IX. Quid causae sit? quod Parochus Buccarensis sui Parochiani funus usque ad terminum suae Parochiae, quod de jure potest facere, nec nos umquam aliquod impedimentum posuimus in contrarium, non comitetur, facile, et sine injuria dici potest, causam esse **duo decreta Capitanealia, unum latum 10. Octobris 1724.** et **aliud die 9. Septembris 1732.** et vi quorum ad instantiam V. Capituli Buccarensis deman-

datur Populo Dragensi, et Costrenensi sub poena arbitraria, ut annuncient mortem cujuscunque defuncti Tersacti tumulandi D. Parocho Buccarensi, Parocho liberum permittitur associandi cadaver illis verbis: *se poi il capitolo vorrà accompagnare il cadavere sino al confinio di Tersatto, lo farà gratis*. quid porro causae est? quod his Decretis Capitulum Buccarense non utatur, ac anno 1755. denuò causam innovaverat ipse haec Decreta Vice-Capitanealia causa erunt: videtur enim D. Parochi, et V. Capituli Buccarensis desiderium tendere in emolumentum aliquod temporale, ut nimirum Parochianis demandaretur solutio stolae illis praestanda, aut saltem admitteretur, ut eam pro funebri cadaverum comitiva exigere valeant. Jam verò cum eam solutionem, quam Parochiani nunquam ab immemorabili praestiterunt, exigere in illis Decretis vetitum erat, addita praedicta clausula, ut Vn'ble Capitulum suam Comitativam funeris *gratis*, seu absque mercede, inspecta hujus loci populi pauperie, exhibeat, nec quidquam praetendat titulo sepulturae, dum Parochiani apud B. Virginem Tersacti sepeliuntur, verosimile est, quod V. Capitulum Buccarense praecisa illa spe lucri, et mercedis temporalis nullam curam gerere voluerit, sive in inquirendo obitum, et sepulturam alicujus, sive in comitiva funebri defunctis danda, dum Tersactum ad sepulturam deferuntur.

X. Quod verò D. D. Capitanei prohibuerint, ne quidquam à Parochianis solvatur, inhaeserunt consuetudini immemoriali cum nunquam nec minimum quid solverint, considerarunt etiam statum subditorum, quibus nimis durum, et grave foret, novum solutionis onus et quidem lib. 33. et 3. solid. ut habet **specificatio Capituli Buccarensis**, imponere, postquam ab immemorabili ab illo exempti erant, et sepulturâ in nostro Coemeterio semper gaudebant absque eo, quod vel Parocho, vel Nobis quidquam illius intuitu praestitissent; etenim qui ex illis apud nos sepeliri volunt, pro solemni quidem Sacro tribuunt parenti nostro Spirituali f. 1. X. 8. et Ecclesiae, ac Religiosis exiguum cerae quantitatem (caeterum pro pulsu saepius repetito cum omnibus campanis, pro comitiva funeris, cantato) *Libera*, pro loco Sepulturae plane nihil pendunt, nec quidquam ab illis petimus, sed omnia haec absque ullo lucro temporali ex mera charitate proximi exhibemus. Et revera multum facilius, et commodius nobis esset, ad portam nostri Coemeterii, aut Ecclesiae cadaver ad nos delatum exspectare, quam absque ulla eleemosyna per pluvias, per frigus, per ventum in maritimis illis partibus satis polentem extra Septa Conventus cum vestibus Sacris ad excipiendum cadaver, illudque comitandum pergere. Facilius, ajo, id foret nobis, et commodius nisi nos urgeret antiquissima consuetudo, et spiritualis consolatio populi, quam certè habet, videndo pauperes subditos sine ullo onere, et solutione tam honorificè, et cum tam solemni comitiva

sepeliri, possetque meritò dubitare, an ejusmodi Spiritualia obsequia gratis, et absque praestatione stolae sperare posset à Parocho, qui nec funeri simpliciter adesse vult, dum ei nil tribuitur, ùt visum est.

XI. Quid dicet Parochus Tersactensis, aut V. Capitulum Buccarense? si asseruero, quod olim Ecclesia S. Georgii fuerit sub nostra Jurisdictione, haecque nostra Ecclesia principalior fuerit illa? Ut rem ab ovo enarrem, revertendum est ad priora tempora. Nam, quando Domus Nazarena Tersactum allata fuit, erat tunc Tersacti quidam Presbyter Alexander nomine, quem licet **P. Franciscus Glavinich in sua Hist. Ters.** in uno loco propter erga hunc locum magis conciliandum populi devotionem, et miraculi credibilitatem nominat Parochum, tamen **c. 4. ejusdem hist.** eum simplicem nominat Presbyterum illis verbis: *Fuit enim Presbyter Alexander pius, licet aegrotus, idcirco simul cum oraculo, ac Coelesti odore accepit pectoris gaudium, virtutemque membrorum.* Deinde **P. Clarus Pasconi in Triumph. Hist. Ters.** ait: quod ante introductionem P. P. Franciscanorum Clerus Grobnicensis, et Buccarensis officiauerint hanc Capellam, quod Parochus, si tunc fuisset, vix admisisset. Addo ego, **aliquos fuisse**, ùt testificatur R'mus D. **Franciscus Xaverius de Marotti in sua dissertatione historica pro Deipara Tersactana p. 1. fol. 17.** qui asseruerunt praefatum Alexandrum fuisse *Episcopum*; **Balthasar Bartoli in Hist. Laur. c. 2. fol. 31.** vocat eum *Praepositum*. numquid propterea fuit *Episcopus*, aut *Praepositus*: aut Capella S. Georgii fuit *Episcopatus*, vel *Praepositura*? nullus hoc asseret, ergo etiam ex eo, quod **P. Glavinich vocet** Alexandrum Presbyterum *Parochum*, et Capellam S. Georgii *Parochiam*, non sequitur, quod ita fuerit. [...] ³⁹⁵ Deinde: inspiciantur, quaeso, **litterae fundationales Ill'mi D. Martini de Frangepanibus de dato Novi 7. Aprilis 1431. suprà c. 4. n. 2. allatae**, in quibus gloriosae memoriae Martinus Ecclesiae, et Conventus Tersactensis piissimus fundator, Ecclesiam S. Georgii suam *Capellam*, non *Parochiam* nominat dicens: *Deinde per viam publicam ad angulum Capellae nostrae Sancti Georgii.* Apparet ex hoc textu, quod Ecclesia S. Georgii sita sit intra terminos, limites, metas, et fundum, prout etiam hodie omnes fatentur, à fundatore nobis data, et à Summis Pontificibus, ac Augustissimis Imperatoribus Austriacis confirmata, sequitur itaque, quod Ecclesia illa spectaverit ad Conventum nostrum, cum accessorium sequatur suum principale.

XII. Dein: quilibet ratione praeditus, ac ab omnibus praejudiciis immunis, si consuleretur: an Paulus subjectus sit in aliqua re Petro, ex eo, quod Paulus obligatus sit Petro annuatim certas servitutes praestare? respondebit indubitanter: Paulum esse subjectum Petro saltem quoad aliqua. Ast ita est, quod Ecclesia S. Georgii semper in aliquo fuerit subjecta Ecclesiae B. V. Mariae Conventus Tersactensis; nam Curatus tenebatur in festo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi venire ad nostram Ecclesiam, et tamquam Diaconus assistere in omnibus tribus Missis cantatis nostro Guardiano: Item Dominica infra Octavam Cor-

poris Christi in Processione fieri solita tenebatur Guardiano assistere, ut Diaconus, et cantare omnia quatuor Evangelia: Ita in Dominica Palmarum, et feriâ sextâ Parasceves assistebat pariter Guardiano, et cantabat Passionem Domini in Cathedra concionatoria. Vivebant adhuc anno 1738. duo venerandi seniculi nempe Thomas Bacarchich aetatis 90. annorum iudex vallis Dragensis, ultra 40. annos, et Nicolaus Bartolovich aetatis circiter 70. annorum, qui testificati sunt se propriis oculis vidisse, et auribus audivisse Ad'm R'ndos Dominos Parochos Nicolaum Antonich, Joannem Cucich, Georgium Chop, et D. Zdurca praefatis diebus solemnibus nostro P. Guardiano in nostra Ecclesia adstitisse, ut Diaconos, et praememorata cantâsse. Idipsum etiam de tribus posterioribus Parochis Mathias Stipcovich Iudex plagae Dragensis asseruit, et confirmavit, se fuisse testem de proprio visu, et auditu. Profecto nunquam D. D. Parochi hoc onus subiissent, nisi ex aliquo titulo obligati fuissent, titulus verò alius assignari non potest, nisi quia Ecclesia S. Georgii sita est in territorio Conventus Tersactensis, sicque sub jurisdictione ipsius Conventus. Etiam hodie in festo S. Marci, tribus feriis Rogationum ac Dominica infra Octavam Corporis Christi venit D. Parochus cum vexillo S. Georgii ad nostram Ecclesiam, et comitatur nostras Processiones Stola quidem, et Superpelliceo indutus, semper tamen â sinistris nostri Officiatoris. Deinde Parochus Tersactensis se nominat Parochum *Caesareum*, consequenter et Parochia *Caesarea* est. Si *Caesarea*, ergo â Caesare, seu Imperatore Romano fundata, et dotata: vix verò credibile est, eam ab Imperatoribus fuisse prius fundatam, seu erectam, antequam Regnum *Hungariae* [*Chroviae*]³⁹⁶ in quo haec Parochia sita est, ex domo Austriaca [*sibi elegerat reges*]³⁹⁷ praesertim cum fundatio hujus Parochiae consistat in bonis immobilibus, super quibus antiquitus *Imperatores* [*reges*]³⁹⁸ nullam jurisdictionem habuerunt. Jam verò Corona Regni *Hungariae* [*Chroviae*]³⁹⁹ mortuo Ludovico II. *Hungariae* [*Chroviae*]⁴⁰⁰ Rege imposita fuit 28. Octobris 1527. Ferdinando Archiduci Austriae, qui anno 1556. sub nomine Ferdinandi I. Romanorum Imperator salutatus fuit, proinde Parochia haec post annum 1556. fundata fuit, sicque 103. annis post introductionem Fratrum Minorum ad Conventum Tersactensem. Nec valet dicere, quod Parochia Tersactensis prius extiterit quidem, sed primò, postquam Regnum *Hungariae* [*Chroviae*]⁴⁰¹ ex domo Austriaca [*reges acceperat*]⁴⁰² *Caesarea* vocitari coeperit, nec valet, inquam, dicere, quia taliter omnes Parochiae Regni *Hungariae* [*Chroviae*]⁴⁰³ dicerentur, Parochiae Caesareae in sensu stricto, quod falsum est; de sensu enim largo sermo non est.

XIII. Dicendum proinde est, Parochialem S. Georgii Ecclesiam fuisse olim tantum simplicem Capellam, prout loquitur Martinus de Frangepanibus, in qua Sacellanus Arcis pro familia Frangepaniana Missam celebrare consueverat. Dum verò Conventus, et Ecclesia pro Fratribus Minoribus Provinciae Bosnae extracta esset, illique Ecclesiae territorium Tersactense juxta confinia in *litteris foundationalibus Martini de Frangepanibus datis Novi 7. Apr. 1431.* contenta donatum fuisset, Patres in hoc territorio, in quo etiam praedicta S. Georgii Ecclesia sita est, exercebant non tantum jurisdictionem temporalem, sed etiam Spiritualem. Successu temporis circa tempora Lutheri cum

Fratres ob defectum Candidatorum valde ad exiguum numerum redigerentur, iique pauci, qui superstites erant, ad eam senectutem devenerant, ut gravioribus laboribus sufferendis impares essent, comiserunt partem Spiritualis solitudinis Capellano, qui â Familia Frangepaniana intertenebatur, praesertim quoad Sacramenta infirmis ministranda, reservatis iis, quae per Fratres etiam debiles, et senes perfici poterant, puta Sepulturis, Processionibus etc. Penes Capellanos mansit dein continuo praedictorum Sacramentorum administratio. Cùm autem bona Frangepanica, ad Domum Austriacam devoluta fuissent, et praedicti Capellani congrua sustentatione privati extitissent, Romani Imperatores, qui tunc ex domo Austriaca erant, assignarunt ex praedictis Bonis pro honesta sustentatione Curati certos annuos redditus, et obinde Parochos se nominarunt Caesareos, quales etiam in hodiernum diem persistunt.

§. VI.

De Gradibus, et Capellis per eos extractis.

I. Ut etiam de gradibus, et Capellis Collis Tersactensis aliqualis saltem habeatur memoria, eam in hoc §. posteritati transmittito. Scalam omnium primus proprio aere â Summo usque deorsum 118. gradibus distributam ê saxo montano anno Domini 1531. fieri fecit D. Petrus Crussich Lupoglavi in Istria olim Dominus, ac Clissae in Dalmatia Supremus Commendans, ut sic commodior pateret devotis peregrinis accessus, et ascensus ad adorandam Domini Matrem, et Sanctam ejus domum. Hanc Scalam anno 1726. Illustrissimus Dominus Gabriel Franciscus ab Aichelburg Provinciarum Styriae, Carinthiae, et Carnioliae Nobilis Patritius, et Caesareus Commendans Briniensis, Seraphici Instituti fautor eximius, in honorem Deiparae Virginis de novo â pede usque ad verticem montis 417. gradibus circumscriptam ex lapide polito construi curavit cum *hac votiva, et Chronographica lapidi incisa inscriptione*:

Vt tVtlor aD SVperos pertIngat

1726⁴⁰⁴

hanC VIaM sIbI feCIt

Ill'mus D. D. Gabriel Franciscus ab Aichelburg
Inclytarum Provinciarum Styriae Carinthiae, et Car-
nioliae Nobilis Pro'alis S. Caes. Cat. Majest.
Commendans Brigniensis etc. harum scalarum

et viae reparator.

II. Capellae penes gradus in colle Tersactensi, per quos Flumine Tersactum, aut ê contra euntibus iter praebetur, numerantur quinque. *Prima* in summitate graduum primitus anno videlicet 1531. extracta erat in honorem S. Nicolai Episcopi â Domino Petro Crussich supra nominato. Cum enim bellicorum negotiorum causa per mare Flanaticum, seu Adriaticum navigare frequenter compelleretur, et ejusdem Sancti intercessione omnibus metuendum evaderet nau-

fragium, eamdem Capellam e quadrato lapide propriis sumptibus fabricatam erexit. Hanc Capellam (penes quam secundum Evangelium Dominica infra Octavam Corporis Christi canitur) ruinae proximam anno Domini 1744. D. Philippus Cherne de Chernelent renovari, ac S. Cruci dedicari curavit.

III. Alteram Capellam descendendo Flumen versus Sanctissimo Nomini beatae Mariae Virginis, et Sancti Caroli dicatam construi fecit Dominus Carolus Wasserman Tergestinus tunc Supremus quaestor Caesareus Flumine Sancti Viti, Praesidii Segniensis, et adjacentium maritimarum confinium annona Praefectus, cum Joanna Schaurera conjuge sua anno Domini 1628. uti denotat in cornu sinistro sequens *in tabula lapidea incisa inscriptio*:

Ad Domus Nazarenae B. V. M. Angelico Ministerio
hic olim positae, Sancti quoque Caroli tutelarisi
honorem

Carolus Wassermann Tergestinus S. C. Ma^{tis} Supre-
mus Quaestor Flumine Sancti Viti, et Praesidii Segnae,
horumque Maritimarum Confinium annona Praefectus
Joanna etiam Schaurera ejus lectiss^{ima}

Conjux

Hanc aediculam suae in Divam Virginem pietatis
Monumentum fieri fecit Anno Domini 1628.

IV. Tertiam Capellam erexit Nicolaus III. de Frangepanibus Vegliae, Segniae, Modrussiaeque Comes mox post discessum Almae Domus Tersacto Recinetum: ne autem ulla temporis edacitate prodigiosi Almae Domus ad oras Tersactenses Adventus, et discessus memoria deleretur, à diametro hujus Capellae in pervetusto lapide, idem pientissimus Mariophilus, et Dominus *in italico idiomate* *jussit incidi his verbis*:

*Venne la Casa della beata Vergine da Nazareth
à Tersatto l'anno 1291. alli 10. di Maggio,
e si parti alli 10. di Dicembre 1294.*

V. Quartam Capellam in honorem Beatae Virginis Annuntiatae posuit pietas, et munificentia Domini Gabrielis Francisci ab Aichelburg, qui et scalas, ut suprà innui, fieri curaverat, Commendantis Briniensis, et Thaumaturgae Virginis Tersactensis devotissimi Clientis. Supra cujus crates sequens *chronographica* legitur *inscriptio*:

LiberaLitate, Vti eXCeLsa pIetate FranCIscI GabrI-
eLI ab AICheLbVrg haeC CapeLLa fVnDIItVs ereCta,
pICta, atqVe eXornata fVIt.

VI. Quinta, seu ultima tandem Capella in pede Montis Christo, et dolorosae Matri ejus sacra piorum Eleemosynis operam navante P. Eustachio Rusconi tunc hujus Conventûs incola erecta fuit anno 1745. quam demum anno 1762. suis sumptibus restauravit, et exornavit D. Andreas Kollenz Architectus. In frontispicio hujus Capellae Flumen versus **sub marmorea statua Matris Gratiarum in lapidea tabula** sequens legitur **Chronographicum**:

FVLget In hoC SaCro VIrgo TERSaCtICa CoLLe
ProtegIt aVXILIIs VIrgo MaRIa sVIs

Caput VIII.

De privilegiis, et gratiis, ac Indulgentiis â Romanis Pontificibus Ecclesiae Ter- sactensi concessis.

I. Quoniam benignissimus Dominus Deus noster Sanctissimae suae Genitricis intuitu tot sacramentis, rarissimisque prodigiis (de quibus sermo suo loco institueretur) Collem Tersactanum providentia quadam singulari clarificare voluit, et magnificare: hinc etiam Summi Pontifices, ut Supremi Numinis, ejusque Sanctissimae Matris gratiam sibi conciliarent, Tersactanae Virginis aedem redderent celebriorem, ac Deiparae cultum magis promoverent, plurima è thesauris suis elargiti sunt, munera, gratias, privilegia, et Indulgentias. Non referam hic ea, quae Religionibus Mendicantium sunt communia, nec quae universo Ordini Seraphico sunt propria: sed quae singillatim, ac individualiter Ecclesiae, et Conventui Tersactano per Summorum Pontificum munificentiam concessa sunt, et impertita omissis iis, quae suprâ c. 5. et alibi jam attuli.

II. Imprimis **Calixtus III.** mox ab initio nostrae ad hunc locum introductionis Tersactanae Virginis aedem, ut fideles ad venerandam majori cordis affectu hanc miraculosam imaginem magis alliceret, et excitaret, Spiritualibus gratiis locupletare voluit, dum omnibus Christi fidelibus confessis, Sacra communione reffectis, et praedictam Ecclesiam in festivitatibus Nativitatis, Resurrectionis, et Pentecostes Domini, in festis B. V. Mariae, omnium Apostolorum, ac in dedicatione Ecclesiae, nec non singulis Dominicis per annum visitantibus 7. annorum totidemque quadragenarum Indulgentias concessit in perpetuum, prout **ex ejusdem litteris patet**, quae hujus sunt tenoris:

Calistus Episcopus
Servus Servorum Dei

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem, et Apostolicam Benedictionem. Dum praecelsa meritorum insignia, quibus Regina Coelorum, Virgo Dei Genitrix gloriosa Sedibus praelata sidereis, quasi stella matutina praeutilans devotae considerationis indagine perscrutamur, dumque infra pectoris arcana

revolvimus, quod ipsa utpote Mater misericordiae, gratiae, et pietatis amica, ac humani generis consolatrix pro salute fidelium, qui delictorum onere praegravantur, sedula exoratrix, et pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit, dignum quin potius debitum arbitramur, ut Ecclesias in honorem sui Nominis dedicatas gratis remissionum prosequamur impendiis, et Indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur, ut Ecclesia B^{mae} Mariae apud Flumen Tarsii, et prope Tersadis oppidum Corbavien. Dioecesis sita congruis honoribus frequentetur, ac in suis structuris, ornamentis, et Caerimoniis augeatur, ac conservetur, et ut Christifideles eò libentius devotionis causa confluant ad eamdem, ac ad augmentum, et conservationem hujusmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono Coelestis gratiae uberius conspexerint se esse refectos: Dei Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus verè paenitentibus, et confessis in etc. Domini Nostri Jesu Christi Nativitatis, Resurrectionis, et Pentecosten, ac ipsius gloriosae Mariae Virginis, nec non omnium Apostolorum, et Dedicatione Ecclesiae memoratae festivitatum, singularumque Dominicarum diebus à primis Vesperis usque ad secundas Vesperas Ecclesiam praefatam devotè visitaverint annuatim, ac ad augmentum, et conservationem praedictam manus adjutrices porrexerint, ut praefertur, septem annos, et totidem quadragenas in singulis festivitibus, et Dominicis praedictis de injunctis eis paenitentibus misericorditer relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo octavo, tertio Nonas Junii, Pontificatùs nostri anno quarto.

N. Ferrari

C. de Luca

III. Gregorius XIII. anno 1578. Arae Divi Petri Apostolorum Principis sitae in Ecclesia Tersactana concessit privilegium perpetuum, ac quotidianum, ut quotiescumque aliquis Sacerdos sive Regularis, sive Saecularis ibidem immaculatam Hostiam Deo litaret, toties animam à piacularibus flammis liberare, ac ad caelestem patriam evehere possit, ac valeat, ut ejusdem litterae desuper emanatae **ex ipso Originali** transumptae indicant, quae ita sonant.

Gregorius

Episcopus Servus Servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Omnium saluti paterna charitate intenti inter tam multa pietatis officia, quae nos pro munere nostro convenit exercere, Sacra interdum loca speciali privilegio insignimus, ut inde fidelium defunctorum saluti amplius consulatur. Quocirca, ut Ecclesia Domus B^{mae} Mariae Gratiarum Oppidi Tersati Ord^{is} Fratrum Minorum de Observantia Modrussiensis Dioecesis

simili usque adhuc privilegio minimè decorata, ac in ea Altare situm in Capella Sancti Petri Apostoli hoc speciali dono illustretur, auctoritate nobis â Domino tradita concedimus, ut quoties Missa ad praedictum Altare celebrabitur pro anima cuiuscumque fidelis, quae Deo in Charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro Ecclesiae Indulgentiam consequatur, quatenus Domini Nostri Jesu Christi, et beatissimae Virginis Mariae, beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, aliorumque Sanctorum omnium meritis suffragantibus â Purgatorii poenis liberetur. Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1578. quarto Nonas Julii, Pontificatûs Nostri anno septimo.

Cca' Glorierius.

IV. Innocentius XII. cuilibet Christifideli [Confraternitati adscripto B. V. M.]⁴⁰⁵ Ecclesiam Tersactanam semel in anno visitanti verè paenitenti, confesso, ac Sacra Communione refecto, plenariam indulgentiam, ac peccatorum veniam indulsit. Idem Pontifex etiam Confraternitatem B. V. Mariae confirmavit, ac variis Indulgentiis decoravit, ut ex ejusdem litteris datis Romae die 24. Januarii 1692. patet, quae hujus sunt tenoris:

INNOCENTIUS Papa XII.

Ad perpetuam rei memoriam

Cum, sicut accepimus, in Ecclesia Conventus Tersactensis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum nuncupatorum Modrussien. Dioecesis una pia, et devota utriusque sexûs Christifidelium Confraternitas sub invocatione B. M. V. Gratiarum nuncupatae (non tamen pro hominibus unius specialis artis) canonicè erecta, sive erigenda existat, cujus Confratres, et Consorores quamplurima pietatis, et Charitatis opera exercere consueverunt. Nos ut Confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressûs, si verè paenitentes, et confessi Ss^{imum} Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam: Ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus, et Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè quoque paenitentes, et confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devotè invocaverint, etiam plenariam: Nec non eisdem nunc, et pro tempore existentibus dictae Confraternitatis Confratribus, et Consororibus verè etiam paenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui praedictae Confraternitatis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium die festo principali dictae Confraternitatis per eosdem Confratres semel tantùm eligendo, et ab Ordinario approbando â primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces fuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum

Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis Confratribus et Consororibus verè pariter paenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium hujusmodi in quatuor aliis anni festis, vel non festis diebus per memoratos Fratres, semel tantum etiam eligendis, et ab eodem Ordinario approbandis, ut praefertur, visitantibus, et orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas, quoties verò Missis, et aliis Divinis Officiis in dicta Ecclesia, seu Capella, vel Oratorio pro tempore celebrandis, et recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam, qui corpora defunctorum, tam Confratrum, et Consororum, ut praefertur, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascunque Processiones de licentia Ordinarii faciendas, Ss'mumque Eucharistiae Sacramentum tam in Processionibus, quam ad infirmos, aut alias ubicumque, et quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut si impediti Campanae ad id signo dato semel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, et Salutationem easdem pro animabus Confratrum, et Consororum, ut praefertur, recitaverint, aut devium aliquem ad viam Salutis reducerint, et ignorantes praecepta Dei, et ea, quae ad Salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet piorum operum exercitia sexaginta dies de injunctis, seu aliàs quomodolibet debitis paenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis Confratribus, et Consororibus praemissa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes nullae sint, utque si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel imposterum aggregetur, seu quavis alia ratione uniatur, aut etiam quomodolibet instituatur, priores, et quaevis aliae litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Januarii MDCLXXXII. Pontificatus nostri anno primo.

II. Card^{lis} Albanus.

V. Clemens XI. pro die decima Maji, qua contigit translatio Almae Domus Nazarenae ad Collem Tersactanum **anno 1709. die 23. Septembris benignè concessit**, ut à Clero tam Saeculari, quam Regulari Dioecesis Segniensis, nec non ab omnibus Religiosis Strictioris Observantiae Sancti Francisci Conventus Tersactensis, ac totius Provinciae Croatiae Carnioliae, recitari possit Officium unà cum Missa Almae domus, prout in

Provincia Marchiae **ex concessione Innocentii XII. die 16. Sept. 1699.** recitatur, et celebratur, prout **ex Originali S. R. C.⁴⁰⁶ Decreto** colligitur, quod ita sonat:

Segniens.

Ad humillimas, supplicesque preces Cleri Saecularis, et Regularis Civitatis Segnien. et P. P. Strict. Observantiae Sancti Francisci Provinciae Carniolae ab Eminentissimo, et R^{mo} Domino Casdina le Berberino relatas, Sac. Rit. Cong^o gratiam extendendo posse concedi censuit, ut â Clero Saeculari, et Regulari, et totius Dioecesis Civitatis Segnien. nec non ab omnibus Religiosis Strictioris Observantiae S. Francisci Conventus Tersactensis, ac totius Provinciae Carniolae recitari possit singulis annis Officium Almae Domus Lauretanae aliàs â Sac. Rit. Congreg. ad relationes E^{mi}, et R^{mi} Domini Card^{is} Colloredi, die 16. Septembris 1699. pro Provincia Marchiae approbatum, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit die 7. Septembris 1709.

Et facta per me Secretarium de praedictis Sanct^{mo} Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit die 23. Septembris ejusdem anni 1709.

(L. S.)

GCard. Carpineus

B. Imghirami Sac. Rit. Cong. Secret.

VI. Idem Clemens XI. benignè indulsit Indulgentias septem Altarium Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ita videlicet, ut quilibet Christi fidelis, qui septem Altaria infra numeranda sita in Ecclesia Tersactensi, ab Ordinario loci designanda duodecim vicibus pro quolibet anno per eundem Ordinarium specificandis devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces fuderit: qua vice id fecerit, eas omnes, et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, et paenitentiarum relaxationes consequatur, sicut si septem Altaria in Basilica Principis Apostolorum de Urba sita, ad id designata specialiter, et personaliter visiteret. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Julii anno 1710. Pontificatus sui anno decimo. Altaria ab Ordinario loci ad hunc effectum designata sequentia numerantur 1^{um} S. Catharinae Virginis, et Martyris. 2^{um} Sancti Michaelis Archangeli. 3^{um} Sancti Antonii de Padua. 4^{um} Sancti Petri Apostolorum Principis. 5^{um} Sanctae Annae Matris Sanctissimae Dei Genitricis. 6^{um} Sancti Patris Nostri Francisci. 7^{um} Sancti Nicolai Episcopi. Dominica demum tertia cujuslibet mensis totius anni deputata est ab eodem Ordinario pro lucrandis hujusmodi Indulgentiis.

VII. Singulare fuit Clementis XI. Pontificis Maximi promovendi erga Thaumaturgam Tersactensem Virginem cultum, et devotionem studium, qui praeter supra specificatas gratias huic Tersactensi Ecclesiae concessas, etiam pro die 10. Maji, in quam incidit miraculosa translatio Almae Domus Nazarenae ê Nazaretho Palaestinae ad Collem Tersactensem, omnibus Christifidelibus confessis, ac Sacra Communione refectis, Ecclesiamque Tersactanam devotè visitantibus, ibique pro exaltatione Sanctae Matris Ecclesiae, haeresum extirpatione, ac concordia Principum Christianorum orantibus anno 1717. die 24. Aprilis, Pontificatus sui anno decimo septimo, plenariam omnium delictorum veniam clementer indulsit.

Caput IX.

De Gratiis, et Miraculis intercessione B. V. Mariae obtentis, de Populi concursu, ac Reliquiis in hac Tersactensi Ecclesia asservatis.

§. I.

De Gratiis, et Miraculis per intercessionem B. V. Mariae Tersactensis â diversis Marianis Clientibus obtentis.

I. Non est meae mentis omnia prodigia, et miracula, ac gratias per intercessionem B. V. Mariae Tersactensis obtentas hic referre; si enim omnia adducere vellem, integrum replerem volumen, aliqua igitur tantùm delibabo, ut cunctis pateat, quam misericors, quam pia, quam benigna, quam prona sit Ss^{ma} Mater Dei ad succurendum suis Clientibus, qui sincero cordis affectu eam invocant. Anno 1599. in Civitate Fluminensi tanta grassabatur pestis, totque incolas enecabat, ut Civitas vacua remansisse videretur. Audiamus de hac lue **P. Franciscum Glavinich in legenda Sanctorum Slavo idiomate Venetiis anno 1628. impressa** sic disserentem: *Aes campanum non pulsabatur, et fores templorum claudebantur, quia nemo erat, qui veniret ad Solemnitatem. Viae Civitatis lugebant, et in plateis ejus gramen crescebat, quoniam nullus aderat, qui tereret eas. Parvuli petebant panem, et non erat, qui frangeret eis. Maritus vitabat uxorem, filius Patrem, frater sororem declinabat, Sacerdotes ejus gementes, Virgines ejus squalidae, et ipsa Civitas oppressa amaritudine.* Ad placandum proinde Supremi Numinis iram, communi consensu, opem Tersactanae Matris invocarunt, ut flagella Divinae iracundiae, quae pro peccatis infligebantur, averteret. Et ecce! mox exauditae sunt eorum preces; etenim horâ diei sexta, in aere supra Ecclesiam Tersactanam apparuit Crux valde lucida albi coloris; quae

suavissimo quodam motu, versus Civitatem Fluminensem descendens, ibidem media circiter hora mansit immobilis, cunctis eam probe intuentibus, ac simul ad tam **attonitum** [insolitum]⁴⁰⁷ signum attonitis, Dei, et Sanctissimae ejus Genitricis clementiam implorabant. Disparens itaque visio, confestim cessavit contagiosa lues, residuique superstitibus viribus reassumptis, indicta Processione solemnibus debitas Deiparae grates lachrymabundi persolverunt. Quod etiamnum 5. Augusti in festo Beatae Mariae ad Nives, gratissima Civitas quotannis fidelissimè praestat, nam congregatis Clero Saeculari, et Regulari Judicibus, ac Nobilibus, Civibus, ac plebeis, montem devotissimè ascendentes Sacrum solemne decantant, ac Aram gratiosissimae liberatricis accedentes eidem sex Cereos, ac duas faces offerendo, in haec verba prorumpere consueverunt: *Votum fecimus, gratiam acepimus*.

II. Anno 1710. Agnes Stembergarin Parochiae Ternoviensis molendinum accedens, subito casu corruit infra ejusdem rotas, certae mortis victima ab omnibus judicata. Superno illustrati lumine circumstantes, ocyus nostrae gratiarum Matri devoto mentis affectu commendarunt infelicem. Res sane stupenda, Mulier ab aquis defensa, et à rotarum currentium laesione praeservata, nullo insuper madefactionis signo in vestibus apparente, ad ripam torrentis fuit delata, quae postea Tersactum veniens meritos persolvit honores, ac argenteo voto delato Matrem Domini adoravit.

III. Eodem anno simili infortunio, non absimilem gratiam intercessione B. V. Mariae Tersactensis consecuta est Maria Starsena; ea enim Molendinum accedens, deambulavit incautè circa extrema Canalis, quo gurgres profundus copioso defluebat influxu: hinc lubricante pede cecidit in profundum, absque dubio aquarum copia naturaliter absorbenda. Cum igitur omnis auxilii humani expers, supina jaceret in undis, Mariam Tersactensem vocavit in auxilium, cujus virtuosam dexteram mox experta, de ventre gurgitis sine ullo nocumento, aut madefactionis indicio, ad terram fuit transportata. Post aliquot dies Tersactum advolavit; relatâque per ordinem miraculi veritate, fidelium corda ad colendam Dominam nostram ferventius inflammavit.

IV. Anno 1711. Georgius Zalnar Moravicensis, Dominica Paschatis adeo coeperat balbutire, ut à domesticis vix perciperetur, feriâ dein tertiâ vocem, viresque totaliter amiserat. Quid consilii? Suadente Parocho loci, à sua consorte, et germano fratre Tersactum ducitur, ut à Sanctissima Matre, prodigiosa omnium miraculorum officina, juvamen reciperet, et loquelam. Vix pedem hujus felicissimi collis attigerat, mutus audita Sacrae Capellae campanula, crebra edidit suspiria, et valvis Ecclesiae appropinquans die 13. Aprilis hora circiter nona matutina intelligibili voce exclamavit: *Jesus, et Maria juvate me, Maria Mater gratiae miserere mei*: perveniensque ad Sacrarium, multo magis clamabat, attonitis omnibus, qui tunc aderant circumstantibus, quibus, cum ante Aram magnae Dominae, mirabile prodigium per Ordinem enarrâset, prae nimia cordis teneritudine in devotissimas lachrymas resoluti, benedixerunt Dominum, et beatissimam Matrem

ejus. Ipse verò Georgius, Sanctissimis Ecclesiae Sacramentis confortatus, ac gratiis pro debito peractis, domum est reversus jucundus, pariter et facundus.

V. Eodem anno Dominus Joannes Josephus Cavalieri Juris utriusque Doctor, incidit quadam die in manus inimicorum, vitae ejus longo jam tempore insidiantium, qui bestiali crudelitate vulnera vulneribus superaddentes, ac saepè saepius gladiis confodientes, per violentas manus violentam mortem ipsi inferre moliebantur. Domum deportatus, totus proprio in sanguine volutabatur, â mortiferis plagis aliud non expectans, quam animam exhalare. Inter lethales hasce angustias Virgini Tersactanae, Divo Antonio de Padua, ac animabus purgantibus sese votivè commendans rogat, ut adversus inimicorum tela, caelestem afferrent opem, et medelam. In ipso articulo, qui brevi extinguendus videbatur, vivus remansit, ac ingentes dein Beatae Mariae referens gratias, votivam tabellam hîc affixit, cum sequenti **inscriptione**: *Ex voto Joannis Josephi Cavalieri Pisinensis J. U. D. qui â gravi mortis periculo, per intercessionem B. V. et S. Antonii, ac animarum Purgatorii liber evasit, et sanitati fuit restitutus. Anno Domini 1711.*

VI. Anno 1721. exundante fluvio Gurk in inferiori Carnioliae in Dominio Strugensi inversa navicula tres personae submersae erant, quae tamen, postquam â quadam pia, et devota persona Coronata Virgo Tersactensis invocata fuisset, omnes tres vivae, et incolumes emergerunt, ut constat **ex Epistola P. Paulini Rutter Vicarii Neostadiensis, et testis ocularis, quam de hoc infelici casu Tersactum scripsit**, estque hujus tenoris: *Notifico, quod die 14. hujus (Decembris 1721) circa nonam matutinam sub dominio Strugensi in exundanti Gurka tres personae naufragium passae sint: nam submersa navicula per semialterum quadrantem potiori ex parte aquis totaliter fuerunt immersae. Quamprimum autem â quadam pia, ac devota persona invocata fuit Coronata gratiarum Mater Tersactensis, illico omnes tres vivae, et incolumes emergerunt, cujus Miraculi ego Paulinus Rutter Vicarius, ac Concionator Ordinis Minorum Reformatorum Provinciae S. Crucis Croatiae Carnioliae ocularis testis sum. Hactenus litterae.*

VII. Supra modum stupendum est, quod contigit anno 1722. mense Julio in pago Chernizze Parochiae Mamuranensis Dioecesi Polensi in Istria subjecto. Ibidem namque Georgius Skabich incidit in gravem mentis amentiam: proinde quadam die furtive se domo subducens profugus per loca silvestria vagabatur, tandem elapsis undecim diebus, eum Pastores in silva, milliari â germanico â⁴⁰⁸ praedicto loco distante nudum inter dumeta invenerunt, inventum domum reduxerunt. Loci Capellanus nomine Philippus devotis Ecclesiae precibus miserum benedixit, ac benedicendo Tersactanae Matri prodigiis clarissimae cum universo populo devovit, nil haesitans, quod ipsa intercedente sanitati sit restituendus. Conductis ergo sex

fortibus ruricolis, qui Georgium probè custodirent, à Fratре germano, et cognata Tersactum adducitur. Vix templi Mariani fores attigerant, en subito infelix exclamat: *Ô Maria gratiarum Mater, adjuva me*, inde ad Aram Virgineam pervenientes, extemplò Georgius à mentis delirio liberatus, sanus, et incolumis in haec verba prorupit: *Gratias tibi ago Virgo Sanctissima, quoniam à tenebrarum principe in Angelum lucis se transfigurante liberâsti me. Seductor ille ad silvam me conduxit male suadens, ut ad instar Divi Joannis Baptistae viverem in eremo, ibi amaris herbarum radicibus alebam miseram vitam meam, decepit me foetidissimus tenebrio, vafre, promittens beatitudinem aeternam, si per trimestre desertum inhabitavero. Tandem Georgius à malo genio liberatus, unà cum asseclis Sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis munitus, laetus ad propria regreditur. Et ubicunque Fratres Minores habuit sibi obvios, ad hospitium nedum invitavit, sed et amanter adstrinxit, narrans jugiter mirabilia, quae fecerat Dominus Matre sua semper benedicta patrocicante.*

VIII. Anno 1723. 15. Augusti. Inter insignia Virginis miracula numeratur et illud, quod in Urbe Albonensi in Istria patrare voluit Dominus ejusdem interven-
tu: siquidem Dominica Renvich à Medicis incurabilis declarata apud dulcissimam Matrem Tersactensem gratiam inire studuit, bonae spei plena, quod quidquid molimine casso petivit à Medicis, acciperet à Maria. Quid igitur fecit mulier devota? votive se Tersactum ire dixit, et intrepida confidentia, Virgini curationis onus imposuit. Prudenter sane, et felici eventu! in momento, in ictu oculi pluribus praesentibus sana e lecto surrexit, perfectam corporis sospitatem recuperavit, et magno devotionis affectu Tersactum venit, votum peregrinationis solutura. Haec res, Marianum cultum erga beatissimam Virginem Tersactensem illis in partibus valde promovit, et fiduciam omnium ad ejus implorandum auxilium mirificè excitavit.

IX. Anno 1726. Non minus stuporis, et admirationis habet, quod sequitur miraculum Siquidem Andreas Oreshitsch ex Carniolia integro quinquennio caecus sedebat in tenebris, et lumen Caeli non videbat toto videndi usu destitutus. Divino Spiritu *instigatus [afflatus]*⁴⁰⁹ fervidè admodum beatae Virgini Tersactanae se totum concredidit, votive promittens in proximo, Sacram ejus Aediculam visitare. Virgo nostra dulcissima, cujus natura est miseris succurrere, votum benignè suscepit, discussisque tenebris Clienti suo devotissimo lumen oculorum restituit, ac ipse 9. Maji Tersactum venit tanto pro munere gratias acturus.

X. Eodem anno 1726. accidit prodigium nulla unquam oblivione delendum. Mulier siquidem Vipacensis Dioecesis Aquilejensis nomine Helena Mohortschitschin ex utero Matris suae clauda, triginta quinque annorum spatio bajulabatur, nec unquam gressum figere poterat. Magno propterea maerore, et angustia afflicta, ad Virginem Tersactanam omnium miserorum advocatam misera, plena fiducia recurrit. Die igitur 17. Maji à domesticis Tersactum deportatur, ut à Maria integram reciperet sanitatem, quam et natura negaverat, et ars nullatenus poterat

reparare. Vix ad radices Sacri Montis pervenerat, ô res perquam stupenda! Mulier paululum sese coepit erigere: Ecclesiam dein subintrans extemplò surrexit incolumis, ac gressu festino ad Aram Virgineam accurens, perfectè sana, Sacratissimae Matri grates egit quamplurimas.

XI. Anno 1727. 24. Maji Lucia Terchovich immedicabilis morbi magnitudine victa brevi de hoc saeculo esse migrandum, indubitanter judicabat. Quare omnibus Ecclesiae Sacramentis communita, ac extremo Vale cunctis domesticis tenerimè dicto, lacrymis, precibusque Tersactanae Matri, morientium exhilaratrici singulari, animam jam è corporis ergastulo egredientem devotissimè commendabat. Advocatur Dei Sacerdos, qui Luciam mortis angustiis pressam consoletur, piisque Ecclesiae orationibus adjuvet, et suffragetur. Adest Sacerdos, salubria suggerit consilia, ut anima illa pretioso Christi sanguine redempta, salutem aeternam consequatur. Sed ecce! memorabile portentum. Dum Curatus tam Sancto occupatur ministerio, moribunda se sola è strato surrexit, et sonora voce exclamans in sequentia verba prorupit: *Ah sit semper laudata, et benedicta Sanctissima Virgo Tersactensis Maria, quae me à morbo lethali sanavit, et ab ipsa morte tam misericorditer liberavit.* Tersactum ergo 1. Junii rectà petiit, egitque Deo, et beatæ Virgini gratias, totiusque rei gestae seriem fideliter exposuit.

XII. Praenobile inter alia miracula est illud, quod per Deiparam Tersactensem in districtu Vipacensi in pago Verhpolle (germ. Oberfeld) dicto fuit patratum. Ibidem namque à 1. Novembris anni 1728. usque ad 21. Julii 1729. Agatha Premerlin lecto affixa lethaliter decumbebat: tamque dira fuit vehementia languoris, ut pedes ejus omni penitus Spiritu Vitali destituti, aridis arborum radicibus simillimi apparerent. Pastor loci de animae salute sollicitus, quoniam de corporali omnes jam desperaverant, Agatham omnibus Ecclesiae Sacramentis, Domino commendabat. Ad sic afflictam quidam vicinus advenit: heus tu! inquit: cur non uteris magno illo remedio, et Divam Virginem Tersactanam non invocas? Scito, me consimili morbo pressum, medicinam praesentem illicò accepissem. Movit faeminam ea vox attentè auscultat, ruminat, ac statim corde, et ore vovet peregrinationem Tersactanam. Edito voto ad domesticos conversa, Tersactum, inquit, pergam ad Virginem exhilaratricem. Tunc Tersactum? replicant illi, ad sepulchrum te brevi deportandam potius judica, ac firmiter tene. Ibo, repetiit Agatha, viam carpam, sana perveniam. Quid plura? Omnibus stupore attonitis, surgit è strato, intra biduum festina Tersactum appulit, ac 23. ejusdem mensis Julii gratiosae gratiarum Matri, gratias egit demissimas.

XIII. Alius devotus Marianus Cliens per intercessionem B. V. Tersactanae jam jam moriturus, è mortis faucibus clementer fuit ereptus, et sanitati restitutus, prout dein ipsemet elegantibus versibus totam rei seriem enarravit, ac ipsam elegiam in laudem Virginis concinnatam in Capella ejusdem Virginis Mariae pro aeviterna memoria appendit. Sic verò sonat

Elegia

Tersacti colles! Summo loca chara Tonanti
 Nazareâ quondam, terra beata domo.
 Parcite tam sero, si vestra ad limina gressu
 accedo, voti conscius ipse mei.
 Non ego Virgineo fueram male gratus amori
 qui mihi coelestem detulit unus opem
 Non alio vitam hanc media de morte reductam
 quam vestro tantum munere sospes ago.
 Agnosco superum donum. Matrisque beatae
 auxiliatricem pronus adoro manum.
 Sic est ô Virgo! lachrimis haec scribere laetus
 gestio, vel potius sanguine firmo meo.
 Aeger eram, sensimque meos invaserat artus
 intima delapsus saevus ad ossa dolor.
 Lapsus ad ossa dolor, quem vel minuisse medentum
 arte omni frustra cura, laborque fuit.
 Jam mihi vis morbi nigram descripserat horam
 objiciens animo fata suprema meo
 Jam gelidus toto prorumpit corpore sudor
 et tristi exangues irrigat imbre genas
 Jam cervix prope fracta labat, jam brachia languent
 nec cruor in venis est, nec in osse vigor
 Lingua suâ sine voce silet, suspiria tantum
 et rari gemitus arida membra movent.
 Ipsi oculi jam luce carent, tenebrisque sepulti
 ingeminant tacitè: terra caduca vale!
 Ipsa anima haec tandem corpus fugitiva relinquens
 nuntiat haud longe mortis abesse diem.
 Hanc ubi non dubius venientem expecto, repente
 nescio, quae in afflicta, vox sonat aure mihi?⁹⁴¹⁰
 Pone, inquit, vir, pone metum, melioraque sume
 pectora, nec mortis tela inimica time.
 Est superis tua chara salus, Matrisque beatae
 auxilio toto corpore sospes eris.
 Inspice Tersacti augustas in vertice Sedes
 inspicere prodigiis, templa stupenda suis
 Hic Coelo devota cohors devota Mariae
 turba Patrum in Christo, quod tibi junxit amor

Illa tui tristem casum miserata jacentis
 te menti impressum nocte, dieque gerit
 Illa tui intuitu supplex caelestibus aris
 adstat: et excelsa â Virgine poscit opem
 Pro te vota facit, pro te suspiria fundit
 pro te sollicitas mittit ad astra preces
 Annuit his precibus Virgo, votisque Clientum
 annuit, et temet vivere posse sinit.
 Vive ergo, aeternique Dei pro munere Matrem
 obsequio studeas promeruisse pio.
 Utque sciant homines, qui in una Virgine possint
 in te oculos, in te lumina fixa ferant.
 Vix finem vox ista dedit, mihi corpore sensim
 languor abit, sensim pristina vita redit.
 Miror, vivaces artus, firmata stupesco
 tam subito casu singula membra mihi.
 Nunc oculos, nunc tango manus, nunc ora resolvo,
 nec facile corpus nosco vel ipse meum.
 Sic primaeva salus, sic munere Matris amatae
 reddita vita mihi est, quâ prope rapta die.
 Quis non ô Virgo? tua nunc benefacta per orbem
 sparget? quis poterit non memor esse tui?
 Ah quoties pia Diva tui reminiscor amoris!
 ah quoties recolo praestita dona mihi!
 Lingua haec prae lachrymis propriam confusa loquelam
 perdit, et in solo muta stupore silet.
 Ast quamvis nec lingua loqui, nec scribere dextra
 sat valeat laudes optima Virgo tuas,
 Te tamen ista colet, te terris illa loquetur
 dum Coelum stellas, dum mare habebit aquas.
 Te posthac cunctis mea mens memorabit in oris
 (usque adeo ô Mater! mentio grata tui est)
 Assidueque tuum meriti non immemor unquam
 nomen in arcano pectore dulce geram.
 Interea haec pia vota, Sacras prostratus ad aras
 appendo pedibus Magna Maria tuis.
 Quod si parva fero, vitam cum sanguine votis
 addo, meque ipsum consecro Virgo tibi.
 Haec vita, hic sanguis, gratique haec vota Clientis
 De mihi collato munere testis erunt.

Ex V.

XIV. Plurima alia adsunt, prodigia interventu gloriosissimae Virginis
 Tersactanae patrata, quae studio, et ex proposito omitto, ne molles hujus histo-
 riae contra intentam, cui studeo, brevitatem, in immensum excrescat. Si quis plura
 Thaumaturgae Virginis Tersactensis omnium gratiarum fontis Ma-

tris, is inspiciat **historiam Tersactanam â P. Claro Pasconi conscriptam**, ibi enim inveniet plurimos, qui naufragium passi sunt, intercessione Virginis Tersactanae ê mediis spumantis maris undis mirabiliter ereptos, claudorum bases solidatas, caecorum oculos apertos, surdis auditum restitutum, aliosque diversorum morborum generibus vexatos, sanitati restitutos. Fons enim *misericae* Mariae, ut cum **Idiota** loquar, *vivus, et indeficiens est, nunquam diminuitur, nunquam siccatur, omnibus potabilem se reddit, nulli clauditur, nec negatur. Haurit ex eo bonus, haurit etiam malus: omnibus prodest, nemini nocet, omnes recreat, omnibus dulcis est, omnes juvat, curat debiles, sanos confortat, miseros laetificat, justos provehit, injustos purificat, aegros sublevat, bellantes tuetur, anxios consolatur, peccatores justificat, peccata prosternit.*

§. II.

De Peregrinis tum voti, tum devotionis causâ ad Divam Tersactensem confluentibus.

I. Deum, qui per infinitam suam immensitatem est ubique praesens, ubivis pariter adorari posse in spiritu, et veritate, ac ab eo beneficia impetrari, nullus est, qui possit inficiari. Attamen in uno loco magis, quam alio beneplacitum est Domino, holocaustis, et sacrificiis â fidelibus honorari, res ex Sacris litteris est explorata. Sic filiis Israel olim praeceperat **Dominus Deut. c. 16.** *Non poteris immolare Phase in qualibet Urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus illic.* Sic de parentibus Samuelis Elcana, et Anna testatur **Scriptura 1. Reg. c. 1.** *Et ascendebat Elcana de civitate sua diebus statutis, ut adoraret, et sacrificaret Domino exercituum in Silo.* Sic **Act. 8.** Eunuchus Candacis Reginae Aethiopiae confecto longo itinere venerat adorare Dominum in Jerusalem. Sic doctor Gentium Divus **Paulus Act. c. 20.** Mileto Jerosolymam festinavit, ut festum Pentecostes ibidem celebraret, Deumque adoraret. Sic parentes pueri Jesu, ut scribit S. **Lucas c. 2.** quotannis Nazaretho ad Templum Jerosolymitanum peregrinabantur, ut devotione peculiari, ac religiosissimo cultu solemnia Paschalia celebrarent. Sic denique ipsamet Incarnata Aeterni Patris Sapientia, ut idem perhibet Evangelista, cum esset annorum duodecim Comite Sanctissima Genitrice, ac fidissimo Nutritio pariter Nazaretho profectus est Jerosolymam ad Patrem adorandum. Si ergo Jesus, Maria, Joseph unum locum alteri pro colendo Deo praetulerunt: quid aliud indigitare voluêre? quam ut suo exemplo nos informarent, aliqua Sacra loca esse â Deo praelecta, ut ea peregrè invisentibus ibidem,

et non alibi velit inexhaustos gratiarum fontes misericorditer mortalibus dispensare.

II. Et sane! Peregrinationes Sacras ad Basilicas, et Aras gloriosissimae Matris, et Virginis Mariae, fore Deo prae aliis gratissimas, et acceptissimas, perspicuè patet, tum ex innumeris miraculosis beneficiis, idcirco liberalissimè collatis: tum exemplo virorum nobilitate, doctrina, ac sanctitate clarissimorum, ex perpetua Ecclesiae consuetudine ab Apostolorum tempore ortum ducente, id devotissime omni saeculo practicantium, ut **testatur Eusebius lib. 6. Hist. c. 9. et 12.** Et ut de aliis taceam Ecclesiis, Aedes Tersactana à sui origine usque in hodiernum diem semper magno populi concursu extitit frequentata; Nullum enim est anni tempus, nullus mensis, imo vix ulla dies abit, quin à pluribus exteris, et domesticis celebretur. Praecipuè vero in certis anni festivitatis, tanta est accurentium populorum frequentia, ut templi moles aliàs ampla, ac coemeterium ei contiguum, nec non claustrum pars inferior excipiendis hominibus vix sufficiat. Accedunt passim omnes tanto pietatis ardore, ut saepissime in hoc Sacro delubro audiantur gemitus, suspiria, ac compunctionis lachrymae. Conspiciuntur frequenter supplices palmae, genua repentia, extensa brachia, contusa pectora, prostrata corpora. Alius beneficia poscit, alius gratias agit, alius misericordiam implorat, alius alios pios amoris, et doloris actus elicit, ad quos eliciendos Divina Mater fortiter movet, et ut foris appareant, suaviter promovet, et impellit.

III. Audiatur, quaeso, qui de populorum concursu ad Thaumaturgam Virginem Tersactanam, Sanctissimo Domino Clementi XI. Pontifici Maximo testificatus fuerit Ill^{mus}, et R^{mus} D. D. **Adamus Benedictus è Comitibus de Rattkay, perpetuus de Nagy, et Kiss Tabor** Episcopus Segniensis, et Modrussiensis, Sac. Caes^{ae} Regiae, et Catholicae Majestatis Consiliarius. Postquam enim enarrasset, Domum Nazarenam ex Palaestina ad Montem Tersactanum fuisse translatam, sequentia subjungit: *Ego infrascriptus religiosissimè testor, quod ad praefatam Ecclesiam (nempe Tersactanam) non solum ex adjacentibus Territoriis Civitatis Fluminensis, Castuae, Vinodol, Buccari, Dragae, Grobnitii, Costrenae quotidie, specialiter autem diebus festis copiosissimus populus confluat: verum etiam ex remotioribus Provinciis, ut ex Croatia, Bosnia, Carniolia, Dalmatia, Istria, Styria, Comitatu Goritiensi quamplurimi Peregrini etiam processionaliter, praesertim in majoribus anni solemnitatibus, praefatam prodigiosam imaginem veneraturi concurrunt, adeo, quod infra anni spatium circiter centum millia animarum in dicta Ecclesia confiteantur, et communicentur ... In quorum fidem me propria manu subscripsi, et praesentes solito Episcopali sigillo munivi. Datum Buccari die 12. Maji Anno Christi 1715.*

(L. S.)

Comes Adamus Rattkay
Episcopus Segniensis

IV. Plures numerantur Parochiae, quae partim ex antiqua consuetudine, partim ex voto hanc Thaumaturgam Virginem processionaliter visitare solent. Sic Civitas *Fluminensis* processionaliter cum Clero Saeculari, et Regulari singulis annis bina vice salutatur Virginem Tersactanam videlicet feriâ 6^{ta} in Parasceve, et 5. Augusti in festo B. V. ad Nives. Bina quoque vice Civitas, et Capitulum *Castuanaense* instituit ad gratiarum Matrem Tersactensem in anno Processionem videlicet feria 6^{ta} in Parasceve, et die 15. Junii in festo Sanctorum Viti et Modesti. Feriâ secunda Paschatis quolibet anno advenit Processio ex Parochia *Veprinensi*. In festis Pentecostalibus plures advenire solent Parochiae, et quidem ex Istria quatuor videlicet *Bollugnensis*, *Praspergensis*, *Urainensis*, et *Lupoglavensis*, item *Lauranensis*, ac ex Carniolia *Slavinensis*. Capitulum quoque *Grobnicense* binas ad hunc prodigiosum locum instituit quotannis Processiones, unam feria secunda Pentecostes, et alteram die 5. Augusti. In Vigilia Sanctissimae Trinitatis venit processionaliter populus Parochiae *Ureunensis* in Carniolia. Pariter ex Carniolia adveniunt, sed quolibet secundo anno Parochiae *Bresovicensis*, et ex *Cruschiza*. Die 2. Augusti in festo Portiunculae adveniunt processionaliter omnes Parochiae sitae in territorio *Vinodolensi*. Die 16. Augusti in festo S. Rochi quolibet anno advenit votiva propter depulsam interventu gloriosissimae Virginis pestem Processio *Buccarensis*. Die 8. Septembris tres ex Carniolia advenire consueverunt processionaliter Parochiae scilicet *Ternoviensis*, *Jelshanensis*, et *Coshanensis*, sed ultima nonnisi quolibet biennio. Quolibet itidem triennio advenit in festo Sanctissimi Nominis Mariae cum processione Parochia *Laassensis* in Carniolia. Tandem Scholares Fluminensis Gymnasii mense Novembri cujuslibet anni, ordinatè procedunt ad Matrem Divinae Sapientiae eam suppliciter deprecantes, ut litterarum studia feliciter possint inchoare, progredi, ac terminare. Anno Scholastico terminato, rursus consimili modo Tersactum properant, gratias agentes Virgini, quod ea intercedente litterariis laboribus ter faustè supremam manum imposuerint.

V. Advertendum venit, quod post Caesaream prohibitionem, fiant peregrinationes processionaliter ad loca dissita ad impedienda mala, quae à scelestissimis hominibus etiam in locis Deo Sacratissimis postposito omni timore Dei perpetrari solent, illae omnes processiones emaneant, quae uno die venire, et redire nequeunt non sine magno Ecclesiae, et Conventus detrimento. Eapropter etiam concursus hominum ad hunc Sacratissimum locum valde diminutus est, et quidem adeo, ut, ubi olim ad centena millia hominum, ut ex suprâ allata attestazione III^{mi}, et R^{mi} Domini Ordinarii patet Sacra Synaxi quolibet anno refecta fuerint, hodie vix quarta pars in hoc Sacratissimo loco respectivè ad numerum praedictum Sacra communione reficiatur, prout me pro-

pria experientia docet; etenim dum anno 1763, hic loci Sacristae munere perfunctus essem, fideliter per integrum annum numeravi particulas consecrandas, et reperi, fuisse particulas consecratas, et populo devoto ad Sacram Communionem accedenti distributas, numero 27391. Ecce! quanta differentia? Populus multiplicatur, devotio minuitur, non quod abbreviata esset manus Domini, aut Sanctissima Virgo Tersactensis, munificentissima gratiarum elargitrix esse desiêrit, sed quia multorum refriguit charitas, ac sincera, et vera in Divos devotio.

§. III.

De Sacris Reliquiis in hac Ecclesia asservatis, et anathematibus voti causa oblati.

I. Inter Sacras Reliquias in hac Ecclesia asservatas principem obtinet locum argenteum quadripalmare circularis longitudinis, et latitudinis Reliquiarium, continens in se triginta sex Sanctorum Reliquias, Cyrillico caractere conscriptas, quod anno 1570. Barbara Desputovizza Rassiae Princeps de sua, suorumque corporis et animae Salute sollicita ex voto amabilissimae Matri, ac Reginae nostrae dicavit, ac in Ara Majori pro augenda fidelium devotione curavit collocari **addita sequenti subscriptione:** *Voluntate Patris, juvamine Filii, directione Spiritus Sancti Domina Barbara Desputovizza hoc Reliquiarium, sive Tonagia ad Dei gloriam fecit: quod sit in gloriam purissimae Virginis, et omnium harum S. S. Reliquiarum, ut quatenus misereatur illi, et defendat illam ab omni malo in Saecula Saeculorum in hoc, et in futuro vitam impetrent. Amen.*

Catalogus autem Reliquiarum est sequens:

- | | |
|-------------------------------------|-----------------------------------|
| 1. Andreae Apostoli | 18. Incerti |
| 2. Mariae Magdalenae | 19. Theodori Tyronis |
| 3. Georgii Martyris | 20. Stephani Protomartyris |
| 4. Apolloniae Martyris | 21. Incerti |
| 5. Tyrsi | 22. Theodori Tyronis |
| 6. Clarae Virginis | 23. Athanasii Episcopi |
| 7. Theodosii Martyris | 24. Philippi Martyris |
| 8. Demetrii Martyris | 25. Cosmae, et Damiani |
| 9. Andreae Apostoli | 26. Jacobi Apostoli |
| 10. Michaelis Martyris | 27. Pelagii Martyris |
| 11. De Rubo Moysis | 28. Ursulae Virginis, et Martyris |
| 12. Stephani Martyris | 29. Areti Martyris |
| 13. Ignatii, qui Christum portavit. | 30. Bartholomaei Apostoli |
| 14. Theodori Stratilae | 31. Matthaei Apostoli |
| 15. Jacobi Martyris | 32. Stephani Protomartyris |
| 16. Procopii Martyris | 33. Incerti |

17. Damiani Martyris

34. Joannis Chrysostomi

35. Petri Apostoli

36. Diversae incertae Reliquiae

II. Anno 1636. die 2. Augusti D. Ferdinandus Comes â Porcia, ejusque Illustrissima Conjux Anna Elisabetha ab Auersperg, omnem felicitatem suam patrocínio Virginis Matris attribuentes, ut eam etiam in futurum sibi redderent propitiam, et amicam, visitato Sanctuario Tersactano, pedem unius ex Sanctis Innocentibus Martyribus argentea inclusum capsula religiosissimè obtulerunt **cum hac inscriptione:** *Deiparae Virgini in Tersacto, Joannes Ferdinandus Comes Purciliarum, et Anna Elisabeth Comitissa ab Aversperg conjuges 2. Augusti 1636.* Cruci, seu paci, qua utimur in majoribus anni festivitibus in Sacris cantatis, auro intexta est particula ferri ex clavo Domini Nostri Jesu Christi cruci affixi. Anno 1779. sequentes tres Reliquiae cum suis authenticis dono datae sunt 1. de velo B. V. Mariae. 2. ex ossibus S. Petri Apostoli. 3. ex ossibus S. Laurentii Mart.

III. Magnus ille totius Orbis, ac suimet gloriosus domitor Carolus V. Romanorum Imperator, et Hispaniarum Rex, ut tamquam Aquila magnarum alarum, provocaret Austriacos Successores ad colendam Thaumaturgam Tersactanam Matrem, huic circa annum 1536. dono obtulit, Aquilam ex purissimo auro fusam, ac pretiosis adamantibus miro ordine hinc inde dispersis ornatam, quae etiamnum intuentibus patet, dum velatae Virginis effigies amovetur.

IV. Anno 1597. Illustrissimus Dominus Comes Thomas Erdeody Dalmatiae, Croatiae, ac Slavoniae Banus ob restitutam per intercessionem Virginis Tersactanae Filio Sigismundo sanitatem, tripalmarem, ac trium unciarum ex purissimo argento, statuam B'mam Virginem sine labe conceptam repraesentantem, quae infra Octavam Immaculae Conceptionis Virginis Deiparae publicè in Ara majori exponi solet, votiva gratitudine consecravit sequentibus verbis: *Thomas Erdeodi Comes Monti Claudii, et ejus uxor Anna Maria Wgnud (seu Ungnud) Comitissa, Deo, et Beatissimae Virgini Mariae pro filio Sigismundo gravissimè aegrotante supplices humiliter voverunt. Anno 1597.* Ejusdem Comititis Thomae Erdeodi alter filius Stephanus tristem agebat sine lumine vitam. Ut igitur visum ademptum recuperaret, pii parentis exemplo, ad Matrem Tersactanam pro remedio recurrit. Protinus vidit, stupentibus, qui aderant, praeibat exultans, viam carpens, et viae ducem ulterius non requirens. Pro optatâ gratiâ impetrata, aureum Coelesti Auxiliatrici Calicem consecravit anno 1615.

V. Anno 1693. die 27. Januarii Reverendissimus Dominus Nicolaus Salon titularis Episcopus Macariensis, Abbas infulatus, ac Parochus Ternoviensis, cujus memoria in benedictione sit, tenerrimus Pater pauperum universalis peregrinorum susceptor, Religiosorum omnium sincerus amator, verbo: Vir secundum cor Dei pluribus Charismatibus â Tersactana Virgine locupletatus, au-

reum annulum, argenteam pectoralem Crucem, Pedum cum infula, Immaculatae Virgini Mariae ex voto libavit.

VI. Eodem anno 1693. die 29. Augusti Leopoldus I. invictissimus Romanorum Imperator, palmis, et trophaeis gloriosissimus in contestationem suae erga Deiparam Tersactanam devotionis per Reverendissimum Dominum Stephanum Ladinich Fluminensem Vienna submissa bina argentea candelabra, marmoreis columnis Arae majoris appensa, quorum unum suimet, alterum Josephi felicissimae memoriae personas repraesentat. Item terna Turcis vexilla, ac versicoloris equi caudam, Othomannis erepta in expugnatione Budae in Hungaria, fortunatissimè à Leopoldino exercitu, sub potentissimo Mariae praesidio triumphatae. Quae omnia processionaliter, praesente Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Sebastiano Glavinich Segniensi Episcopo Tersactum allata sunt, ac beatissimae Virgini gratiarum, nomine piissimi Imperatoris ex voto praesentata. Hujus ter Sancta vestigia imitari volens Augustissima Imperatrix Elisabetha Christina per Reverendum patrem Stephanum Dinarich suum Confessarium, ac Provinciae Austriae S. J. bis Praepositum Provinciale obtulit Beatae Virgini Tersactanae magnum aureum numisma, etiamnum inter caetera Cimelia videndum, ad impetrandam diu suspiratam prolem masculam.

VII. Anno 1734. Domina Theresia Constantia Baronessa à Vinicin adeo in suo Castello Stubicensi in Regno Croatiae luctuosa infirmitate oppressa erat, ut ultimos vitae periodos etiam physicorum judicio attigisse crederetur. Aderat quidam virtute clarus, qui coram devotissimae Virginis Icone in genua provolutus votivum donum Tersactensi Advocatae, si aegrotà à praesentis mortis periculo liberaretur, obtulit. Constantia sanitati restituta, immemor, quod displiceat Deo, infidelis, et stulta promissio juxta monitum **Sapientis Ecclesiast. c. 5. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere**, votum à suo amico factum persolvere distulit. Eapropter in pristinam lethalem infirmitatem divina dispositione, ut clariora fierent prodigia Virginis Tersactanae, incidit, quae, licet suae culpabilis procrastinationis conscia, reassumpto tamen fiduciali animo iterato pulsat ad Januas misericordiae ejusdem Matris Clementissimae pro impetranda firma valetudine. Cum verò Sanctissima Virgo nullum ad se confugientem despiciat, Constantiae preces etiam secundò exaudivit eamque integrae sanitati restituit. Quae proinde in Duplicis beneficii contestationem die 26. Sept. anni 1734. Tersactum migravit, et affectuosissimis liberatrici suae repositis gratiis argenteam trecentorum ferè florenorum lampadem obtulit **Coronatae Matri pii illius, qui voverat nomine cum sequenti inciso Epiphonemate:**

*Reginae Coeli sine naevo Tersactensi, hac phiala lucis
gerula sua suspiria effectuat, Veteranus insinuat Vasallus
prostratus, ut lux perpetua luceat ei, aggregeturque
perenni fati lege suis Clientibus.*

VIII. Adest itidem plurima pene inter gemmea, et aurea monilium dona munus pretiosum in Rosarii forma ex Capillis constructum: et undequaque pretiosissimis unionibus obvolutum, quo personaliter praesens Excellentissima Domina Maria Magdalena Comitissa Draskovich, ut sese â voto facto explicaret, imaginem hanc miraculosam ornavit mediante R^{mo} Patre Emerico Esterhasi suo Nepote pro tunc actuali Generali Ordinis Sancti Pauli primi Eremitae, et postea Episcopo Zagradiensi. His, et innumerabilibus sane votorum anathematibus tam Sanctuarii, quam totius fermè Templi amiciuntur parietes: ita ut vel ad ingressum Sacri laris tantis quivis excitatus miraculorum testimoniis ad quamcunque impetrandam â Virgine Matre gratiam nemo sit, qui non confidat. Videt hic aegros valetudine, caecos luce, claudos gressu, surdos auditu, dementes consilio, steriles foecunditate, errantes via, exules patria, vinctos libertate, tempestatibus actos felici portui, mortuos ipsos planè dixerim, vita donatos. Videt hic ut cuncta uno verbo complectar, perpetuam miraculorum originem, inexhaustum prodigiorum fontem, perennem gratiarum oceanum Deiparam Tersactanam.

Caput X.

De Solemni Deiparae Tersactanae Coronatione.

§. I.

De origine solemniter coronandi in terris Sacras Imagines beatissimae Virginis Mariae, et promotore Coronationis Virginis Tersactensis.

I. Quamvis beatissimam Virginem Mariam praeter unicum, et unigenitum suum filium Jesum Christum humani generis Reparatorem nemo pro dignitate laudare queat, hominum tamen ingenia diversos invenerunt Deiparam Virginem honorandi, et venerandi modos, inter quos vix ullus magis ingeniosus poterat in cor hominis descendere eo, quem conceperat Illustrissimus, et Reverendissimus D. D. Comes Alexander Sforzia Basilicae Sancti Petri in Urbe Canonicus. Is namque Mariam Matrem Dei, quam in vivis singulari prosequabatur amoris affectu, ut etiam post mortem sibi specialissimam Advocatam apud Filium constitueret, potiohem portionem suae substantiae publico instrumento suam ultimam voluntatem declarante in hunc dumtaxat finem applicuit, ut ex annuis proventibus tot aureae conficiantur Coronae, iisque omnes illae statuae, vel

Icones Matris Sanctissimae, antiquae, prodigiosae, atque â populorum concursu specialiter frequentata coronetur.

II. Ne autem haec sua piissima intentio, exoptato frustraretur effectui, Illustrissimum, et Reverendissimum Capitulum S. Petri in Vaticano, suae postremae dispositionis executorem nominavit, et instituit, â quo praehabita authentica fide praedictarum conditionum, uti fidelissimè aureae dispensatur Coronae, ita omnium, quae in tam solemni actu peragi debeant promptissimè debita communicatur instructio. Quid ingeniosius, vel ad honorandam in via Matrem Dei, vel ad capessenda â Christifidelibus infinita propedum merita excogitari potuit? liberum quippe erat piissimo fundatori suam substantiam vel ad alendos pauperes, vel alios pios usus convertendi, attamen iis relictis meliora aemulando charismata voluit Mariam, quae in Coelis coronata triumphat, in terris quoque non semel, sed iteratis vicibus in suis prodigiis Imaginibus coronatam habere. Praevидit, quod hujusmodi pia coronationes quemadmodum sint futurae innumeris occasio proxima maximi meriti, ita majoris cultus, et ferventioris devotionis erga beatissimam Virginem efficax indubiè sint evasurae incitamentum.

III. Primus Promotor Virginis Tersactensis Coronationi fuit Illustrissimus, et Reverendissimus D. D. Joannes Franciscus Barbadico Veronensis pro tunc, postea Brixiensis Episcopus. Is enim Tersactanum Sanctuarium, et miraculosam ejus imaginem cum pluribus fulgere prodigiis inaudiisset, solito amore succenditur videndi, quae vulgabantur: unde pietatis suae zelo veluti quodam Sancti Spiritus adactus afflatu tam exemplaris peregrinationis itineri sese concredidit, ac anno 1709. die 23. mensis Aprilis gratus hospes Tersactum advenit, ubi absolutis pietatis suae officiis, cum de praerecensitis erudiretur ad vota, et singula vel ipso relatu majora comperisset, primus, Deo sic ordinante, Vaticanas hasce coronas Patribus Conventus ad captum dedit, eosdem informando, qualiter per Capitulum Vaticanum certa pii aeris administretur summa olim â Domino Alexandro Sforzia vel maxime ad id legata, ut ex ejus annuali proventu Illustrissimae Deiparae, quae authenticis clarent miraculis, aureis distinguerentur coronis: quare ut et Tersactana Imago hoc decoraretur ornamento efficacissimis verbis Patribus persuasit, ut nulli parcant labori in tam pio, et Sancto promovendo opere, quod ut securius optatum attingat exitum se quoque futurum spopondit adiutorem.

IV. Peracta exemplarissimè sua triduana devotione ardentissimis Patrum votis, et efficacissimo Deiparae patrocinio associatus 26. Aprilis movit Tersacto Infulatus Cliens, et Veronam sui Episcopatus Metropolim brevi temporis intervallo redux incolumis salutavit. Inde memor promissionis suae sine mora suas justissimas promovit instantias, et mediante

suo in Urbe Agente apud Illustrissimum, et Reverendissimum Capitulum in Vaticano pro aureis è legato Sforziano comparandis Coronis supplicando institit. Reverendissimum Capitulum formato super expositis authentico processu, compertaque relatorum mirabilium veritate, nec non pervetusta Sanctuarii hujus celebritate ac Imaginis à Divo Luca pictae miraculosissima indole ter benigni praetitulati Episcopi supplici subscripsit, aureaque pro Deipara Tersactana, Jesuloque Ulnis ejus adpicto ex praetacta summa quantocys conficienda diademata relaxavit.

§. II.

De facultate solemniter Coronandi Virginem Tersactanam.

I. Confectae aureae Coronae à Capitulo Vaticano transmissae erant die 17. Julii 1713. Illustrissimo, et Reverendissimo D'no D. Joanni Francisco Barbadico, Episcopo Veronensi, cui etiam ipsa Coronatio tamquam singulari Mariano Zelatori demandata fuit, cum facultate tamen subdelegandi in casu impedimenti alium Episcopum. Verum, dum cuncta necessaria ad tam solemnem actum indefesso labore, et Zelo parabantur, exortae in nonnullis Germaniae partibus pestilentiali lue, à Serenissima Republica Veneta arctissimè undique passus oclusi remanserant, hoc inopinatè excitato impedimento, praelaudato Antistiti etiam accessus Tersactum praeclusus erat, ipsa Coronatio solemnis ultra annum suspensa mansit. Suspendit ille coronationem, quia huic actui praeesse optabat, quod etiam nos ferventer efflagitabamus, sed irritò, nam cessata in remotioribus Provinciis lue, in Carinthia saevior reviviscens utriusque deperdebat desideria.

II. Ne verò Miraculosa Icon suis ultrò fraudaretur Coronis, Religiosissimus Praesul per Cancellarium Nuntii Apostolici apud Serenissimam Rempublicam Venetam juxta facultatem sibi à Reverendissimo Capitulo Vaticano impertitam loco sui substituit Illustrissimum, et Reverendissimum Dominum, Dominum Adamum Benedictum è Comitibus Rattkay Episcopum Segniensem, et Modrussiensensem, utpote in cujus dioecesi Sanctuarium Tersactanum veneratur, Instrumentum cum Coronis, ac Instructione sibi Roma missis Patri Petro Francetich Guardiano Tersactensi extradidit. Est autem Instrumentum, prout in **Originali jacet**, hujus tenoris:

In Nomine Domini Amen.

Cum sit, quod Ill^{mo}, et R^{mo} Domino Joanni Francisco Barbadigo olim Episcopo Veronensi, et de praesenti à summa clementia Sanctissimi Domini Nostri D. Clementis Divina providentia Papae XI. translato ad Ecclesiam Brixiensem usque sub die 17. Junii anni 1713. à Venerabili Capitulo, et Canonicis Sancti Petri Almae Urbis remissae fuerint Coronae aureae, et concessa facultas coronandi Sacras Imagines

Jesu, et Beatae Mariae Virginis existentes in Ecclesia R. R. P. P. Reformatorum Sancti Francisci loci Tersatti in Dalmatia, prout constat ex epistola missiva tenoris sequentis videlicet = ab extra = All' Ill^{mo}, e R^{mo} Sig^{re} e Padrone osservandiss. Monsig^{re} Barbarigo Vescovo di Verona. = Intus verò = Ill^{mo}, e R^{mo} Sig^{re} e Padrone osserv. = Essendosi benignamente esibita V. S. Illustrissima andar â Tersatto in Dalmatia â coronare con le corone d'oro le Sac. Immagini del Bambino Gesù, e Santissima Vergine esistenti nella Chiesa de' P. P. Francescani Riformati di quel luogo, accettiamo con questa [†] di lei favori mandandoli le sudette corone, con tutte le facoltà, ed Istruzioni necessarie per far la sudetta coronazione: Ed havendo rincontri della pietà, e zelo di V. S. Ill^{ma} mediante le gratie compartite al nostro Capitolo in altra simil' incombenza, speriamo anche in questa ce ne darà nuovi argomenti accrescendo le nostre obligationi in compire con il maggior decoro possibile questa sacra funzione. Mà perche dal suo Agente ci vien detto che il timor del mal contagioso in quelle Parti potrebbe forse ritardarvi la sua andata, in tal caso diamo facoltà à V. S. Ill^{ma} ò di differire à tempo più oportuno la sua partenza. ò di sostituire altro Vescovo atto à poter adempire tal funzione senza il sudetto timore, à cui è pregata comunicar la sopradetta Istruzione, che qui annessa le mandiamo baciandole divotamente le mani = Di V. S. Ill^{ma}, e R^{ma} = Roma 17. Giugno 1713 = Dev^{mi}, et Osserv^{mi} Ser^{vi} Il Capitolo, e Canonici di S. Pietro = Giacinto Sacripante Can^{co} Sec^{io} = Nella coronazione dà farsi della Sacra Immagine della Santissima Vergine si dovrebbe cantare la Messa avanti, e forse sarebbe meglio doppo fatta la coronazione, alla quale devono assistere due per testimonii con il Notaro, oltre il popolo, che si suppone interverrà per sua divotione. Le due corone, cioè una per la Santissima Vergine Maria, e l'altra per il Bambino Gesù si devono collocare sopra le teste delle loro Immagini, e farle ben fermare da un pratico Artefice. Ciò fatto si devono dire l'infrascritte preci, cioè inginocchiare, e con canto l' *Ave Maris Stella*, et in fine si dichino i sequenti versetti = *V = Corona aurea super caput ejus = R. = Coronasti eam Domine, et constituisti eam super opera manuum tuarum = Oremus = Famulorum tuorum quaesumus, Domine, delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Per eundem Dominum nostrum =* Quale detta immediatamente si reciti senza canto il Salmo *De profundis* per l'anima dell'Institutore, e benefattore di questa pia Opera, et in fine l'oratione *Deus Veniae largitor, et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut animam*

nostri Benefactoris Alexandri, quae ex hoc saeculo transiit, beata Maria semper Virgine intercedente ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas etc. Post Requiescat in pace. E finalmente si dica sotto voce un *Pater*, et un'*Ave* per il Capitolo, e Canonici di S. Pietro, quale finita si dica: *Retribuere dignare Domine omnibus nobis benefacientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.* = Compita tutta la sudetta funzione, alla quale, come si è detto, dovranno haver assistito il Nodaro, e due testimonii, esso Notaro si roghi dell'Instrumento da farsi con l'Amministratori, ò Rettori della Chiesa, in cui sono le sudette Sacre Imagini, della consegna delle medeme corone con l'obbligo [...]⁴¹¹, delli medemi di mantenerle sempre sopra le teste delle Sacre Imagini sudette, e del detto Instrumento di detta consegna, et Obligo, se nè faccia fare Copia autentica in publica forma, e si mandi in Roma al Capitolo di San Pietro; al quale si sogliono mandare i ritratti delle medeme Sacre Imagini per tutto il Clero della Basilica Vaticana, cioè 32. per l' Eminentissimo Arciprete, e Canonici in seta, ed un centinaro in Carta =

Cumque usque adhuc tum ob timorem luis contagiosae, tum etiam ob graves in sua Dioecesi habitas occupationes sibi demandatis incumbentiis satisfacere non potuerit, et in praesentem diem adhuc vigeant in illis partibus suspiciones luis contagiosae; hinc est, quod anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi Millesimo septingentesimo decimo quarto, Inductione septima, die verò Veneris, decima quarta mensis Septembris, Pontificatus autem praelibati Ss'mi D. N. D. Clementis Papae undecimi, Anno decimo quarto, praefatus Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Joannes Franciscus Barbadicus olim Episcopus Veronensis, et ad praesens ad Ecclesiam Episcopalem Brixensem translatus mihi benè notus, et cognitus in mei Notarii, et Cancellarii publici, testiumque infrascriptorum praesentia praesens, et personaliter constitutus sponte etc. ac omni meliori modo etc. utendo facultate in supra registrata epistola missiva sibi attributa, fecit, et substituit ad supplendas loco sui vices sibi, ut suprà commissas, Illustrissimum, et Reverendissimum Dominum Episcopum Segnensem, et Modrussensem, in cujus Dioecesi praedicta Ecclesia R. R. P. P. Reformatorum S. Francisci loci Tersati reperitur, ad coronandas coronis aureis in supradicta Epistola missiva nominatis (quas ipse Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Episcopus Barbadicus ad dictum effectum consignavit Rev. Patri Guardiano supradicti Conventus Reformatorum de Tersatto, eidem Ill'mo, et R'mo Domino Episcopo Segnensi, et Modrussensi deferendas) Sacras Images Jesu, et Beatae Mariae Virginis existentes in Ecclesia dictorum R. R. P. P. Reformatorum, dictamque Sacram functionem faciendam, et complendam in omnibus, et

per omnia, ac juxta formam, et tenorem Instructionis pariter supra registratae, et supra praemissis faciendum, gerendum, et exercendum, ea omnia, quae dictus Ill'mus, et R'mus Dominus Episcopus Segnensis, et Modrussensis pro majori pompa, et decore dictae coronationis facere, gerere, et exercere necessaria judicaverit. Dans etc. promittens etc. relevans etc. Sub obligatione etc. Super quibus etc. –

Actum Venetiis in Palatio Apostolico apud S. Franciscum â Vineâ Anno, Indictione, die, Mense, et Pontificatu, quibus suprâ. Praesentibus ad praemissa Ad'm Rev. et Excellente Domino Joanne Antonio ab Abaco sub Canonico Ecclesiae Ducalis Sancti Marci Venet. et Reverendo Domino Antonio Picoli Presbytero Veronensi â Secretis praefati Ill'mi, et R'mi Domini Episcopi substituentis, testibus habitis, vocatis atque rogatis etc.

Ego Laurentius Bosetti Notarius Apostolicus Ill'mi, et R'mi Domini D. Nuncii Apostolici Venet. ejusque Curiae causarum Cancellarius praemissis rogatus interfui, praesens Instrumentum confeci, subscripsi, et solito mei Tabellionatus signo munivi, in fidem etc.

(L. Si-
gni)

Alexander Aldobrandinus Dei, et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Rhodiensis Ss'mi D. D. Papae Praelatus Domesticus, et Assistens, ac in toto Serenissimo D. D. Venet. Dominio Nuncius Apostolicus. Universis attestamur contrascriptum Dominum Laurentium Bosetti esse talem, qualem se fecit, cujus Scripturis, et Instrumentis hic, et ubique plena fides adhiberi potest. In quorum etc.

Datum Venetiis in Palatio Apostolico apud S. Franciscum â Vineâ die 22. Septembris 1714.

(L. S.)

Stephanus Carreta Curiae
Apostolicae Venet. Coadjutor m'ppa

III. Dispositis itaque in hunc modum rebus matura deliberatione illicò consulebatur, quanam aptior foret dies ad tam insolitam, et necdum in ditionibus Austriacis practicam solemnitatem peragendam? tandem post diuturnas discussiones, et habito consilio Ill'mi, et R'mi Episcopi Segniensis D. Adami Benedicti Rattkay determinata fuit dies octava Septembris anni 1715. Nativitati ejusdem Virginis Sacratissimae Sacrata, quatenus ortus ille ineffabilis, quo ab incunabulis Immaculata Caelorum Heroïna originalis innocentiae hostem in totius humani generis salutem, et gloriam triumphatrix devicerat, fausto novo hujus triumphi specimine recolere- tur â devotis. Dein generales typis impressae Invitatoriae, non modo per Caesareas haereditarias ditiones, verum etiam per externas, dissitasque plagas ab Ecclesiarum Curatis ê suggestibus publicandae circulariter dispergebantur tenoris sequentis:

INVITATIO

Pro

Coronan**Da** **VirgIne** Matre Tera**C**tana
Venerata

In celeberrimo Sanctuario Tersactensi â R. R. P. P.
Franciscanis Reformatae Provinciae Sanctae
Crucis Croatiae Carnioliae officiato

Quod

In Monte supra Civitatem Flumen S. Viti ad Adriatici
Sinus septentrionalem ripam in Inclyti Regni
Croatiae confinibus situm

ob

Sacratissimae Domus Nazarethanae ê Galilaea ab Angelis
mirabiliter illuc primò translatae, ibidemque annis
tribus, et septem mensibus commorantis singularem
reverentiam, et Sanctitatem magno populo-
rum concursu, ac pietate colitur

Atque

Miraculosissima Imago Beatissimae Virginis ab Urbano
V. Summo Pontifice anno 1362. illuc missa, et â Sancto
Luca depicta de Illustrissimi, et Reverendissimi Capi-
tuli S. Petri Vaticani consensu, specialique
Indulto duabus coronis aureis Roma trans-
missis (unâ Mater, alterâ Filius)
prima extra Italiam ritu So-
lemnissimo

Die octava mensis Septembris coronabitur.

Ut amplius, et distinctius omnibus, et singulis Christifidelibus hujus Sacrae futurae Solemnitatis in honorem Augustissimae Reginae Caelorum peragendae innotescat ratio, quilibet persuasum sibi habeat, quod Sacer Mons Tersactanus supra Civitatem Flumen S. Viti nuncupatam, in extremis confinibus Inclyti Regni Croatiae situatus, mirabili Sacratissimae Domus Nazarethanae (in qua VERBUM CARO FACTUM EST) ê Galilaea anno reparatae Salutis 1291. die 10. mensis Maji translatione, ac ejusdem fortunatissima trium annorum, et septem mensium mora, et subsistentia, inter omnes alios montes, et loca (Deo sic providente, atque volente) primò condecoratus fuerit, et per consequens tum propter confluentiam populorum, tum propter affluentiam gratiarum, celeberrimus effectus, ad cujus amplius augendam devotionem, et tanti prodigii perpetuandam memoriam, insigne Sanctuarium in ipso constructum non solum Originali Sacratissimae Deiparae miraculosa Imagine â S. Luca depicta fel.

mem. Urbanus V. aliique Summi Pontifices pluribus, et quidem singularibus privilegiis, quae referre nimis prolixum foret, dotârunt: verum etiam praesens felicissimè gubernans Papa Clemens XI. benignissimè indulsit, ut in die tam prodigiosae translationis, 10. videlicet Maji, Officium, et Missa propria in perpetuum celebrentur, et omnes Christifideles utriusque sexus confessi, et Sacra refecti synaxi, plenariam omnium delictorum suorum Indulgentiam consequi queant.

Porro Benedictus Deus, qui in Sanctis suis mirabilis est, semper mirabilior in sua Sanctissima Matre, specialiter in Sanctuario Tersactano, uti indubiam praestant fidem tot, tantaque innumera vota, quae sunt manifesta signa â Christifidelibus obtentorum gratiarum, videri voluit, iis namque tamquam efficacibus motivis, eam, quae in Coelis coronata refulget, in terris quoque Solemnissimo ritu coronatam habere decrevit: Nam anno 1709. suavi sua vi ex alto emissa adeo accendit animum Illustrissimi, et Reverendissimi D. D. Joannis Francisci Barbadico Episcopi pro tunc Veronensis, nunc Brixienis, ut relicta ad tempus sua Dioecesi praefatum Sanctuarium unâ cum dicta miraculosa Imagine devotionis gratia visitaturus accesserit, ubi peractis exemplarissimè Christianae pietatis officiis, et maturè ponderatis cunctis illius Sanctuarii mirabilibus, ita ejus piissimus animus succensus remansit, ut prodigiosam illam Imaginem, specialiori quodam honore hucusque necdum extra Italiam practicato, dignissimam judicaverit. Quare feliciter redux omni zelo, et efficacia unâ cum Seraphico Ordine coram Illustrissimo, et Reverendissimo Capitulo S. Petri in Vaticano institit, ut praefatam Sanctissimam Imaginem auctoritate speciali, qua fungitur, coronare dignaretur: quare post longam temporis moram fatum Ill'mum, et R'mum Capitulum agnita per formalem authenticum processum supradictae Miraculosae Imaginis virtute, resolvit per Eundem Ill'mum, et R'mum D. D. Joannem Franciscum Barbadico Antistitem Brixiensem, vel eo legitime impedito, per alium Episcopum ab ipso substituendum coronandam esse, hinc ad hunc effectum duas coronas aureas, unam pro Matre, alteram pro Filio Roma transmisit, ut hoc singulari honore, quo sola felix Italia gloriabatur, etiam faustissimi status Augustissimae Domui Austriacae subjecti condecorarentur. Ne autem ullum cujuscunque gradus, et conditionis praefixa dies hujus futurae insignis Solemnitatis latere possit, praesentibus declaratur, stabilitam esse diem Octavam mensis Septembris anni currentis 1715. durabitque integro triduo, cum plenaria Indulgentia concurrentium.

Quapropter, ut iste memorabilis Caelorum Reginae Triumphus excellentiori plausu, ampliorique Jubilo (ut tantae Solemnitatis ratio, dignitasque deposcit) celebrari possit, omnes utriusque sexûs Christifideles, non duntaxat adjacentium Regio-

num, sed et remotiorum Provinciarum ad hanc Solemnissimam Augustissimae Reginae Coelorum Coronationem quàm humanissimè quàmque humillimè invitantur, ut nova hac singularissima Institutio, quò fusiori populorum confluentia, eò profusiori gaudio, auctiorique Spirituali fructu, ad Dei ter Optimi Maximi ejusque illibatae Genitricis majorem honorem, et gloriam peragatur. Quare Excellentissimi, Illustrissimi, et Reverendissimi D. D. Dioecesani, locorum Ordinarii, Praelati etiam Regulares Conventuum Superiores demississimè rogantur, quatenus per eorumdem subalternos Dominos Parochos, Vicarios, Curatos, et Concionatores concreditos sibi populos, ad hanc triumphalem Divinae Matris, ejusque Filii Coronationem Sacris è suggestibus efficacissimè dignarentur exhortati, ut hanc Sacram peregrinationem, quo par est, et fieri potest, unanimi zelo, ac pietate suscipiant, ut hic gloriosissimus Deiparae triumphus universali plausu, jubilo, et devotione ita in via celebretur, ut per intercessionem ejusdem Sacratissimae Virginis omnes, et singuli eam Coronam, quam Deus diligentibus se compromisit, in Patria consequi possint, et valeant.

Fr. Petrus à Flumine Guardianus
cum Conventu Tersactano Ordin. Min.
Sancti Francisci Reformatorum

IV. Facta promulgatione, ac caeteris, quae ad hunc Coronationis actum solemnius, ac majori cum pompa peragendum videbantur necessaria, rite dispositis. Ecce! imminente jamjam Coronationis die tristis nimis ab Illustrissimo Ordinario amandatus advenit nuncius, qui gravem, ac prorsus periculosam infirmitatem Episcopi coronaturi aegre nunciavit 27. Augusti ad serum, atque ob totalem virium destitutionem ad determinatam Coronationis diem impossibilem sui Praelati adventum significavit. Unum erat, quod consolabatur maestissimos Patres, quod P. Guardianus ab Ill'mo, et R'mo D. D. Episcopo Brixiensi Joanne Francisco Barbado, cui à Capitulo Vaticano Coronationis munus commissum fuit, aut alium loco sui Episcopum delegandi facultas data, ut suprà visum, sub die 24. Julii 1715. provisorio modo facultatem obtinuerit, in casu, quo Episcopus Segniensis, qui à praetitulato Episcopo Brixiensi pro coronanda Virgine delegatus fuit, impeditus esset, quemcunque Catholicum Antistitem *subdel[eg]andi*,⁴¹² ut *ex sequenti Originali Instrumento patet*:

In Christi Nomine Amen.

Anno ab ejusdem Nativitate Millesimo septingentesimo quintodecimo, Indictione octava, die vigesima quarta mensis Julii, Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Divina providentia Papae XI. anno XV.

Usque sub die 17. Junii 1713. Ill'mo, et R'mo D. D. Joanni Francisco Barbadico tunc Episcopo Veronensi, ac de praesenti Apostolicae Sedis gratia ad hanc Brixensem Ecclesiam translato, ab Ill'mo Capitulo, et Canonicis S. Petri Almae Urbis expeditae fuerunt Coronae aureae, et demandata facultas coronandi Sacras Imagines Jesu Christi, ac B. V. Mariae existentes in Ecclesia R. R. P. P. Reformatorum S. Francisci loci Tersati in Dalmatia, prout elucescit ex Epistola missiva tenoris sequentis (*cujus tenor hic omittitur, utpote suprà n. 2. una cum Instructio-ne R'mi Capituli Vaticani allatus, dein sequitur*) Cumque hactenus tum ob metum luis contagiosae in illis partibus, tum etiam ob quamplurima, eaque gravia negotia, quae pastoralis sollicitudo postulat, praecipue in translatione praefata ad hunc Episcopatum Brixensem demandatis sibi incumbentiis satisfacere non potuerit, et actu nequeat ob incrementum suspicionis luis praefatae: hinc praelibatus Ill'mus, et R'mus D. D. Joannes Franciscus Barbadicus Episcopus etc. mihi etc. benè notus, et cognitus etc. in mei Cancellarii, testimoniumque infrascriptorum praesentia praesens, et personaliter constitutus etc. sponte etc. ac omni meliori modo etc. facultate sibi in praeinserta Epistola missiva attributa fecit, et substituit ad supplendas loco sui vices, sibi, ut suprà, commissas, Ill'mum, et R'mum D. D. Episcopum Segnensem, et Modrussensem, in cujus Dioecesi praedicta Ecclesia R. R. P. P. Reformatorum Sancti Francisci de Tersato sita reperitur, seu eò aliquo impedimento detentò alium Illustrissimum, et Reverendissimum Catholicum Episcopum, arbitrio Ad'm Rev. P. Guardiani dictorum R. R. P. P. Reformatorum Sancti Francisci Tersati eligendum, ad coronandum coronis aureis, in praememorata Epistola missiva nominatis (quas ipse Ill'mus, et R'mus D. D. Episcopus Barbadicus ad dictum effectum consignavit Rev. P. Guardiani suprafati Conventus, eidem Ill'mo, et R'mo D. Episcopo Segnensi, et Modrussensi, vel alteri, ut supra eligendo deferendas) Sacras Imagines Jesu Christi, et beatæ Virginis Mariae existentes in Ecclesia dictorum R. R. P. P. Reformatorum, dictamque Sacram functionem faciendam, et complendam in omnibus, et per omnia, et juxta formam, et tenorem praeinsertae instructionis, et super praemissis faciendum, gerendum, et exercendum ea omnia, quae dictus Ill'mus, et R'mus D. D. Episcopus Segnensis, et Modrussensis, vel alter, ut suprà, eligendus, pro majori pompa, et decore dictae Coronationis facere, gerere, et exercere necessaria, et opportuna judicaverit. Dans etc. promittens etc. relevans etc. sub obligatione etc. Super quibus etc.

Actum Brixiae in Palatio Episcopali, Anno, Indictione, Mense, Die, et Pontificatu supradictis. Praesentibus Admodum Reverendo Domino Antonio Picoli à Secretis, et Domino Joanne Daniele Cubiculario suae

Dominationis Illustrissimae, et Reverendissimae testibus etc.

Aloysius Margarita J. U. D.

Cancellarius Episcopalis rogatus etc.

Antonius Soncini J. U. D. Canonicus Praepositus Cathedralis Brixiae, ac in
ejusdem Episcopatu Vicarius Generalis. Universis testamur suprascriptum Excel-
l^{mum} Dominum Aloysium Margarita, qui antescriptum substitutionis documentum
subscripsit, esse talem, qualem se facit, et ideo etc. In quorum fidem etc.

Datum Brixiae ex Episcopali Palatio die 25. Julii 1715.

(L. S.)

Hieronymus Benalen. Notarius Episcopalis Brixien-
sis m'ppa

V. Hac fretus delegativa facultate P. Petrus Francetich Guardianus Tersac-
tensis angustia pressus temporis illico ablegavit unum Patrem Sacrosanctae Theo-
logiae lectorem Rudolphswertum ad Illustrissimum, et Reverendissimum Domi-
num, Dominum Georgium Xaverium de Marotti Praepositum ibidem, Dardaniae
Episcopum, et Coadjutorem Petinensem, humiliter deprecando, ut Coronationis
Virginis Mariae munus in se susciperet, qui congenita teneritudine auditis exposi-
tis, ne sua Advocata, pro qua **suis doctissimis Dissertationibus anno 1710. Romae
impressis** coram Urbe, et Orbe strenuè dimicaverat, hocce honore privaretur, gene-
rosa resolutione humillimae invitationi annuit: hunc relicta, in qua actu reperi-
ebatur, Diocesana visitatione, contemptis ardui itineris periculis, 4^{ta} Septembris hora
octava matutina prono in Deiparam affectu molestissimo se itineri commisit, ac 6^{ta}
ejusdem mensis ad serum incolumis Tersactum salutavit, proxime Deiparae, ac ejus
Filii peracturus Coronationem, de qua, antequam plura disseram, praeferendus est.

§. III.

**De apparatu actum Coronationis praecedente,
cùm in tum extra Ecclesiam.**

I. Ut rem ab ovo exordiar, ea, quae in Capella Virginea conspiciebantur, commemorabo. Altare majus Sacris lipsanis, floribus, aliisque ornamentis, quantum facultas tulerat, amiciebatur. Ad dextrum Sanctuarii, seu Capellae latus Thronus, et Faldistorium cum impendente Baldachino Episcopo Coronaturo paratum erat, in cujus Throni medium hoc elogium appensum est

Illustrissimo, ac Reverendissimo D. D. Georgio

Francisco Xaverio de Marotti, Dardaniae

Episcopo, Praeposito Rudolphswertensi

Tersactanam Deiparam

Coronanti

Primam prodigiosarum Mariae Iconum
 obriza Vaticani Corona
 Primus Germanico sub Imperio
 Solemnissimè coronâsti
 satis dixi
 Accessorium est
 Quidquid vel virtus, vel sanguis adjiciat
 dehinc
 Non videris pro Styge quadrare
 Quid?
 Daemonum unguibus calcabitur
 cujus venerandae manus super caput Mariae
 Ascenderunt?
 Irrefragabili divinitus promisso sancitum est,
 ut qua mensi fuerimus
 illa nobis mensura remetiatur
 Ergo
 Et tu coronaberis
 Quid si coram tot Angelis
 Nostram coram quot hominibus Theotocon
 Pontificio decore spectabilis
 illacrymantibus prae laetitita populis
 coronâsti
 Ignos[c]e⁴¹³ affectui
 Si Marianus iste Franciadum Coetus
 vovet,
 ut tui in Coelis Coronatio
 In saeculum differatur.

II. In eadem Thaumaturgae Virginis Capella multis elegantibus lemmatibus, et versibus â P. Athanasio Haffner Ord. Min. singularissimo Mariani cultus Zelatore compositis, exornata fuit, qui et reliqua Elogia, Lemmata, et Inscriptio-nes non levi cum labore compilavit. Imprimis in Sanctuario octo fuerunt affixiones symbolicae cum suis lemmatibus, et versibus praecipua Beatissimae Virginis mys-teria repraesentantes, et quidem

I.

Nativitas Divinae Matris eleganter, cujus anima seu lemma fuit

Lemma: Omnem ab ortu

Substratum Distichon

Non abit, ac tutum, mox ut Pallantias exit

Sic mundo in tenebris Nuncia Solis eras.

II.

Nomen Virginis Mariae in radianti Alveari.

Lemma. Hybla Divum.

Distichon.

Mella, favumque super Mariae Venerabile Nomen,
stillula Tersacti, ter satis una foret.

III.

Praesentatio

*Lemma. Omnia dedit**Distichon.*

Trimula se Triadi, quasi filia, Sponsa, Parensque
 obtulit. Et versa se vice Summa Trias.

IV.

Annuntiatio

*Lemma. Dictum factum**Distichon.*

Hic fuit illa domus Coelis Augustior ipsis
 Hic Verbum Caro fit, Matre loquente *fiat*.
 Adverte pie lector in gratiam acuminis necesse fuit corripere ly *fiat*.

V.

Desponsatio.

*Lemma. Mens una duobus.**Distichon.*

Cur sola, et simul est desponsa Maria duobus,
 Nempe puella duum, bis quoque Virgo fuit.

VI.

Visitatio.

*Lemma. Venit, et praevenit.**Distichon.*

Nos quoque digneris, quo Agnata favore beata est,
 quem si invises, quam benè visus eris.

VII.

Assumptio

et

Coronatio.

*Lemma. Redimiris, ut redimas**Distichon.*

Serto cincta supernè iterum redimiris in orbe,
 Da Carolo sobolem, cingat ut ipse suam.

VIII.

Purificatio

*Lemma. Mundo, non mundor.**Distichon.*

Cur te purificas ô Caelis mundior ipsis?
 Te post, et Natum nil sine labe viget.

III. Praedicta in ipsa Capella, seu Sanctuario Tersactensi videbantur. Per Ecclesiam verò hinc, et inde per columnas, et parietes viginti quatuor extabant Mariana Symbola cum suis lemmatibus, et versiculis, quae ad Coronationem Divae Virginis alludebant, ut sequitur.

I.

Depicta fuit Nazarethana Sanctissima domus in aere pennis Angelicis volans: suprà hanc quartam Zodiaci partem, sub quo penniger Genius Indice manus signavit Geminos, qui signum sunt mensis Maji: altera manu ferebat schedulam, in qua signabatur numerus X. Decima quippe Maji beatissima Aedicula è Galilaea Tersactum venit.

Lemma. Redde, quod debes
Cum decima Maji nostros pia Virgo Penates
invisit, decimam nonne tenemur Ei?

II.

In alio visebatur eadem Lauretana Domus hinc avolans subtus venientem nostram Miraculosam Imaginem ab Urbano V. missam videre fuit.

Lemma. Immobilis abit
Hinc dum decedis, nobis Te Papa remittit
Urbanus Vir erat: Nomen, et omen habet.

III.

Sanctus Lucas Evangelista actu pingens Virginem nostram illam in nube sedentem aspicit, ut Originale ad vivum copiet.

Lemma. Opus à Manu
Te Medicus fecit: si mirum si Virgo mederis?
Te lucem Lucas pinxit, ab inde nitor.

IV.

Deipara Coronata multa luce refulgens pro Basi, vel quasi scabello duo scuta habuit, Insignia Religionis, et fidelissimae Civitatis Fluminensis referentia.

Lemma. Honorificentia populi nostri. *Judith. 15*
Quantus honor nostris Virgo es sanctissima terris!
Jam nos insignis fama per ora feret.

V.

Extensè, et naturaliter picta fuit Civitas Fluminensis: retro eandem in edito Colle Conventus noster Tersactanus, supra Civitatem Corona firmabatur quinque radiorum, in quorum apicibus, quot Margaritae erant, tot Mariani Nominis litteras continebant.

Lemma. Corona inclyta proteget Te. *Prov. 4.*
Quandoquidem INVITOR, Sacram non vito Coronam,
Flumen ait: Posthac Regia nunquid erit?
Nota: Fluminensis Civitas alio nomine dicitur Sancti Viti.

VI.

Hic super eandem Civitatem, ejusdem pingebantur Insignia à Sanctis Protectoribus Vito, et Modesto Martyribus sustentata, supra quae radiabat Deiparae nomen.

Lemma. Omnia concordant.
Crederis, ô Mater, viventum flumen aquarum
Urbis, et arma geris, Vita Modesta fuit.

VII.

Virgo Coronata stelligero circumdata paludamento Draconem per Filium lancea crucifera figit: è cujus dextera in prospectiva projectabatur Rachel Jacobo blandiens: â sinistra itidem in prospectiva Jahel Sisarae tempora clavo transadigens.

Lemma. Amat, et odit.

Pectore nos medio geris: at sub calce Dracones,
hinc modò Jahel eris, quae modò Rachel eras.

VIII.

Hic scuto grandi Mariae Nomine signato veluti tecto Turba Clientum muniebatur: clypeo huic supervolitabant Daemones protectos spiculis impetentes, quae casso vulnere â coronato scuto excepta sunt.

Lemma. Clypeus Salutis

Quà data porta ruens ravidus dum frendet Avernus
Hoc scutum obversâ spicula cassa cadent.

IX.

Fons altè saliens, seseque latè diffundens Coronam loco corporis, seu Conchae praesetulit.

Lemma. Sitienti dabo. Apoc. 21.

Deliciis fontana fluit, quia turgida donis,
pellet, si biberis, guttula quaeque sitim.

X.

Hortus pensilis, è quo sol oriebatur, cujus sphaerula Jesu Nomine signabatur: supra hortum Corona, cujus umbram sol oriens in Caelum jaciebat.

Lemma. Hortus ab ortu

Estnè Virginei cultor Deus ipse Vireti?
Clausus hic hortus erit, clausus ut ortus erat.

XI.

Concha Margaritifera mari innatans, quam apertam, et margarita gravidam Sol in sphaerula corpore columbam referens irradiabat caeteris minoribus conchis in coronae modum circumfluit.

Lemma. Foecunda supernè

Sola â sole tuo foeta es foecunda Virago!
Nulla parem gemmam Gangis arena tulit.

XII.

Templum rotundum tricupulatum duodenis fultum columnis pro pomo Pinnaculi Coronam referens.

Lemma. Omnia plena Deo

Tu Templum es Virgo, Tu Victima Summa Sacerdos,
Ignis et Ara simul: omnia plena Deo.

XIII.

Coronatum Virginis Nomen fulgidum sydus referens, ac Mundum perpendiculariter irradians.

Lemma. Et distantissima juxta est

Haud propius quidquam terrae, aut distantius isto
Sidere; nam radios, quà patet Orbis, habet.

XIV.

Terrae, marique depictis periculis Coronata Deipara ex aethere praesens.

Lemma. Sola soror

Huc oculos! fatis quisquis jactaris iniquis:
Omnia si desint, Una levamen erit.

XV.

Mensa phrygio tapete strata, super quo Cufrium pretiosum, cui Aurea Corona insedit.

Lemma. Invictae

Nunquam devictae tantum si praemia restant;
Uni, Virgo, Tibi cusa corona fuit.

XVI.

In lucida, et radiante nube Virgo in sinu Filii sinistram supponentis Coronato Capi-
ti, et dextera amplexantis: subtus omnis populus Virgini supplex.

Lemma. Poli, Solique Decus

Virgine sat digni nunquam penduntur honores
qui veneranda homini, quam colit ipse Deus.

XVII.

Iris imbrifera agros, et hortos veluti Corona complectens, quae è reflexis Divini
Solis radiis in nube rorida resultans ferebat.

Lemma. Arentia solor

Arida dum terrae facies sine rore gemebat,
Tu Virgo afflictis imber, et iris eras.

XVIII.

Pyramis super coronata Basi â Divino Sole perpendiculariter irradiata.

Lemma. Umbra procul

Pyramis es jugiter, quam lux Divina coronat:
undique colluces, naevus et umbra procul.

XIX.

Fons signatus corona veluti muro cinctus.

Lemma. Unda munda

Ne mihi te claudas Mariani dulcor Abyssi,
qui te Virgo sitit, da quoque Virgo, bibat.

XX.

Virgo fulgida, Majestate decora duodecim stellis coronata.

Lemma. Majori lamine clarent.

Te Divum fulgor, duodenaque sidera cingunt,
lumen mendicant lumina: tu tribuis.

XXI.

Malum punicum coronatum tribus ramusculis impendens â manu in nube exhibita.

Lemma. Ô bonum Malum

Anne malus Deus, ut, qui Mala coronat? at absit,
Non malus ille fuit: Malus at illa fuit.

XXII.

Regina coronata Divino amictu sole mundum illuminans.

Lemma. Intus, et extra nitet.

Tu Divini oculi radius praeifulgida Virgo
omnia sunt tenebrae lumine cassa tuo.

XXIII.

Foederis Arca in nube repraesentata, et Choro Sanctorum in modum Coronae cincta, quam Sancti Joseph, et David ferebant: subtus Daemones, et haeretici fulminibus petiti.

Lemma. Foederis Arca

Foederis Arca nitet, foedus discede Viator,
aut, ut ameris, ab hoc foedere, foedus ama.

XXIV.

Januae Coeli coronata, eique Mariae Nomen inscriptum, quod quaquaversum radiabat: ante fores stabat Cherubin flammeo gladio armatus: subtus Mariani Clientes suspicientes in eam.

Lemma. Janua Coeli

Janua Virgo bonis, et Janitor Angelus: ergo
qui cupit hac recipi, ferveat esse bonus.

IV. A medio pontis fluminis *Recca* dicti, quod Fluminense territorium â Tersactano dividit, hinc, et illinc virentes Pini plantabantur, quarum corpus chartaceis variorum colorum involucris vestiebatur. Hujusmodi arbores per totam viam figebantur ad usque pedem graduum Sacri Montis, ubi porta ascensus laureatum praefigebat arcum similibus coloratis vestitum spiris, supra quem amplum in tela Quadrum locabatur primum continens Elogium, quo devoti peregrini ad ascensum Coronationem visuri invitabantur tenoris, ut sequitur

Ad Sacri Montis hujus pedem
firma pedem

Mariane Viator

Quisquis Magnae Virgini litatum es ascensurus:
locus, ad quem tendis, Sanctus est
quem proinde decet Sanctitudo.

Hic

Angeli non dominantur, sed serviunt
Viden'

Quid te adoraturum oporteat
qui â Caelestium candore Spirituum
infinita propemodum intercapidine distas,

Attamen

Solatus ascende peccator, ad Refugium properas
quidquid necessitudinum occurrerit

Accipies

Si bene petieris:

Prostant hiantibus tibi valvis

Promptuaria Gratiarum
 Totius universitatis â Saeculis Imperatrix
 ut in gratiae solio
 Auctiori quodammodo Majestate sedens
 Tanto te promptior, quò sublimior audiat
 Aureo Diademate coronabitur
 In Excelso.
 Ascende igitur
 Quò te Angeli, quinto jam saeculo praecessere,
 iterum sequentur
 si bene praeieris
VaDe
IbI VIrGIneM CoronarI Cernes.

V. Supra portam Coemeterii aliud erat Elogium per modum suasoriae, ut Peregrini ad recipiendas gratiarum thesauros sese pro posse dignos reddant, quod sic sonabat.

Accede Peregrine
 Domi es
 Domus enim, in qua renasci coepisti
 Triennio hic, et septimestri quievit
 Haec prima est Christiadum plaga
 Quae Divinae familiae Originali Domicilio
 decorata est.
 Ter potentissima Creaturarum Monarcha
 Cum Dei, et suo Filio
 In Throno coronandi sedent
 Non judicaturi pro tribunali.
 Si quis alterum accusabit, non audietur
 qui se ipsum deferet, gratias referet.
 Thesauri aperti sunt,
 Accipies, quantum petes
 Si feceris, quantum potes:
 Solemnem, et publicam
 Triduo
 Dabit omnibus aurem
 fidenter itaque, et securus
 Adi.

VI. Retro hanc portam, quae faciem Ecclesiae respicit, tertium erat Elo-
 gium, quo recessuris ominosus abitus augurabatur in hunc sensum.

Recedis
 Mariane Viator?

Vade proinde in viam pacis
spectasti hocce in Sanctuario
pictam Virginem coronari
sic posthac vivas

Ut vivam
 In perpetuum coronatam intuearis
 Hoc perpetim, si servare satages
 et picta, et viva
 Eos
 Quorum Filia, Mater, et Sponsa est
 ut
 Gloria, et honore coronatus
 facie ad faciem
 In perpetuas aeternitates contemplari queas
 indubiè experto adlaborabit studio
 Quia Mater gratiarum:
 Quid hac sorte beatius?
 Quid hac usura sanctius in terra?
 Modico nempe obsequio tantum lucrum facere,
 solertissimè si inquires
 Reperies
 Nihil.
 Viden' quantum tibi profuit, et prodest
 solemnis Thaumaturgae Tersactanae Coronatio
 imò vix amplius prodesse potuit
 quam profuit:
 Itaque si dives, ita pergito ad tua
 ut nunquam hinc absens videaris,
 utrumque si volueris, facere poteris,
 fac ergo
 Coronaberis.

VII. Ante valvas Ecclesiae Porta Triumphalis erecta erat, quae constabat duobus corporibus proportionaliter sibi commensis: latitudo ejus viginti sex, altitudo verò pedum circiter triginta fuit. Apex Caelestem Coronationem Virginis in Gloriae nube praesetulit, in qua Filius à Patre, Mater à Spiritu Sancto coronabantur, subjecto lemmate **CORONATA TRIUMPHAT**. *Sap. 4.* Modicum infrà hinc, et hinc quatuor erant Evangelistae, è superna parte majoris corporis quatuor Prophetæ. Inferius quatuor Reges, à quibus Regiam descendisse Virginem Sacrae paginae testantur. Intra portam introitus ad Ecclesiam Virgo Nostra Originali consimilis praestabatur, quasi Regina Angelorum à Coelestibus Spiritibus coronata, **lemmatis loco chronographicum** sequens adstabat

HonorI CoronanDae InDVLgentIa pLenarIa TrIDVo

Ex utraque parte Triumphalis Machinae suis super basibus duo stabant Pontifices: ad dextram Urbanus V. quod Sanctuarium hocce submissa prodigiosa à S. Luca picta Imagine honoraverit: ad laevam Clemens XI. quod Officium, et Missam propriam pro die 10. May, in quam incidit Translatio Almae domus, concesserit, nec non Coronationis Solemnitatem triduana, eaque plenaria Indulgentia auxerit. Utriusque Basibus hi versus

quorum quilibet sui Pontificis Nomen subaudit, inserti fuère:

Basis Urbani

Â Luca pictam, te misi URBANA Virago

Basis Clementis

Te Missâ, ô CLEMENS, officioque colo

Supra illorum statuas, quae liberae cum porta triumphali prostabant, Ecclesiae muro suum cuique Elogium affixum erat:

Elogium Urbani

Urbanus hujus Nominis quintus

hujus ominis nulli secundus:

Iugentibus ob Almae Domus discessum

Liburniae populis

Gaudium misit universae terrae

Nempè

Cedro dignam, in Cedro pictam

(De Libano quippe venit)

Gratiarum Matrem.

Prodigiosus Lucae penicillus hoc maturavit

Opus

Quod inopibus dietetim confert

Opem

Et oculis, et mente viderit Virginem

necessè est:

Quam adeo ad Gratiam compositam auxit

Usque adeo est Originali, sine Originali

Analoga

lactentem expressit

ut fortius imprimat.

Et benè

Pro perditissimo licet rogetur Deus

Debet Filius Patri aperire latus, et vulnera

Cui Mater protendit pectus, et ubera,

His solis potentiis

Omnipotentia vincitur, et vincitur.

Hic ergo

Ne quaere miracula,

Mirum non est

quod quotidie accidit.

Quidquid igitur hìc evenit

Sive ad Virginis, vel Filii gloriam

Totum tibi transcribitur.

Tibi proinde

Orbis, et Urbis

Urbanissimo quondam Patri
Et Maximo
posuêre
Minores Filii

Elogium Clementis XI.

Urbinas Urbanum sequeris
 Clementissime Clemens!
 Ille, si Virgini officiosus fuit,
 tu officio non defuisti.
 Ab illo Virgo missa est,
 Missam tu Virgini misisti.
 Sacratissimae universitatis Imperatricis
 Triumphum, et Jubilum
 quasi Jubilaeum fecisti.
 Cunctorum cùm delictorum veniam
 Triduo concessisti.
 Dividite vobis
 Honorem, et meritum
 Maximi Pontifices.
 Mariam
 Urbanus Reginam veneratus est,
 Tu Urbinas coronâsti.
 Trilustri jam Regimine
 portas Orbem.
 Nemo fortè Pontificum
 Tuos rectè speraverit annos
 Quos tua tibi promittunt merita, et animus
 Assequendos
 longè vegetior virtute, quam annis
 bis Saecularis appares
 Pontifex Jubilatus:
 Sin ita te Caeli servabunt
 uti tu terras
 Pauci te succedent,
 cedent multi
 Vale.

VIII. Superius ad laterales Chori fenestras duo erant Elogia, â dextris potentissimi, ac Augustissimi Domini, et Monarchae Caroli tertii Hispaniarum Regis, ac Romanorum Imperatoris sub nomine Sexti. Â sinistra Illustrissimi, et Reverendissimi Capituli Vaticani, quod aureas Jesulo, et Virgini coronas submisit.

Elogium Imperatoris

Carolo III. et VI.

Monarchae et Imperatori

Patriae Patri

Serenissimo, Augustissimo, Optimo

Ob Incarnatae Deitatis Originale Domicilium

Primitus hùc in Sacratissimae Majestatis terras translatum
ob primam itidem prodigiosarum Deiparae Imaginum

In Altefatae Majestatis Regnis
 Aureis è Vaticano transmissis coronis inauguratae
 Solemnem Coronationem
 ominosè gratulatur
 Maxima obstrictus observantia
 Strictioris Observantiae
 Conventus Tersactensis
 Primus ex Ordine
 Coronata Virgine dignatus.

Elogium Capituli Vaticani.

Illustrissimo
 Sacrosanctae Basilicae Vaticano Capitulo
 Clarae item memoriae Alexandro Sforziae
 ultima voluntate
 Regibus invidenda pietate caventi,
 Ut
 Ê fructu relictæ ad hoc amplæ substantiæ
 De dignè fati Capituli arbitrario sentimine
 Thaumaturgæ Deiparæ Imagines
 Veluti prodigiorum Reginae
 Aureis inaugurarentur Coronis
 ob Tersactanam nostram tali honore ditatam
 summae gratitudinis ergo posuit
 Conventus Tersactensis Minorum Reformatorum.

IX. A dextris Valvarum, ubi porta lateralis Castrum respicit cum Religio-
 nis Insignibus *suffigebatur Elogium de Virginis nostrae, ac Sanctuarii excellentia*
 hujus tenoris:

Miraris! prodigiis prodigam Mariae Sedem
 Gratiarum exuberare fluentis?
 Semi nempe Paradisus Tersactum est
 Ab illo enim quatuor exivere flumina
 Tersacto duo manant.
 Calcem Sacri jugi Flumen reverenter lambit,
 quod jumenta potat, et homines.
 Beatus verò vertex disruptis undique cataractis
 Flumen projicit Gratiarum
 quod Angelos dulcedine mergit, et homines
 ebria hic potest esse sitis non satur:
 laxatis, quicunque sitis, pulmonibus hauri!
 Et Mariano Flumini lemma inscribe
 Nunquam sufficis

Tu stella, tu flumen
Tu mare, tu lumen
Ad quid enim genuinam Originis Aulam
In prominenti hoc, quod mare aluit, fastigio
Nazarena Virgo locâsset,
Ni terra, marique euntibus veluti Cynosura lucere cupida

Populos ab Oriente, et Occidente
 Ad suam trahere Septentrionem statuisset?
 Tu igitur hìc
 Magnes esto
 Respice stellam
 Despice terram
 Maria si sydus est
 Elevare!
 Si flumen
 mergere!
VoVere SIDerI SCIntILLae MInores.

X. Alteri portae ad Ecclesiae Valvarum sinistram, qua aditus ad Conventum patet, Martini Comitis de Frangepanibus, quâ fundatoris sequens videbatur Elogium.

Martinus Comes de Frangepanibus
 Vicinarum quondam partium
 Marchio
 Hujus Sancti loci, ac Territorii
 Jurisdicens, ac Dominus
 Prodigioso huic Sacello praesentem induxit Ecclesiam
 Necessario quippe haerede carens
 Gratiarum Matrem
 Bonorum suorum haeredem inscripsit.
 Hìc
 Ne soli Angeli perennibus melodiis fatigentur,
 Seraphicis Spiritibus Seraphicos homines junxit
 Quaeris!
 Cur Sacrarium Maximae Virginis
 Minoribus crediderit?
 Nempe
 De observantia
 cura fuit,
 ut rite omnia peragantur.
 Recte Frangepanis audit comissimus Comes
 Parvulis quippè, imò Minoribus panem petentibus
 Ab annis jam CCLXXXIII
 frangit panem
 ut beatitudini suae adhuc in cinere praeluderet.
 Hic surgere voluit ad iudicium,
 ubi viam sibi stravit ad misericordiam
 Sin adhuc piacularibus flammis ustularetur
 (quod de ipsius pietate non ausim metuere)

In die Coronatae Haeredis
quis ambigat liberandum?

MartInVs FrangepanI TersaCtensI CoenobII fVnDator

XI. His accedebant alia duo Elogia ad valvas pariter Ecclesiae apposita: Â dextris unum Ill'mo, et R^{imo} D. D. Joanni Francisco Barbadico Episcopo Brixienti, quâ Sacrae hujus Coronationis primo Motori, ac Promotori: â sinistris alterum Ill'mo, et R^{imo} D. D. Episcopo Segniensi, Adamo Benedicto Comiti â Rattkay, in cujus Episcopatu Thaumaturga

nostra auro Vaticano prima in Imperio coronata est.

Elogium Episcopi Brixienensis

En Sacra dignum purpura Barbadicum!

Vis genus, et Proavos?

Volumen Consule non folium.

De progenie Sanctorum est.

Quid cuperet meliori origine descendisse?

Patruus tuus Gregorius

Sanctitate, et merito Eminentissimus,
cujus intemerata modestia etiam in murice palluit

Romana gyratur in Rota.

Recte quidem

Vivens enim Sanctissimus esse noluit

Post facta igitur communi Ecclesiae consensu beatum audiat.

Tu adeo non abludis, quod patruizare dicaris

Ad Gallicanae Theatrum gloriae

Â Sapientissimo Venetorum Senatu

Secundam personam sublimi pede facturus

Unanimis destinatus renuisti.

Timebas, opinor

Ne tot talentorum in Mundi pompam profusione

Pauperibus, qui tui ex Asse haeredes sunt, praejudicaretur.

Cogita Viator!

Quanti ponderis in Alati Leonis balance haec gemma fuerit

quae ad primogenitum Ecclesiae coronam

â tanta Republica destinabatur.

Episcopus creatus

Thaumaturgam tuam Virginem Veronae clarentem

Vaticanis Coronis redimisti.

Nostrae quoque sic honoratae praecipuus Auctor,

cui tantum cum Coeli Regina negotium

Mirum si terrenis Regibus servire recuset?

Veronâ

Quam Sacris Institutis, et exemplo sanctificâsti

Brixiam Papali Autoritate amandatus es

Ut plures Dioeceses Pastoralis fulgore sollicitudinis

Illustres.

Nos itaque

Tui et professione, et merito Minores ex Reformatis

Ob Deiparam nostram Te primo, et praecipuo Motore

Vaticanis auctam Coronis

Auguramur:

ut et Tu aliquando

Post Patrum Sacram in Rotam agaris
Votum est
Non imprecatio.

Elogium Episcopi Segniensis
Virum tibi Viator
congenita claritate fulgentem
suo in Thabor ostendo:
Primus Rattkajiorum
Apostolicam siti arentem Majestatem

Vita potiori lympa refecit,
 Dum per medium secto exercitu
 Putei situlam
 Valido Machaerae libramine â catena vindicans
 Regis vitam, et suam tot exemit periculis,
 quot aquae guttas per inimicas acies
 truculenti virtute portavit.
 Tu Magni Herois genuina Propago
 Trium Episcopatum Peda una manu coerces.
 Quin
 (Quod magnorum Ecclesiae Praelatorum meretur invidiam)
 Beati illius Episcopus es Territorii
 Quo inscrutabili Dei ordinatione
 Nazarethana Domus Originali fundo sublata
 mirabiliter translata fuisse dignoscitur:
 Atque ideo
 Caelicae Reginae nostrae
 Quae prima prodigiosarum Deiparae Imaginum
 Romano in Imperio clarentium
 Vaticanis aureis coronis
 famosa solemnitate inaugurata est.
 Supremus Aulae Praefectus
 felici praerogativa salutandus
 De Mariani porro Valle Paradisi es
 Benedictus Adam.
 Vallis enim Mariae hilaritatum est, non lachrymarum,
 Nunquam igitur de hoc Paradiso ejiciaris Adam,
 sed in Mariana Gratiarum Valle
 Aeternum Vale.
 orDInarIo sVo
 strICT: obserVantIae MInores saCrabant

§. IV.

De prima die Sacri Tridui Coronatae Virginis Tersactensis.

I. Rebus omnibus in rem paratis, ac rite dispositis, congesta etiam tam in Conventu pro benefactoribus, quam oppido pro Peregrinis annona, quâ Civitas quoque Fluminensis opportunè sese instruxerat, Magnifico ibidem Magistratu providè cavente, ut de locandis Cameris adventatum multitudini pro toto posse provideatur: Ad moenia item eductis machinis bellicis quindecim, praecipiebatur Mercatoribus

tam domesticis, quam exteris (nundinae quippe erant) ut hoc triduo officinas clausas teneant. Cavebatur etiam ab Ecclesiastica potestate, ut triduum illud solemne habeatur, et ab operibus servilibus abstinence: dabatur proinde toto hoc triduo omnium Campanarum integrâ horâ signum, quod apud nos quoque, et Parochiam observatum erat. Septima itaque Septembris 1715. post tertiam pomeridianam primae Pontificiales Vesperae inchoabantur, quas solemniter tenuit Ill^{mus}, et R^{mus} D. D. Joannes Paulus Schwenk Abbas Infulatus Divae Virginis Vallis Hungariae, Proto-notarius Apostolicus, et Parochus Imperialis in Laas.

Musicae facultatis praestantiam totum per triduum cum plausu exhibuerunt octo in hac facultate peritissimi, ad humilem nostram Instantiam ab Excellentissimo D. D. Comite Generali, et Commendante Carlostadii, Domino Josepho Rabatta, submissi. Quibus finitis primus sermo Carniolicus habebatur, huic litaniae in Musica succedebant.

II. Die 8^{va} Septembris, videlicet in die Coronationis B'mae Virginis Mariae mane horâ media quinta, quidam ex nostris Concionatoribus Sermonem Carniolicum habuit. Panegyrim verò Croaticam quidam Societatis Jesu Ecclesiastes tenuit. Hora octava Ill^{mus}, et R^{mus} D. Episcopus Dardaniae de Marotti descendit cum Clero, ac Senioribus Patribus initium Coronationis factururus. Sed ea tanta erat populi multitudo (numerabantur enim triginta millium hominum multitudo) ut Antistiti via ad Sanctuarium non pateret; unde consultò conclusum erat, ut Coronatio, quae in Capella perfici desiderabatur, ante portam triumphalem peragatur. In quem finem duodecim armati Valachi, qui ad Coronationis actum processuro Episcopo cum Clero, et Nobilibus viam aperiebant. Adveniens Ill^{mus} Antistes ad Capellam Lauretanam, et elevata Imagine Sacratissimae Virginis in throno portatili procedebat praeunte nostro, et Saeculari Clero praetitulatus Episcopus Pontificio decore fulgidus ad portam Triumphalem extra valvas Ecclesiae erectam, quem sequebatur ARP. Guardianus Petrus Francetich in Bacili, ut vocant, argenteo Vaticanas aureas coronas subtili candido Bisso contextas ferens: illum utriusque sexus Nobilitas comitabatur. Episcopi dextrum latus Mitra, Pedeoque ornatus stipabat R^{mus} D. Joannes Paulus Schwenk Abbas, et Parochus Laassensis, sinistrum R^{mus} D. Joannes Fattori Abbas Infulatus, et Praepositus Pisinensis, nec non ex parte Imperii Parentinae Dioecesis Vicarius Generalis. Dum ê Claustro ad Coemeterium, inde ad Portam, seu Arcum triumphalem ventum esset, ad stratam infra Arcum mensam Sacrum pignus deponebatur. Dein P. Guardianus facta Episcopo reverentia, reducto â coronis aureis velo easdem praesentavit eidem Episcopo. Posthac universo populo indicto silentio concessionis, delegationis, et subdelegationis **Instrumenta**, quae jam suprâ adduxi, legebantur.

III. Quibus intellegibili voce lectis Episcopus *Veni Creator Spiritus* intonuit succinente Clero: dein recitatis ab eodem ad Vaticanae Instructionis praescriptum precibus, excipiebatur ex portatili suo throno Regina Universi, cujus Sacratissimo Capiti auream aptavit coronam, alteram verò minorem Dei, et Virginis Unigenito. In rem vocatus Aurifaber, Sacrae tabulae cochleas fixit argenteas, quae â tergo Sacrae Effigiei intortae Coronas solidè firmârunt: Coronatam cum Filio Virginem suo Throno repositam assistentium adminiculo elevavit Episcopus, Terrae, populoque benedicens, turmatim, et impetuosè prostratum populum ejulatu totis visceribus edito, dixisses saxa movisse! Huic â tergo fuit Clerus noster. Praelati deinde Ecclesiasticorum, item et Saecularium praecipui ad osculum Sacrae Imaginis

ad praetextam argenteam reticulam admittebantur. Quibus finitis *Te Deum* intonuit ter Augustissimae Reginae Coronator, sub quo clangentibus tubis, mortaria probè gravata solvebantur, quem fragorem Campanarum tam Conventus, et Parochiae, quam omnium Ecclesiarum Fluminensis Civitatis clangor secundabat. Recitabantur deinde aliquot Orationes à Coronante Antistite pro Summo Pontifice, Ecclesia, Caesare, Sforziana domo, Sanctuarii Fundatore, ac nostra familia.

IV. Finito Hymno Ambrosiano incipiebatur per Conventus districtum mediae circiter horae gyro processio. Praecedebat Hasta Crucis cum duobus Vexillis Tersactensis Parochiae S. Georgii: hanc sequebatur decem Parochiae forenses cum octuaginta expansis Vexillis, quibus succedebat nostrum Vexillum, post illud diversarum partium copiosissimus Clerus, Dignitatum superpelliceis, et albis cereis provisus (ducenti circiter numerabantur) retro hos R^{mus} D. Hieronymus Genua Protonotarius Apostolicus, Archipresbyter, Vicarius Generalis Modrussiensis, ac Parochus Tersactensis, qui coordinandarum rerum à Patribus rogatus, director fuit, incedebat. Hunc immediate secuti sunt Excell^{mi} D. Comitis Josephi Rabatta Generalis, et Commendantis Carlostadiensis octo praestantes Musici. His successit Caeremoniarius Episcopi cum domesticis ejusdem, ac Dominorum Abbatum Assistentes. Post hos Episcopus, cujus utrumque latus mentionati Domini Abbates, et ipsi pontificaliter amicti stipabant: sequebantur deinde duodecim elegantes Juvenuli pretiosè amicti, qui caelestis Reginae, quasi Ephebi anteibant, odorifera florum folia copiosè prosternentes in via: post hos in pretioso portatili Throno Augustissima Caelitum Imperatrix suo cum filio obrizo Diademate fulgida succolantibus quatuor habitu Levitico vestitis Sacerdotibus ferebatur. Cantabatur haec inter alternantibus modulis à nostro, et Saeculari Clero Hymnus: *Ave Maris Stella*. Strophis interjiciebatur musicus concentus.

V. Dum redeunte processione Coronata Caeli Regina Coemeterio inferebatur, iterum viginti quatuor mortaria tonabant Divinam Matrem festivo fragore salutantia: ad Ecclesiam dum perventum fuisset, collocato super Tabernaculum cum Virgine Throno, circa mediam decimam Missa Pontificalis à Coronante Episcopo habebatur, sub qua praeclarissimae quondam Societatis Jesu Concionator, italicam dixit Panegyrim. Ad elevationem viginti quatuor mortaria insigni tonitru Coronatae Filium adorabant. Tota res Sacra ad mediam secundam pomeridianam protrahabatur. Hora quarta hujus diei Pontificales Vesperas tenuit Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Abbas Joannes Paulus Schwenk Parochus in Laass, sub quarum Canticum duodecim mortaria solvebantur, quibus musicaliter cantatis, litanii successit Concio Croatica in laudem Virginis, quae primam Solemnitatis clausit diem.

§. V.
De secunda die Sacri Tridui Coronatae
Virginis Tersactensis.

I. Hac die 9. scilicet Septembris Sacratissima Coronata Virginis Icon ad Civitatem Fluminensem (cui â P. Guardiano ante bimestre id honoris delatum fuit) processionaliter deportabatur. Mane itaque horâ 5^{ta} Croatica fiebat Panegyris. Circa septimam incipiebat solemne Sacrum, cui pontificaliter operatus est R^{mus} D. Joannes Paulus Schwenk Abbas, et Parochus in Laass. Peracto Pontificali Sacro ordinabatur sollemnis Processio, dum Beatissima Virgo ex Arae suae Tabernaculo levata Ecclesiae valvas egressa est, mox viginti quatuor Mortaria totius Universi Reginam salutarunt: Patefacta per quinquaginta milites Via Flumen versùs ordinatè processum est, nisi quod per scopulos, arbusta, vepresque devotus populus uno non satur intuitu Virginis, iterum visendae gratiâ praecucurrerit, ut iterum, atque iterum videat. Ad pontem fluminis *Recca* praestolabatur Virginem Tersactensem Nobilitas Fluminensis cum Magnifico Magistratu. Vix medium pontis Caelorum Monarha superavit, tum ecce! ab utroque Flumine, Civitate videlicet, et unda cognomine â fixili in ostio navibus, tremente terra, excipitur bellicis machinis Sacratissima Icon, e moeniis Urbis quindecim currulia tormenta gravissime luserunt, è portu aliquot centeni ictus audiebantur. In Civitate durante tota Processione omnis campana personuit, Domus omnes fermè vacuae remanserant, plurimi impransi egerunt diem sola laetitita pasti, â ponte fluminis ad usque portam Civitatis tota Processio uno in igne movit, cui festivo, et innocenti incendio restinguendo lacrymae totis Cataractis effundebantur.

II. Postquam verò ventum ad prospectum Civitatis Januae, cujus interior facies per binos Aureum Diadema gestantes, tubasque inflantes Angelos hoc incitamento obvium Coronatae Virgini evocaverat populum:

Egredimini, et Videte Reginam Sion in DIADEMATE,
 Quo coronavit illam Deus in die laetitiae cordis tui. *Cant. 3.*

III. Adstabat altera triumphalis porta magno artis, et aeris dispendio comparata, cujus frontispicium argenteo scuto palmas inter, et lauros ingeniosissime composito, et sequenti Ritmico in rem sane apto, ac perfacili **Chonographico aureis litteris illinitis** adventantem adsalutabat Deiparam.

AVe VICtrIX HeroIna		123
AVe VIRgo absqVe spIna		17
AVe GenItrIX DIVIna		524
Mater pLena gratIae		1051
		1715

IV. Utrumque Triumphalis Portae latus geminae fulciebant columnae, inter quas Divi Fabianus, et Sebastianus, velut Urbis Advocati Coronatae Virgini ejus adnucleabant ingressum: Fabianus a dextris:

Salve Regina delictum cordis mei. *Ephrem. Syr. Serm. de Virg.*

Ecce dedi coram te Ostium apertum. *Apoc. c. 3.*

Surge igitur formosa, et circumi Civitatem per Vicos, et plateas. *Cant. 3.*

Â laeva verò Sebastianus

Salve solamen Cordium Caelorum Imperatrix! *D. Math. Serm. de Virg.*

Tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita pia memoriae Portas ingrederis. *S.*

Bonav. in Ruth. 4. n. 11.

Ô gaudium ergo super omne gaudium, cum intrabis in me. *S. Cyril.*

V. Columnis Iris in Arcum innixa sublimiori succollabat Machinae, *hac notata inscriptione*

Irim de Caelo misit Sapientia Patris. *Pulchar. paneg. de Nat. Virg.*

Et hoc erit signum foederis, quod do inter me, et Terram. *Gen. 9.*

Praebete ergo corda vestra, et animas vestras, ut introducatur Arca Foederis Domini. *Paral. 1. c. 22.*

Iridis in medio varios inter Genios prostabant Civitatis Insignia hoc circumdata lemmate.

Sub umbra Alarum tuarum sume arma mea, et ingredere. *Reg. 3. c. 22.*

Per Iridem volitabant Geniorum Coetus cum lemmatibus.

Viam itaque facite, praebete iter.

Aufferte offendicula de via. *Isaj. c. 57.*

Et ingredietur Civitatem. *Josue c. 20.*

VI. Arcum suprâ serpebat Flumen, vulgò *Fiumara*, in quo Thetis concha sua Coronatae Virginis Imaginem, Puppis Rectricem Tersactano â Margine ad Fluminensem oram suffragio Charitum transmetabat. Ab ore Virginis legebatur lemma.

Fluvius meus es tu: idcirco ecce ego ad te, et ad Flumina tua. Ezech. 29.

Thetis verò subscripto diserta Epigrammate sorti suae aggratulabatur.

Trans mare sollicitus vehat aurea vellera Jason

Dives, et Jonias sulcet Arion aquas!

Altera Divini mulcet me vena thesauri,

Dum mea transnatat, Viscera Gemma Poli.

Hâc sinè vilescunt pretiosa pericula Gazae,

Hâc sinè sunt inopes, quas colit orbis, opes,

Una ergo posthac, satis haec mihi Gemma, nec esset

Heu satis illa! Deo, quae fuit una satis.

Non procul Fluvius ipse Tritonis adnotabat hoc recitans Epigramma.

Qui te Virgo Parens purgatis comparat undis

quàm nitide Dotes explicat ille tuas?

Utilis Unda solo, sed tu magis utilis orbi;

nec quot tu meritis, tot fluit unda vadis.

Nullus erit, qui possit aquam retinere fluentem,

et tua, qui sistat munera, nullus erit.

Ergo ut perpetuis Tibi FLUMEN abundet in undis

in me praesidium deplue Virgo tuum.

VII. Ejusdem autem Ripis media Sanctos inter Vitum, et Modestum Diva Crescentia ante Coronatam Virginem ingeniculata, et Urbem dextera, laeva verò ingens apertum, et Magnae Matris

580

effigie coronatum Cor offerens eandem alloquebatur:

Ingredere Benedicta Domini, cur foris stas?

(*Urbem versus*) Praeparavi Domum (*ad Cor*) et locum. *Gen. 24.*

Si ergo inveni gratiam in oculis tuis accipe munusculum hoc de manibus meis: sic enim vidi Faciem tuam, quasi viderim vultum Dei. *Gen. 33.*

Urbi hoc adjecerat Chronographicum.

CVsto**DI** prop**It**la **CIV**itate**M.**

Diademati quoque hoc aliud ab Auctore Ruis in terminis decerptum.

Corona **Cor**D**Is** nostr**I** **Virgo** p**Vr**iss**IMa.** *Rus. lib. Lum. de Virg.*

Tandem Cordis in Arca hoc inscripserat Epigramma.

Adventu dum Virgo tuo me gratia ditat,

Ornatum, quo sis suscipienda, paro.

Esse polus cuperem, vel Gemmâ tota nitere,

Aut saltem auratum pandere posse larem.

Attamen haec cum dona mihi Sors dura negavit,

En tibi in Obsequium, quod Penetrare fero?

Hospitibus aliis ormentur limina, Nostri

Tu Domina, et Custos unica Cordis eris.

Haec igitur pia Virgo subi penetralia: majus

Hospitium in terris non cupit ipse Deus.

VIII. Poeticus hisce lenociniis leporem haud immodicum addiderant bina pariter Argumento assona, quae prope Sanctos Vitum, et Modestum legebantur Elogia. Sancti Viti vasta in Tabella impressum leo praesentia Martyris cicuratus dextero pede firmabat, ejusque tenor est hic.

Tibi Soli, quae Sola Tibi

Ê Palaestina Tersactum festinando

In Solitudine Montis Solium solidâsti

CORONATA CHRISTIPARA

Haec **CORDIS** Area sacratur in Aram

Ut

Summum beneficii Tui signum

Orbi signet, Tibi consignet;

Grates in Homagio solvimus, non absolvimus

Tui semper foeneratores.

Pensum hoc immensa Clementia tua compensa!

Peragere siquidem

Minora noluimus, majora nequivimus

Affectum, non effectum metire:

Dumque

spectante Coelo, Actore Homine, Auctore Deo.

QVo **DIe** **Virgo** nas**Cer**Is et**Ia****M** **Coronar**Is

Corona gratiae Tuae.

Urbem tege, incolas protege

et una Clemens, ac Pia
Nos omnes gremio excipe
Exceptos omnes beatos effice.

Ex parte Divi Modesti Civitatis Insigne visebatur, Aquila scilicet Urnam inversam unguibus tenens, et rostro Elogium sequens:

Gentilitia ex Urna aureum sortita calculum
 Ter felix Civitas FLUMEN Patolo ditior,
 Meae alas Aquilae in pennas acuo,
 Diem hunc memorabilem
 Aeternum faustis datura Fastis
 Sanctorum, Caelorum, Angelorum
 DOMINA, REGINA, IMPERATRIX
 Ter Augusta, quater beata, â quinto donata
 Unius Triadis
 Filia, Sponsa, et Genitrix
 VIRGO MARIA
 NatIVitatIs sVae DIc TersaCtano In Monte Coronata
 De triumphatis fatis
 Fatidica Triumphatrix
 Hoc triumphale Urbis ingressura limen
 Orbem in Triumphum sui, meique rapit:
 Quinimo, et Superos
 Mearum Spes, et aruspex faustitatum!
 Ita est, Cives!
 Mala tempora hoc sub sidere
 Melioribus pensabuntur
 Aetatis ergo aureae
 Redivivam mihi, vobisque felicitatem
 Hocce in accessu Mariano
 Dum gaudio in VIRGINE CORONATA abundo
 laetabunda ominor pro coronide.

IX. Tegebant Triumphalis Januae dispositionem matutina crepuscula in firmamento, stella jam unica (quam luciferum vocant) et primis aurorae crepundiis, venustissimè repraesentata: Inter haec Nazarethana Domus (cui Coronata Virgo insidebat, luna sub pedibus, et solis amictu illustris) alto splendore suffusa, et in nubecula, quâ primùm apparuerat per Angelos è Palaestina Tersactum advecta non absque oculorum, animique gaudio visebatur, eò magis, quod et haec singula Victricis Deiparae haud irritò excogitata Mysteria suis itidem animabantur inscriptionibus; volitabant enim hinc inde Angelici Genii sequentibus in Coronatam Imperatricem alludentes lemmatibus:

Primi ad firmamentum:

Oculi Dominae nostrae sicut firmamentum mane rutilans *Gloss. D. Bonif. in Eccles. c. 34. 13.*

Fulget enim quasi splendor firmamenti. *Dan. c. 12. 3*

Alii ad crepuscula

Oculi ejus, ut palpebrae diluculi. *Job. c. 41. 3*

Ideo visitas nos diluculo. *Job. c. 7. 18.*

Alii ad Auroram

Progreditur quasi Aurora consurgens. *Cant. 6. 4.*

Sicut lux Aurorae oriente sole absque nubibus rutilat. *2. Reg. c. 23. 4.*

Alii ad stellam

Quasi stella matutina in medio nebulae lucet. *Eccl. c. 50. 6.*

Radix, et Genus David, stella splendida, et matutina. *Apoc. c. 22. „16.*

Alii super nubeculam

Ecce Nubes lucida. *Matth. c. 17. 5.*

Et ecce gloria Dei apparuit in Nube. *Exod. c. 16. „10.*

Alii super Sanctam Domum

Haec est Domus Dei. *Paral. 2. c. 22. „1.*

Sanctuarium tuum Domine, quod firmaverunt manus tuae. *Exod. c. 15. „17.*

Alii super Coronatam Virginem

Luna sub pedibus ejus, amicta sole, et in Capite ejus Corona: undique Maria in signum magnum, undique circumfusa luce. *S. Bern. Sermon. de Virg.*

Fulgebat vestibus Regiis, Coronam auream portans in Capite, omnisque Civitas exultavit, et laetata est. *Esth. c. 8. 15.*

Absolvebat Triumphalis Machinae fastigium à longe figuratus Emphyrei prospectus, ubi Divina Trias triumphantem sibi Ancillam, Sponsam, et Matrem coronabat, hoc lemmate.

Ô pulcherrima Mulierum. *Cant. c. 9. V. 17.*

Veni sponsa mea, Veni coronaberis. *Cant. c. 4. V. 8.*

Et posuit Diadema Regni in Capite ejus. *Cant. c. 2. V. 17.*

X. Supereminebat tandem molis in Apice Augustissimum Austriacae Domus compendium. Invictissimus scilicet Imperator Noster Carolus VI. Augustissimis stipatus Imperatricibus Elisabetha conjuge, Eleonora Matre, et Amalia Cognata. Ad latus cujusvis Aug^{marum} personarum coelestis videbatur genius, congruis in rem cum lemmatibus, inter quae ingeniosissima erant Duo illa purè Scripturistica, quibus Aug^{mae} Imperatrici Regnanti filius ominabatur, prout etiam contigit. Aug^{mae} Imperatricis Matris genius:

Exaudita est oratio tua, et eleemosynae commemoratae sunt in conspectu Dei. *Act. c. 10. 31.*

Ut videas filios filiorum tuorum. *Psal. 127. 6.*

Genius Aug^{mae} Imperatricis Amaliae

ECCE ELISABETH COGNATA tVa ConCepIt, aC parIet fILIVM. *Luc. c. 1.*

Genius Aug^{mae} Imperatricis Regnantis

ELISABETH eCCE nVnC ConCepItI, aC parIes fILIVM. *Gen. c. 16. 11.*

Genius Aug^{mi} Caesaris Caroli

Posuit solium suum super omnes Principes. *Est. c. 3. 1.*

Et ecce nunc multiplicabit te Deus tuus sicut astra coeli. *Deut. c. 10. V. 12.*

Pro coronide Operis aderat tempus infracta clepsydra hoc lemmate

His ergo nec metas rerum, nec tempora pono,

Imperium sine fine dedi.

Virg. 1. Aeneid.

XI. Populo intrante in Civitatem sequebantur Confraternitates, et Congregationes, Scholae, dein Clerus Regularis, et Saecularis, deinde nos, inde Clerus Fluminensis, hunc suprafati Musici, hos Episcopus cum Praelatis, Caeremoniario, et Assistantibus. Hinc et hinc ponderosis candidae cerae facibus nigro consiliari habitu indutus Magnificus Civitatis Magistratus comitabatur. Anteibant 24. elegantes Juvenculi Angelico habitu decori, caelestis veluti Reginae Ephebuli. Hos sequebatur Nobilitas tam domestica, quam forensis. Processionem claudebat exotica utriusque sexus hominum multitudo, ob quam, ne aliqua confusio contingeret, nostris quinquaginta armatis â Magnifico Publico centum alii jungebantur. Pervenientes ad medium fori in secundam offendimus Portam Triumphalem Arcubus laureatis, variisque eleganter intertextam palmis, suprâ quam **pictum Cor eminebat hoc cum Chronographico, et Epigrammate:**

BeneDIC etIaM CIVes VIRgo gratIosa

Dum nostrum ingressu limen dignaris amico,
Parthenis aetherei prima corona Chori:
Jus erat, ut roseis pluerent fora nostra procellis,
Lamberet, et Dominos Indica Bacca pedes.
Attamen haec, quaecumque forent, nitidissima Virgo
Ante tuum fuerint Victima parva Jubar:
Nam licet exciperis nova nostris Advena tectis.
Advena sed nostri non nova Cordis ades.

XII. In Cruce symbolica, quae nostros praecedebat, superius in radianti gloria, Coronata Virgo juxta miraculosam Imaginem copiata visebatur, **cum hoc Chronographico:**

SanCta MarIa DeI GenItrIX TERSaCtensIs

Subtus, seu in corpore hastae symbolica Nazarethana Domus Tersactum translata, radiante circumferentia in aere repraesentabatur, circa quam **Chronographicum** legebatur:

DoMVs, In qVa habItabat RegIna Coronata TERSaCtI stetIt.

Ex altera parte, quoniam contagionis metus invaluit, superius Mariae Nomine insignita stella diffusis apparebat radiis, supra legebatur: *Stella Coeli*. In corpore hastae utriusque sexus, et status Christianus populus per modum supplicis advolutus oculos figebat in stellam cum inscriptione: *A peste succure nobis*.

XIII. Progrediebatur inde eo, quo dictum est, Ordine tota Processio versus Collegiatam Beatae Mariae, ubi ante Portam Ecclesiae **tertia Triumphalis extabat Janua hoc cum Elogio:**

Ave
Evae Aeua
Auro laureata
Laureti, Caelorumque Regina
Divina Imperatrix

Post Triumphales Arcus
Olympum hoc in Templo
Quod tibi pietas nostra pandit pro solio
Pro Capitolio scande.

Ubi cedente Olympici fani profana gloria
 Virtutum omnium Pantheon invenies
 Te ipsam
 Suspice igitur Clementissima
 Et Benignissima suscipe
 In hac Ara
 Communis homagii Arrham
 Dum tuis ingeniculati pedibus
 Amoris vincti compedibus
 Unanimes aeternum captivi sacramur
 Cordibus in holocaustum datis
 AVrea Corona tVa sIt nobIs InDIes
 CoMpos fortIor
 Eja igitur
 Captivis fave, captos fove
 Nam unice, qui se tibi mancipat, emancipatur.

XIV. Supra Aram majorem prodigiosae Virginis Thronus reverenter deponebatur. Pontificale Sacrum tenuit Ill^{mus}, et R^{mus} D. Episcopus Virginis Coronator. Post Nicaenum symbolum quidam è R. R. P. P. Capucinis eruditam Panegyrim Coronatae dicebat Virgini. Meridiem transgressa functio, et confertissimi populi lassitudo suadebant, prodigiosam Virginem in Ara Collegiata depositam publicae venerationi expositam usque ad horam quartam pomeridianam permittere. Ardebant interea circa Beatissimam Matrem magni ponderis albae candelae, cui alternans Clerus, et frequens populus continuo adfuit. Horâ itaque quarta omnibus campanis regressus signa dabantur, omnibus ad ingressum paratis Episcopus *Te Deum* intonuit, deinde Sacerdotum humeris exceptus Deiparae Thronus, eo, quo ventum est, ordine levabatur versus Ecclesiam Sancti Viti R. R. P. P. Societatis Jesu: congruum quippe Ill^{mo} Antistiti injecta hac de re mentione videbatur, ut praeteriens Divina Mater Filium ibidem inviseret, qui in Ara Majori illius Ecclesiae claret miraculis (de quo vide dicta c. 1.). Processit tum ad Aram quidam Societatis Sacerdos, et brevissima Oratiuncula famosae Panegyri suppari in rem affectuosè ludit, quam insignis musicus praecessit. Nulla oblivione oblitterandum est mirabile factum, quod hac occasione contigit, quodque anno Christi 1763. Tersacti tacto manu pectore Venerandae Canitiei senecio P. Antonius Jankovitsch Soc. Jesu, qui anno Coronationis Deiparae Tersactensis Philosophiae Professore agebat, enarravit in hunc modum, quod nempe viderit Virginem Coronatam ad ingressum Ecclesiae totam lucidam, et Caelesti quodam splendore circumfusam, quam primum verò supra Aram sui Unigeniti sexto vulnere vulnerati deposita fuit, tota pallida effecta est, dum verò ab Ara levata fuisset, denuo pristinum splendorem obtinuit. Mota Processione, ac Civitatem egressa Episcopus cum Sacra Icone Terrae, marique benedixit. Cum Virgo ostio Fluminis appropinquaret, eidem e quindecim tormentis, aliisque in portu navibus valedictum est. Dici vix potest, quam tenero affectu suae Sedi Caelorum

Imperatrix â praeipuis praesertim Fluminensibus, et Clero, ac copioso populo sit restituta. Illuminabatur Mons Sacer â pede ad usque verticem flammantibus Cereis, quorum splendor tenebrarum suffragio mirè augebatur. Cùm ad Coemeterium per-ventum esset, Nobilitas, Clerus, et populus

dividebatur, ut transeunti Caelorum Reginae amplam adaperiat viam, vix illa ingressa viginti quatuor Mortaria reversam Dominam ignitis fragoribus exceperunt, Sedi suae restitutae litaniae presolvebantur, quibus finitis Ill^{mus} Antistes Nobilitati, Clero, et populo benedicens cum iisdem Flumen descendit. Et sic secundae diei festivitas claudabatur.

§. VI.

De tertia die Sacri Tridui Coronatae Virginis Tersactensis, et Epilogo devotionis.

I. Media quinta mane nostrum unus ad copiosissimum populum Croaticum sermonem habuit: eodem idiomate ê R. R. P. Augustinianis Praedicator circa septimam concionatus est. Solemne Pontificale Sacrum tenuit R^{mus} D. Abbas, et Praepositus Pisinensis Joannes Fattori, sub quo lingua Italica egregiè peroravit alius ex eodem Sacro Ordine Eremitarum Sancti Augustini Concionator, ad elevationem Sacrae Hostiae viginti quatuor mortaria Trisagium fulminarunt. Vesperae fiebant musicis instrumentis, has solemnes sequebantur litaniae, quibus finitis suo se faldistorio restituit Episcopus Croatico sermoni praebiturus aures, quo finito praelaudatus Episcopus *Te Deum* intonuit, sub quo non Ecclesiae modo nostrae, et Parochiae, sed et Civitatis Fluminensis omnes Campanae personuère, ac viginti quatuor mortaria festivum Vale Virgini Coronatae dedebant suo boatu. Post Hymnum Ambrosianum, et dictis Orationibus Episcopus ad superiorem majoris Arae gradum ascendit, ibique conversus ad populum Mitra, Pedoque gravis nobis, et discessuris non sine lachryma benedixit. Dum nostri de hinc caenarent, quatuor Religiosi Divinam Matrem ê portatili Throno levantes eandem suae pristinae sedi reverenter restituerunt.

II. Quantus Populi confluxus ad Sacram Deiparae Tersactensis coronationem factus sit? Accuratum concurrentium numerum etiam exactissimus subministrare haud potest, constans tamen et concors fide dignarum personarum sententia est, hoc triduo longe ultra sexaginta millia hominum confluisse, quod â Sacristis opportunè monitis (ut absumptarum particularum numerum exacte adnotent) utcunque sciri poterat. Primo enim solemnis Tridui die apud nos quindecim millia particularum distributa fuerunt. Secundo Tridui die, licet solemnis Processio cum Icone Coronata ad Civitatem Fluminensem instituta multam populi multitudinem secum abduxerat, ad novem tamen millia hominum apud nos tantum communicata fuisse constat. In tertium diem perperam crediderunt Confessarii se â tanto fatigio paulisper quieturos: ast numerus hac die communicantium longe superabat numerum pridie absolutorum. Civitatenses etenim, nec non circumjacentium locorum accolae commodum distantioribus primo biduo cessuri, devotionem in tertium de conducto distulerunt: at praeter mentem ipsorum factum est, ut ultima solemnī feria communicantium tantum ad duodecim millia numerarentur, sicque in nostrâ tantum

Ecclesia per decursum hujus Tridui triginta sex millia Sacra communione refecta sunt: Praeterea in = et extra Civitatem Fluminensem, et Oppidum Tersactanum, in insigni Collegiata Fluminensi, apud R. R.

P. P. Ordinis Eremitarum S. Augustini, R. R. P. P. Societatis Jesu, apud R. R. P. P. Capucinos, et Moniales Ordinis S. Benedicti innumerus quasi populus Sacra providebatur synaxi. Quinquaginta circiter Confessarii excipiendis expositi erant Confessionibus, et ferme quotidie usque ad secundam pomeridianam, ingens tamen lamentum erat, aliquot confluentium millibus reconciliationis beneficium fuisse substractum. Hoc porrò Triduo in decem nostrae Ecclesiae Aris ac tribus Ecclesiae Parochialis S. Georgii, nongentae circiter Missae celebratae erant.

III. Ex his quilibet rectas rerum aestimator facile colliget, quanta multitudo hominum ad hanc descriptae Coronationis primam sub germanico Imperio practicatam solemnitatem concurrerit? multo verò major populorum confluentia praesertim ex statu Veneto, nimirum Istria Veneta, ac adjacentibus Insulis Veglia, et Cherso, seu Ossoro, ac aliis remotioribus partibus fuisset, si ob contagionis metum clausi passus viam non praeclassissent. Felix Coronatio Virginis nostrae gratiosae, quae aureum tunc Diadema suo vidit impositum Capiti, cum depositi fuissent ad pedes Filii tot milliones reatum. Ne autem haec sollemnis Deiparae Coronatio nunquam è memoria excidat hominum, quidam devotus Mariophilus sequentem, quae semper in Choro post litanias Lauretanis alternantibus à Patribus cantatur vocibus, composuit Cantilenam:

Coronata Mater Dei
Tu Solamen Cordis mei
Spes es, et Refugium
Hic in Sede gratiarum
Monstra nobis pignus charum
Jesum tuum Filium.
Huc cum domo advenisti
ut quà pia Mater Christi
dispensares gratiam
Nazarethum tibi Ortus
Sed Tersactum primus portus
petenti hanc patriam

Aedem quidem hinc tulisti
attamen hic permansisti
Regina Clementiae
Nobis inde gratulamur
digni quod hic habeamur
Maternae praesentiae.
Quae hic coronata Sedes,
ante tuos flexi pedes
Adoramus Filium
Dum tenellum sinu tractas
tunc pro nobis preces jactas
Triadis Triclinium.

IV. Quia verò in suprà §. 2. n. 2. allata Romana Institutione cautum fuit, ut Coronationis peractae testimonium à Notario, et duobus testibus subscriptum, cum promissione Rectoris Ecclesiae quod nunquam Coronas aureas à Coronatis Capiti-bus detrahare velit, Romam transmittantur, hinc **pluribus testibus subscriptum Attestatum à publico Notario signatum** confectum fuit (prout in **Originali** videre est) tenoris sequentis:

In Nomine Domini Amen

Anno à Nativitate Domini Millesimo Septingentesimo decimo quinto, Indictione Octava, die 8. mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Clementis XI. Divina providentia Papae anno XV. Regnante Augustissimo Carolo VI. Romanorum Imperatore Hispaniarum, Hungariae, Bohemiae

Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae etc. Rege etc. etc.

Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Georgius Franciscus Xaverius de Marotti Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Dardaniensis, Coadjutor Ecclesiae Petinensis, Sacrae Caesariae, et Catholicae Matris Consiliarius, Praepositus Rudolphswertensis, Archidiaconus per Carnioliam inferiorem, et Marchiam Sclavonicam etc. Ad instantiam Ad'm R'ndi Patris Petri Francetich Guardiani, et totius Venerabilis Conventus P. P. Ordinis S. Francisci Reformatorum Provinciae Croatiae et Carnioliae Tersacti, considerato tenore Instrumenti sibi ab eodem P. Guardiano consignati prout sequitur (*Hic insertae sunt litterae delegationis Episcopo Segniensi factae Coronandi Virginem Tersactensem, una cum litteris Capituli Vaticani, et Instructione ejusdem, ut §. 2. n. 2. videre est: dein sequitur*)

Quia verò aegritudo Ill^{mi}, et R^{mi} Domini Episcopi Segnensis, et Modrusiensis non sinebat eundem ad solemnem hunc actum devenire, vigore alterius subdelegationis eidem Rev. P. Guardiano ab Ill^{mo}, et R^{mo} Joanne Francisco Barbado Episcopo Brixienti transmissae, tenoris, prout sequitur (*Hic adjunctae sunt litterae subdelegationis P. Guardiano consignatae, quas videre licet supra §. 2. n. 4. deinde sequitur*)

Cujus vigore praefatus Ill^{mus}, et R^{mus} Dominus Georgius Franciscus Xaverius de Marotti rogatus assumpsit Coronationem Sacrarum Iconum, et juxta instructionem sibi in Instrumento praescriptam cum expressa facultate Ill^{mi}, et R^{mi} Domini Episcopi Segniensis, et Modrusiensis ritu solemni devenit ad praefatam Coronationem, duas nempe Coronas aureas imponens, unam Iconi Beatissimae Virginis Mariae, alteram Jesulo apponens, et à perito Artifice bene solidatas Ad'm R'ndo Patri Guardiano, et Patri Vicario Conventus Ordinis S. Francisci Reformatorum ibidem Tersacti consignavit, qui R. R. P. P. bene noti, et cogniti in mei Notarii Publici, testiumque infrascriptorum praesentia praesentes, et personaliter constituti se sponte, ac omni meliori modo etc. suo, totiusque Conventus nomine obligarunt ad easdem semper conservandas, et manutenendas Capitibus Jesuli, et Mariae in Sacra Icone expressis etc. sub obligatione etc. Quae Sacra Icon ita Coronata Sollemni Pompa, et processionaliter circa Ecclesiam circumlata fuit, et dein iterum ad Aram suo loco reposita fuit. In quorum fidem, et testimonium praemissorum omnium, et singulorum praesens publicum Instrumentum per me infra scriptum confectum fuit.

Actum Tersacti in Ecclesia R. R. P. P. Franciscanorum Anno, Indictione, Mense, Die, et Pontificatu, quibus suprà.

Praesentibus ad praemissa praeter innumeram populi multitudinem Ill^{mis} Dominis Octavio Lib. B^{ne} de Terziis S. C. M. Aulico Consiliario bellico, Comendante Fluminis, ac Tersacti: Francisco Ignatio Lib. Bar. Androcho ab Andros, Josepho Ernesto S. R. I. Equite de Lebbeneg, et Excell^{mo} Domino

Blasio Stanzione J. U. D. et Vicario Fluminensi testibus habitis, vocatis, atque rogatis. Qui omnes unà cum Ad'm R'ndo P. Guardiano proprio, totiusque Vn'blis Conventus Nomine pro majori validitate sese manu propria subscripserunt, et solita sua sigilla respectivè apposuerunt.

- FR. Petrus Francetich â Flumine Ex-Pro-
 (L. S.) vincialis, et Guardianus proprio, et praedicti
 Conventus nomine promitto, ût suprâ m'ppa
 (L. S.) Octavius Lib. Baro de Terziis Capitaneus m'ppa
 (L. S.) Franciscus Ignatius Androcha liber Baro ab Andros m'ppa
 (L. S.) Josephus Ernestus de Lebbeneg Sacri Roma-
 ni Imperii Eques m'ppa
 (L. S.) Don Blasius Stanzione U. J. D. Vicarius, et lo-
 cumtenens Civitatis Fluminis. Manu propriâ.

Ego Franciscus Laurentius Fraccassa Juris utriusque Doctor, ac Sacra Imperiali Auctoritate Notarius Publicus praemissis omnibus rogatus interfui, praesens Instrumentum confeci, subscripsi, et solito mei Tabellionatus signo munivi in fidem m'ppa.

L. Sig.

Nos Judices, et Rectores Civitatis Fluminis S. Viti Fidem indubiam facimus, ac universis, quibus expedit, attestamur superscriptum Dominum Doctorem Franciscum Laurentium Fraccassa esse Notarium Publicum Imperialem, ac talem, qualem se facit, cujus Scripturis publicis his, ac similibus subscriptionibus plena hic adhibetur fides, ac ubique locorum meritò adhiberi potest. In quorum fidem etc. Datum Flumine Sancti Viti die 4. Octobris 1715.

- (L. S.) Xaverius Andreas Gaus Juris
 Utriusque Doctor, et Secretarius publicus testor m'ppa

V. Haec sunt candide lector! quae de solemnî, et huiusque in Romano Imperio inaudita Coronatione Beatissimae Virginis Mariae Iconis miraculosissimae, â S. Luca Evangelista pictae, et ab Urbano V. in consolationem tristissimae gentis ob Almae Nazarethanae Domus Tersacto Recinetum translationem Româ transmissae ex P. Petro Francetich olim Ministro Provinciali, et tunc Conventus Tersactensis Moderatore, ac insigni Mariani cultus, ac Coronationis promotore pro posterorum notitia scribere decrevi. Iam non superest aliud, nisi ut tu coronata Mater mihi in hac miseriarum valle degenti eam gratiam impertiti digneris, qua adjutus hic per semitas Justitiae ingrediens, tuae Coronae in Coelis particeps reddar.

Caput XI.

Catalogus Fratrum (quorum notitia haberi potuit) in hoc Conventu piè in Domino defunctorum.

1584. 8. Sept. R.P. Joannes Ferlanich Guard. act. pertransiens vadum ponte nondum extracto in mari, inversa navi submersus est.
1651. 16. Nov. Rel. Fr' Raphael Pipan Laicus.
1652. 15. Decemb. A.R.P. Franciscus Glavinich, ter Minister Provincialis, et pro tempore Guard. Tersact. Praedic. Apostolicus Ann. ... Rel 54.
1659. 11. April. AVP. Dionysius Ivankovich Ex-Diff'or, Alter Nathanael, in quo dolus non fuit, vir simplex et rectus corde.
1660. 1. Oct. Fr' Adamus Papler, laic. ann. 22. Rel. 3.
1661. 13. Sept. Rel. Fr' Andreas Kralnig laicus.
1662. 22. Jan. R. F. Didacus Germanus laic.
1669. 17. Jan. Rel. Fr' Nicolaus Somitrovich laic.
- 24. Oct. A.V.P. Uriel Bennas Ex-Diff'or.
1672. 15. April. A.R.P. Petrus â Flumine, Ex-Diff'or, et Provinciae Pater.
1673. 17. Decemb. VP. Didacus Figar.
1678. 4. Decemb. MVP. Michael Oberschnell Con'or, lect. et actual. Vicar.
1679. 4. Octob. MVP. Balthasar Mussig.
1682. 18. Julii A.R.P. Candidus Barbaritius â Pisino, olim Provincialis.
1683. 17. Sept. Rel. Fr' Josephus Berak laic. ann. 31. Rel. 13.
1684. 12. Maji Rel. Fr' Adrianus Rucich Cler.
1687. 11. Feb. MVP. Silvester Gabler.
- 6. Decemb. V.P. Martinus Pillepich Flum. ann. Rel. 22.
1691. 8. Jan. VP. Leo Colliman Conc. ann. 61. Rel. 18. Croata Bribiriensis fuit in Saeculo Presbyter.
1692. 5. Jan. M.V.P. Candidus Jagenteüffel
1695. 23. Sept. Rel. Fr' Ivo Merzina laic.
- 22. Sept. Rel. Fr' Jacobus Janesitsch laic. an. Rel. 39.
1697. 1. Jan. M.V.P. Bartholomaeus Zulliani saepius Guard.
1699. 15. Jan. Rel. Fr' Didacus Chumar laic. ann. 52. Rel. 32.
1701. 9. Maji V.P. Sigismundus Bittiniz an. Rel. 34.
1704. 26. Dec. Rel. Fr. Abraham Nastran laic. ann. 63. Rel. 33.
1705. 26. Feb. V.P. Alexius Benulich ann. 29. Rel. 11.

590

1705. 11. Sept. A.V.P. Antonius Kraa conc. lect. Gn'lis. Diff'or aggr. ann. 64. Rel. 44.
1706. 25. Mart. Rel. Fr' David Brenk laic. ann. ... Rel. 41.
1707. 9. Junii M.V.P. Bonaventura Metternich conc. et actual. Guard. ann. 66. Rel. 40.
- 9. Dec. Rel. Fr' Salvator Reitter laic. ann. 23. Rel. 2.
- 16. Dec. V.P. Antoninus Premuss ann. 34. Rel. 12.
1711. 10. Aug. VP. Octavius Carina Theol. stud. an. 27. Rel. 5.
1712. 25. Mart. MVP. Bernardinus Rodar ann. ... Rel. 51.
- 16. Sept. Rel. Fr' Adalbertus Egker laic. chyr. ann. ... Rel. 18.
1715. 1. Jun. Rel. Fr' Capistranus Budimir laic., natione Turca ann. ... Rel. 20.
- 4. Jul. V.P. Cornelius Qualiza Theol. stud. ann. ... Rel. 5.
- 9. Jul. M.V.P. Alphonsus Abramsperg Theol. lector act. ann. 32. Rel. 12.
1719. 25. Jun. V.P. Josephus Stemberger Conc. act. ann. 39. Rel. 20.
1720. 3. Feb. R.P. Michael Hervatina lect. Emer. et Diff'or act. ann. 49. Rel. 26.
1722. 8. Feb. MVP. Georgius Lucich Con'or Guard. et Mission. in Licha, et Corbavia ann. 59. Rel. 40.
1724. 1. Apr. V.P. Simon Grohavaz Theol. stud. obiit ante Primitias ann. 24. Rel. 6.
- 29. Jun. Rel. Fr' Eusebius Pinter laic. ann. ... Rel. 19.
- 7. Aug. VP. Lucas Ricci Theol. stud. ann. 27. Rel. 6.
1725. 20. Apr. MVP. Laurentius Stemberger Conc. et Guard. ann. ... Rel. 31.
- 12. Nov. Relig. Fr. Casimirus Sloigk laic. ann. ... Rel. 22.
1726. 3. Apr. Rel. Fr' Raymundus Kerchne laic. an. 59. Rel. 27.
- 20. Julii. M.V.P. Joannes Capistranus Battich saepius Vic. et Guard. ann. ... Rel. 37.
1727. 25. Jul. V. P. Sergius Fischer ann. ... Rel. 27.
1728. 6. Junii A.V.P. Bernardus Schein Conc. eximius, lect. Gen'lis, Ex-Diff'or, et Guard. act. ann. 50. Rel. 32.
- 15. Julii AR.P. Petrus Francetich â Flumine Conc. lect. Gn'lis, Ex-Diff'or, et Provinciae Pater, Coronationis V. Mariae Tersactensis promotor, et scriptor, et per 15. annos hujus Conventus Guard. ann. 75. Rel. 56.
- 10. Octob. A.R.P. Theodoricus Lucich Conc. lect. Gn'lis, Ex-Diff'or, Ex-Cust., Provinciae Pater, et actualis Guard. ann. 56. Rel. 36.
1729. 1. Feb. Rel. Fr' Hilarinus Merch laic. ann. 28. Rel. 8.
1730. 22. Jan. V.P. Hieronymus Gorzar ann. ... Rel. 26.
- 22. Jan. Rel.F. Valerianus Battich laic. ann. 49. Rel. 29.

1732. 4. Martii Rel. Fr' Florianus Polli laic. ann. 78. Rel. 56.
 2. April. M. VP. Xistus Menzi Vic. et Guard. ann. 55. Rel. 35.
 11. April. Rel. Fr' Candidus Krainz laic. coqu. ann. ... Rel. 18.
 1734. 22. Jan. Rel. Fr' Gregorius Repich laic. ann. ... Rel. 35.
 1735. 2. Feb. MVP. Fortunatus Chernich, Senior Provinciae Professus ann. 85.
 Rel. 63.
 19. Nov. A.V.P. Henricus Dugar, Ex-Diff'or, ann. 54. Rel. 31.
 1737. 17. Jan. M.V.P. Apollinaris Kertiza Conc. Vic. ann. 63. Rel. 43.
 1738. 4. Dec. Rel. Fr' Fortunatus Huetter laic. laic. ann. 80. Rel. 52.
 1741. 25. Nov. Rel. Fr' Joannes Baptista Bositius laic.
 8. Dec. R.P. Clarus Pasconi Conc. lect. Gn'lis, Ex-Diff'or, et Cust. act. Hist-
 oriae Tersactensis Scriptor, et insignis Mariani cultus promovendi Zelator
 ann. 58. Rel. 42.
 1743. 1. Dec. A.V.P. Basilius Battauz lect. gn'lis, et Diff'or aggreg. ann. 54. Rel. 35.
 1745. 1. Mart. Rel. Fr' Justus Schalk laic. Chyr. ann. 62. Rel. 39.
 1746. 31. Dec. Rel. Fr' Josephus Preckner laic. ann. 57. Rel. 34.
 1747. 18. Apr. A.V.P. Eugenius Gottschever Conc. lect. gn'lis, ter Prov. Diff'or
 ann. 71. Rel. 55.
 19. Jun. Rel. Fr' Thaddaeus Francetich laic. ann. 78. Rel. 44.
 4. Oct. Rel. Fr' Salvator Huebeisen laic. ann. 37. Rel. 15.
 1748. 10. Dec. A.V.P. Albertus Cherne Conc. lect. gn'lis, Guard. et Diff'or act.
 ann. 56. Rel. 33.
 1749. 19. Dec. M.V.P. Udalricus Furlan Guard. et actualis Vic. ann. 55. Rel. 36.
 6. Mart. Rel. Fr' Cresconius Sidarich laic. ann. 63. Rel. 39.
 1751. 20. Jan. M.V.P. Carolus Romold conc. lect. gn'lis et Ss. Can. act. ann. 44.
 Rel. 28.
 9. Mart. M.V.P. Josephus Wachovitsch conc. saepius Vic. et Guard. ann.
 66. Rel. 49.
 1752. 4. Mart. V.P. Ezechiel Sulligoi ann. 69. Rel. 50.
 1754. 17. Nov. V.P. Eustachius Rusconi ann. 55. Rel. 31.
 1755. 31. Aug. M.V.P. Capistranus Zuppardi Conc. saepius Guard. ann. 67. Rel.
 47.
 1756. 8. April. M.V.P. Rudolphus Gorsche Conc. et Guard. ann. 58. Rel. 39.
 1757. 23. Dec. Rel. Fr' Ivo Schweiger Laic. sculp. ann. 77. Rel. 51
 1758. 16. Mart. Rel. F. Victorinus Tichi laic. Chyr. ann. 66. Rel. 46.
 26. Aug. M.V.P. Sophronius Pillepich Conc. Ss. Theol. lect. act. ann. 37.
 Rel. 17.
 11. Dec. V.P. Andreas Draschitz Jub. ann. 75. Rel. 52.
 1760. 14. Sept. M.V.P. Bernardus Nabergoi conc. Ss. Theol. lect. ann. 36. Rel.
 19.
 1761. 2. Nov. Rev. P. Franciscus Corradini Ss. Theol. lect. saep. Guard., Ex-Di-
 ff'or, Ex-Custos ann. 67. Rel. 51.

592

1764. 30. Jul. A.V.P. Petrus Moysè Conc. lect. gn'lis. Ex-Diff'or, ann. 59. Rel. 43.
1766. 17. Oct. M.V.P. Paulus Spingarolli conc. Guard. ann. 75. Rel. 57.
1768. 10. Jan. M.V.P. Nicephorus Abbich conc. lect. gen. et act. Guard. ann. 50. Rel. 32.
1770. 21. Maji A.V.P. Amadaeus Praepeluh conc. saep. Guard. et Ex-Diff. ann. 66. Rel. 48.
1771. 27. Maji M.V.P. Benevenutus Fracassa Conc. saep. Guard. Sacerd. Jub. ann. 78. Rel. 59.
1773. 12. Sept. Rel. Fr' Homobonus Lobmayr laic. ann. 69. Rel. 38.
1776. 25. Aug. V.P. Raynerius Sadnig ann. 39. Rel. 19.
- 15. Nov. V.P. Cyprianus Craglich ann. 36. Rel. 17.
- 1779.⁴¹⁴ 12. Mart. V.P. Romualdus Strukl Carn. Tulmin. vir simplex, et rectus corde ann. 67. Rel. 50.
1780. 28. Feb. Rel. Fr' Dismas Lepushitsch Carin. Villac. laic. ann. 72. Rel. 42.
- 5. Sept. VP. Perpetuus Zuvek Carn. Idriens. an. 34. Rel. 17.
- 28. Dec. Rel. Fr' Marcus Schnidertschitsch Carn. Laassensis ann. 66. Rel. 37.⁴¹⁵
1782. 28. Sept. Rel. F. Sulpitius Sterle Carn. laic. an. 55. Rel. 28.
1783. 1. Maji AVP. Chrysogonus Schustertschitsch lect. Gn'lis, Ex-Def'or Carn. Eisn. ann. 67. Rel. 49.
- 16. Aug. VP. Thadaeus Maurich Con'or Dalm. Segnien. ann. 55. Rel. 36.
- 25. Aug. VP. Aloysius Fridhelm Boh. Org. an. 48. Rel. 27.
1785. 10. Jan. RF. Bajulus Brattusch laic. e Comitatu Gorit. Zhepovanens. sut. ann. 44. Rel. 20.
- 13. Jun. MVP. Rogatianus Mladenich Con'or, Lect Gn'lis Liburn. Flumin. ann. 58. Rel. 40.
- 3. Sept. RP. Constantinus Lakovich Con'or, Diff'or act. Dalmata Segniens. ann. 63. Rel. 45.

Caput XII.

Elenchus Patrum Guardianorum, in quorum notitiam deveniri potuit, hujus Ter- sactensis Conventûs.

- MVP. Martinus de Rachoviza 1481. et 1486.
M.V.P. Nicolaus â Segnia 1548. 1549.
M.V.P. Joannes Brynani 1558.
M.V.P. Nicolaus â Segnia 1570.
M.V.P. Georgius â Pisino 1582.
M.V.P. Joannes Ferlanich 1584.
M.V.P. Jacobus â Mantua 1587.
M.V.P. Antonius Diuchich 1593. – [Bievčič.]⁴¹⁶
A.V.P. Georgius â Pisino 1595. 1596. 1597.
M.V.P. Erasmus N. 1601.
A.R.P. Franciscus Bogdanich Provinciae Pater 1602.
A.R.P. Joannes Panthaleon Solomich Provinciae Pater 1603.
M.V.P. Matthaeus Vidoss 1604.
M.V.P. Franciscus Glavinich Conc. 1609.
M.V.P. Seraphinus â Sehio 1610. 1611. 1612.
A.R.P. Franciscus Glavinich Conc. Prov'iae Pater, et Cust. act. 1613. 1614. 1615.
1616.
R.P. Bernardinus Scrivanich Ex-Custos, Diff'or act. 1617. 1618. 1619.
M.V.P. Franciscus Horvoy 1620. 1621. 1622.
A.V.P. Antonius Vitellius, aliàs Telletenovich, Ex-Diff'or 1623. 1624.
M.V.P. Antonius de Vitalis 1625.
M.V.P. Josephus Stopajevich 1629.
M.V.P. Uriel Bennas 1632. 1639. 1640. 1641.
A.V.P. Candidus Barbaritius â Pisino, Diff'or act. 1642.
A.R.P. Franciscus Glavinich Praedic. Apost. saepius Diff'or. ter Minister Pro'alis
1643. 1644. 1646. 1647. 1648. 1650. 1651. 1652. usque ad diem 15. De-
cembris, quò die ex hac vita migravit.
A.R.P. Alexander Rampel bis Ex-Diff'or, Prov'iae Pater 1653.
A.V.P. Fabianus Widner Ex-Diff'or 1654. 1655.
A.R.P. Alexander Rampel bis Ex-Diff'or, Ex-Custos, et Prov'iae Pat. 1656. 1657.
1658.
M.V.P. Maxentius â Castua Con'or 1659. 1660.

594

- M.V.P. Franciscus Benkovitsch Con'or G'lis 1661.
 M.V.P. Gabriel Tonjutto Con'or 1662. 1663. 1664.
 M.V.P. Laurentius Thomassich Con'or 1664. el. 15. Nov. 1665.
 A.V.P. Uriel Bennas Ex-Diff'or 1666.
 M.V.P. Laurentius Thomassich Con'or 1667.
 A.R.P. Petrus â Flumine lect. Theol. Ex-Diff'or, Provinciae P'r 1668. 1669.
 M.V.P. Didacus Figar Con'or 1670. 1671. 1672.
 A.V.P. Laurentius Thomassich Con'or 1673. 1674.
 M.V.P. Paulus Surian Con'or 1675.
 M.V.P. Antonius Bressan Con'or gn'lis 1676. 1677.
 M.V.P. Franciscus Uzollini Con'or, lect. 1678. 1679.
 M.V.P. Vitalis Majeritsch Con'or 1680.
 A.V.P. Laurentius Thomassich Con'or, bis Ex-Diff'or 1681. 1682. 1683.
 M.V.P. Franciscus Uzollini Con'or Gn'lis, et lect. 1684. 1685. 1686. 1687.
 A.V.P. Ferdinandus Stadler Con'or, Ex-Diff'or 1688.
 M.V.P. Philippus Columbichius Concionator, lector gener. 1689. 1690.
 M.V.P. Petrus Francetich Con'or, Lect. gener. 1691. 1692. 1693.
 M.V.P. Franciscus Scalletari Con'or, lect. Theologus elect. 26. Nov. 1693.
 M.V.P. Bernardinus Gregoritsch, Con'or, lect. general. 1694. 1695.
 A.V.P. Vincentius Lampretich Con'or, Ex-Diff'or 1696.
 A.V.P. Petrus Francetich Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or 1697. 1698. 1699.
 M.V.P. Carolus Janesitsch Con'or 1700.
 A.V.P. Petrus Francetich Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or 1701.
 A.R.P. Bernardinus Gregoritsch Con'or, lect. gener. Prov'iae P'r et Ex-Cust. 1702.
 1703. 1704.
 M.V.P. Angelicus Direin Con'or, lect. 1705.
 M.V.P. Bonaventura Metternich Con'or 1706.
 M.V.P. Marcus Cragui Con'or 1707.
 M.V.P. Sigismundus Babel Con'or 1708.
 A.R.P. Petrus Francetich Con'or lect. gener. bis Ex-Diff'or, Provinc. P'r 1709. 1710.
 M.V.P. Joachimus de Gratia 1711.

- A.V.P. Theodoricus Lucich Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or 1712. 1713.
- A.R.P. Petrus Francetich Con'or, lect. gener. ter Diff'or Prov. P'r 1714. 1715. 1716.
- R.P. Theodoricus Lucich Con'or, lector gen., Ex-Diff'or, Cust. habit. 1717. 1718. 1719.
- A.R.P. Petrus Francetich Con'or, lect. gener., saepius Diff'or, et Prov'iae P'r 1720. 1721. 1722.
- M.V.P. Laurentius Stemberger Con'or 1723. 1724.
- A.V.P. Sigismundus Babel Con'or 1725.
- M.V.P. Silverius Vidig 1726.
- A.V.P. Bernardus Schein Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or 1727. usque ad 6. Jun. 1728. quô die obiit.
- A.R.P. Theodoricus Lucich Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or, Ex-Custos Provinciae Pater 1728. usque ad 10. Octob. qua die ex hac vita transiit.
- A.V.P. Sigismundus Babel Con'or, bis Ex-Diff'or 1729.
- A.V.P. Henricus Duger Con'or, Lect. Theolog. Ex-Diff'or 1730. 1731. 1732.
- A.V.P. Eugenius Gottschever Con'or, lect. gener. bis Ex-Diff'or 1733. 1734. 1735.
- A.V.P. Basilius Battauz Con'or Lect. gener. Diff'or aggreg. 1736. 1737. 1738.
- M.V.P. Benignus Gerini Con'or, Lector generalis 1739. 1740. 1741.
- A.V.P. Eugenius Gottschever, Con'or, lect. gen. ter Ex-Diff'or 1742.
- M.V.P. Carolus Romold Con'or, lect. gener. 1743. 1744. 1745.
- A.V.P. Albertus Černe Con'or, Lect. Theolog. Ex-Diff'or 1746. 1747.
- A.V.P. Franciscus Corradini Con'or, Ss. Theol. lect. Ex-Diff'or 1748. 1749. 1750.
- A.V.P. Benignus Gerini Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or 1751. 1752.
- M.V.P. Capistranus Zuppari Con'or 1753.
- A.V.P. Franciscus Corradini Con'or, Ss. Theol. lect. bis Ex-Diff'or 1754. 1755. 1756.
- M.V.P. Amadaeus Praepeluh Con'or 1757. 1758. 1759.
- R.P. Franciscus Corradini Con'or, Ss. Theol. lect. bis Ex-Diff'or, Ex-Cust. 1760.

596

- M.V.P. Jacobus Kukaina Con'or, Lector gener. 1761. 1762.
M.V.P. Juvenalis Smodin Con'or, lector gener. 1763. 1764. 1765.
M.V.P. Nicephorus Abbich Con'or, lect. gen. 1766. 1767. usque ad 10. Jan. 1768.
quò die obiit.
M.V.P. Gelasius Vosich Con'or, lect. gen. 1768. 1769.
M.V.P. Philippus Petteneg Con'or, lect. gener. 1770. 1771.
A.V.P. Chrysogonus Schustertschitsch Con'or, lect. gen. Ex-Diff'or 1772.
M.V.P. Colmanus Mulei Con'or, Lect. Theol. 1773. 1774. 1775.
M.V.P. Nemesianus Markovig Con'or, lect. gen. 1776. 1777. 1778.
M.V.P. Clarus Pasconi, Con'or, lect. gener. 1779. 1780. 1781.
MVP Colmanus Mulei Con'r lect. Thl'gus 1782.
MVP. Clarus Pasconi Con'or, lect. Gn'lis 1783. 1784. 1785. 1786. 1787.
M.V.P.⁴¹⁷ Paulus Suppe Con'r 1788. 1789. 1790. 1791. 1792. 1793. 1794.
A.V.P. Willibaldus Grassich Con'r Consultor 1795. 1796. 1797. 1798. 1799. 1800.
1801.
A.R.P. Paulus Suppe Ex-Minister 1802. 1803. 1804.
A.R.P. Willibaldus Grassich Ex-Minister 1805. 1806. 1807.
A.V.P. Barlaam Keser Con'r Consultor 1808. 1809.
A.R.P. Willibaldus Grassich 1810. 1811. 1812. 1813. 1814. 1815. 1816. 1817.
1818. obiit 12ma Februarii 1818. ⁴¹⁸Deinde aligabantur:
A. 1818 A.R.P. Barlaam Keser, Ex-Custos 1819.
A. 1820 M.R.P. Raymundus Maurovich, Lect. Theol. 1822–1826
A. 1826 M.R.P. Bernardus Czalampich, Con'or, 1827–1838
A. 1838 A.R.P. Jacobus Marentsichitsch, Df'tor usque 1841.
A. 1841 A.R.P. Albertus Schubitz Df'tor, et 1844 mortuus est.
A. 1844 A.R.P. Jacobus Marentsichitsch Ex-Min'r usque 1847.
A. 1847 M.R.P. Gelasius Rubida Paroch. Adm. em. usque 1850
A. 1850 M.R.P. Hieronymus Jankovich, Df'tor postea Custos – 1862
A. 1862 M.R.P. Jovita Zettin, cath. schol. norm. Em. usque 1865.
A. 1865 A.R.P. Hieronymus Janković usque 1868.
A. 1868 M.R.P. Wilhelmus Ricolli, Prof. Gym. em. die 7. feb. 1870 [†]
A. 1870 A.R.P. Hieronym. Janković, praesidens.
A. 1871 Idem Guardianus usque ad Congregationem 1872.
A. 1872 A.R.P. Nemesianus Smoković, Df'tor et Custos hab. 1874. 1874. 1875.
1876.
A. 1877 R.P. Bonaventura Sell, Lect. Theol. em. Nov. Mag. 1878. 1879.

597

19. Dec. 1778

Sigillum

Conventus Tersactani praesefert Coronatam Imaginem B. V. Mariae in ulnis tenentis Jesulum *sugentem ubera* cum **hac inscriptione**: SIGIL. MIN. CONVENT. S. MARIAE GRAT. TERSACTENS.⁴¹⁹

598

[prazna stran]

III. CONVENTUS

B'mae Virginis Mariae Gratiarum

In Monte Sancto

In Comitatu Goritiensi

Caput I.

De Comitatu Goritiensi.

I. Comitatus Goritiensis, qui olim sub generali Illÿrii nomine audiît, habet orientem Carnioliam pro termino, ad septentrionem partim Carnioliam, partim Carinthiam respicit. Occidentem versus forum Julii Venetae ditionis pro confinio agnoscit, ac ad meridiem mari Adriatico vulgo *Golfo di Venezia* adjacet. Huic Comitatus est nunc etiam universus Comitatus Gradiscanus, uterque enim ab uno eodemque Capitaneo regitur, et gubernatur. Hoc modo sumptus Comitatus Goritiensis â Carniolia secernitur per fluvium, qui *Haidoviam* [*Hubel*]⁴²⁰ interfluit usque Vipacum, ubi â fluvio Vipacensi, olim *Frigido* dicto absorbetur, dein trans praedictum fluvium per *Laitenburg* [*Lože*]⁴²¹ usque ad S. Joannem in Duino, vulgo *Tybain*. Ad septentrionem continet Comitatus Goritiensis Tulminium usque Alpes Carnicas sub sua jurisdictione, ac ex parte occidentali se extendit Dominium Goritiense usque ad forum Julii Venetae ditionis. Totus Comitatus ab oriente ad occidentem 10. circiter, ac â meridie septentrionem versus 12. circiter germanica comprehendit milliaria. Incolae loquuntur quamvis corrupte idiomate, qui verò trans fluvium Lisontium in foro Julii habitant, speciali utuntur dialecto, nec calent idioma Carniolicum, sed loquuntur lingua Furlanica, quae est quaedam mixtura ex idiomatibus Italico, Gallico, et Latino compaginata.

II. Hujus Comitatus principalis est Civitas *Goritia*, germ. *Görz*, quam olim *Norejam*, vel *Noritiam* aliqui historici nominatam fuisse praetendunt. Haec Civitas est Residentia Capitanei hujus Comitatus, qui olim integer erat sub jurisdictione Spirituali Patriarchae Aquilejensis, nunc vero sub Archiepiscopo S. R. I. Principe Goritiensi, etenim anno 1750. erat Patriarchatus Aquilejensis â Be-

nedicto XIV. Summo Pontifice in duos Archiepiscopatus videlicet Utinensem, et Goritiensem divisus, hac lege ut Archiepiscopi Goritiensis sint suffraganei illi Episcopi, qui sunt sub ditione Austriaca, qui verò sub dominio Veneto degunt, sint suffraganei Archiepiscopi Utinensis. Anno praedicto Primus Archiepiscopus Goritiensis denominatus fuit Ill'mus, et R'mus D. D. Carolus Michael ê Comitibus ab Attimis Canonicus Basileensis, et Visitor Apostolicus per Dioecesim Aquilejensem ex parte Imperii. Pro sustentatione Archiepiscopi plurimum contulit Ill'mus D. Augustinus Codelli de Fahnenfeld, qui praeter alias pias foundationes pro Archiepiscopatu 40000 fl. numeravit. Hic idem D. Archiepiscopus, unà cum Successoribus suis ab Augustissimo Imperatore Francisco I. in numerum S. R. I. Principum anno 1758. relatus fuit.

III. Ecclesia Metropolitana Goritiensis nunc valde celebris, ac ob tot Sanctorum praesertim Ss. Hermagorae, primi Aquilejensis Patriarchae, et Fortunati ejus Diaconi Martyrum Reliquias, quae Aquileja Goritiam post erectionem novi Archiepiscopatus translatae erant, nominatissima est. Non minoris magnitudinis, et pulchritudinis est Ecclesia quondam P. P. Societatis Jesu. Exornant pariter Civitatem alia virorum, ac mulierum Monasteria, et quidem R. R. P. P. Conventualium Ordinis Minorum, ubi extat penes Ecclesiam, Capella S. Antonio Patavino Sacra, in qua S. Antonius, dum in vivis ageret, habitasse dicitur anno 1226. ut tabella appensa demonstrat. Extra Civitatem R. R. P. P. Capucini Ordinis S. Francisci suum erexerunt humile domicilium cum spatioso horto in loco, quae vulgò *Plazutta* dicitur Fratres Misericordiae collocati sunt Ordinis S. Joannis de Deo. His accedunt R. R. P. P. Carmelitae media circiter hora â civitate in quodam monticulo *Castanoviza* dicto siti. Hos virorum Conventus sequuntur duo mulierum monasteria, unum Sanctimonialium Ordinis S. Clarae, aliud Societatis S. Ursulae Virginis, et Martyris.

IV. Antequam Comitatus Goritiensis mandatis Archiducum Austriae parere coeperit, â propriis Comitibus gubernabatur, quorum aliqui etiam Comitatus Tyrolensi, ac Ducatus Carinthiae praeerant. **P. Bernardus de Rubeis Ordinis Praedicatorum in hist. Eccles. Aquilej.** orditur geneologiam Comitum Goritiensium texere ex monumentis ejusdem Ecclesiae â duobus fratribus Engelberto, et Mainardo, seu ut aliis placet, Mainhardo, aut Minghinardo, qui ad annum Christi 1122. vixerunt, alii Mainardo praeponunt plures alios, ut Cunonem, qui genuit Marquardum, â quo Henricus, qui habuit Successorem Udalricum, hic Wilhelmum, Wilhemus Albertum, Albertus verò genuit Mainardum I. qui, ut praecitata monumenta Ecclesiae Aquilejensis

innuunt, genuit duos filios, Henricum, quem II. nomino, et Engelbertum, pariter II. Mainardus I. et ejus filius Henricus II. anno 1150. jam ex hac vita emigrasse leguntur.

V. Engelbertus verò II. ex Mattilde Comitissa Andacensi, per quam Comitibus Goritiensibus multum splendoris accessit, procreavit Engelbertum III. et Mainardum II. ambo anno 1186. adhuc in vivis degebant. Engelbertus III. ex Adelheide Alberti Comitis Tyroleos filia progenuit Mainardum III. Mainardus verò III., postquam genuisset Mainardum IV. Albertum II. et Adelheidem, quae nuptui tradita erat Perillustri Domino Friderico Comiti ab Ortenburg, ex hac vita migravit A. C. 1255. Obitus Alberti II. non innotuit.

VI. Mainardus IV. ex Elisabetha Ottonis Ducis Bavariae filia copiosam suscepit prolem, ac 1^{mo} Elisabetham, quae Alberto Romanorum Regi in matrimonium data fuit, obiitque anno 1313. 2^{do} Ottonem I., qui ex Poloniae Ducis filia quatuor procreavit filias, quarum una in Siciliam Petro Friderici Regis filio nupsit, altera Anna nomine Rudolpho filio Rodulphi Palatini in matrimonialem sociam data fuit, aliae duae florem Virginalem morientes ad caelestia transtulerunt, obiit Otto die 25. Maji anno 1310. 3^{tio} Albertum III. qui sibi Alberti Comitis de Hagerloh filiam in matrimonium adscivit, ex qua genuit filiam, quae postea Friderico Purgravo Norimbergensi nupsit. Obiit Albertus die 24. Aprilis anno 1292. 4^{to} Ludovicum I. qui in caelibatu vixit, caelebsque obiit die 22. Sept. anno 1305. 5^{to} Henricum III. Carinthiae Ducem, qui tres habuit uxores, primam Annam Bohemiae Regis filiam, quae obiit die 3. Septembris 1313. secundam Adelheidem Ducissam Brunsvicensem, quae demortua est anno 1320. tertiam Beatricem Comitissam de Sabaudia, quae obiit die 20. Decembris anno 1331. Ex omnibus tribus uxoribus unicam Henricus III. progenuit filiam Comitissam Tyrolis nomine Margaritham ob oris turpitudinem *Maultasch* dictam. Ipse verò Henricus extremum clausit diem die 4. Aprilis anno 1335.

VII. Albertus II. frater Mainardi IV. cum Offinia Comitissa ab Ortenburg propagavit stemma Comitum Goritiensium, ex qua genuit Mainardum V. Albertum IV. et Henricum IV. hic Henricus duas habuit uxores unam Beatricem è familia Turriana, alteram itidem Beatricem Stephani inferioris Bavariae Ducis filiam, ex hac posteriori genuit Joannem-Henricum. Joannes-Henricus matrimonio sibi copulavit Annam Friderici Regis Austriaci filiam circa annum 1336. Obiit Joannes-Henricus sine haerede, cujus relicta vidua Anna Austriaca contemptis secundis nuptiis mundi vanitatibus nun-

cium misit, ac, ut unice Jesu aeterno Sponso serviret, et placeret, habitum Ordinis S. Clarae in Monasterio Viennensi devotissimè sumpsit, emissâ solemnî professione ob praeclara virtutum merita, et singulare Regularis Observantiae studium, post paucos annos Abbatissa effecta est. Ex hac vita omni virtutum genere decorata migravit ad Sponsum die 1. Januarii 1343.

VIII. Mortuo itaque Joanne-Henrico sine haerede successerunt in Comitatu Goritiensi Alberti IV. sui patrui tres filii, videlicet Mainardus VI. Albertus V. et Henricus V. Henricus anno 1350. mense Majo desponsavit sibi uxorem Ziliolam Jacobi de Carraria filiam, ast Henricus sine haerede decessisse dicitur anno 1358. Mainardus VI. uxorem habuit Catharinam, quae Comitis Cilejensis filia fuisse creditur, ex qua duos genuit filios videlicet Mainardum VII. et Henricum VI. Mainardus VII. (qui circa annum Christi 1394 obiit) duos Minorenes reliquit filios videlicet Henricum VII. et Joannem-Mainardum, quorum tutorem usque ad legitimam aetatem egit R^{mus} D. Joannes Episcopus Gurcensis, eisdem Comitibus sanguine junctus.

IX. Cum anno 1420. Veneti plurima loca, et terras ad Patriarcham Aquilejensem spectantes suo subjecerint dominio, ivit Henricus VII. Comes Goritiae Venetias ad Serenissimum Ducem petens ab eo immitti in terras, quas Comites Goritiae jam prius à Patriarcha, et Ecclesia Aquilejensi in feudum obtinuerunt. Dux justis, et rationabilibus petitionibus praedicti Comitis annuere volens, praefatas terras feudales pro se, et suo fratre Mainardo benignè confirmavit die 1. Novembris 1424. Henricus VII. tres habuit filios videlicet Joannem, Leonardum, et Ludovicum, quorum Joannes natu major nomine suo, ac suorum fratrum Leonardi, et Ludovici à Serenissimo Principe Venetiarum D. Francisco Foscari denuo, Bona Ecclesiae Aquilejensis, quae sui Antecessores tenebant, in feudum recepit anno 1455. Joannis, et Ludovici fratrum post hunc annum nulla recurrit memoria. Leonardus verò, an frater Joannis, et Ludovici? an hujus Leonardi filius? ut aliis placet, sine haerede anno 1501 mortuus genealogiam, et stemma clausit Illustrium Comitum Goritianorum.

X. Quam celebres fuerint olim Comites Goritienses? ex praedictis facile patet, quippe qui saepius Comites Tyrolis, Duces Carinthiae exstiterunt, sed suas filias etiam Regibus, ac Imperatoribus desponsandas dederunt. Emortuis Comitibus Goritianis Comitatus Goritiensis ad domum Austriacam, cui jam ex parte, ut habet **Bernardus Roo de reb. Austr. lib. 11.** oppignoratus erat, devolutus fuit consentiente Senatu Serenissimae Reipublicae Venetiarum sub certis conditionibus inter eandem, ac Maximilianum I. et Ferdinandum I. initis.

Caput II.
De origine et progressu Ecclesiae B'mae
Virginis Mariae
In
Monte Sancto.

§. I.
De miraculosissima Beatissimae Virginis
Apparitione.

I. Dominus Noster Jesus Christus, dum humanae reparationis opus inchoare, et perficere intendebat, in vili stabulo nasci, in humili praesepio reclinari, à mutis animalibus agnosci primò voluit, ac, dum toti mundo suae Evangelicae legis praecepta promulgare voluit, assumpsit in id opus non Phariseos Sanctitatis simulatores, non Judaeorum legis peritos, non populi Principes, sed elegit abjectos in plebe, qui testimonium perhiberent veritati, ac Evangelium Christi per universum mundum disseminarent, videlicet indoctos piscatores, et ex natura sua rudes. Sui Unigeniti filii Sanctissimis vestigiis tenacissimè inhaerens B^{ma} Virgo Maria suam fidelibus gloriam, dignitatem, patrociniandi, ac suis clientibus gratias dispensandi auctoritatem, ac in hoc Sacro monte habitandi voluntatem, non per aliquem terrae Principem, aut aliam conspicuae dignitatis personam, sed per infimam, et vilem plebis pasterculam populo annunciare et promulgare voluit.

II. Acciderat namque anno à Christi Nativitate 1539. sedente in Petri cathedra Paulo III. clavum Romani Imperii in Occidente tenente Carolo V. Austriaco, Regimen verò Capitaneatus, Goritiensis Comitatus moderante D. Gabriele Comite ab Ortemburg, ut devota quaedam puella ex vicino oppido *Gargar* nuncupato oriunda nomine Ursula Ferligoiniza die quodam Sabbatino gregem sibi concreditum in apice Montis Aquarii (germ. *Wasserberg*, vulgo *Skauniza*, aut *Neusukauniza*, ut in **subjecto instrumento de aedificanda Ecclesia** patebit, aut etiam *Sira* dicto, ut habet **P. Franc. Glavinich de ortu, et progressu provinciae Bosnae Croatiae, et Pius V. in quadam Bulla infra adducenda de dato Romae A. C. 1566**) supra Salcanum minaret, tantaque mentis erectione, ac spiritus fervore ibidem obsecrationibus insisteret, ut digna effecta fuerit, cui pientissima Coeli Regina Virgo Maria in gloriosa forma suum si-

nistra sustentans Filium se aspectabilem praeberit, ac locum huncce, in quo gratias pro Materna erga Clientes suos affectione, et munificentia dispensare velit, à se peculiariter esse electum blande insinuaverit, hoc eidem adjiciens praeceptum:

DIC POPULO, UT AEDIFICET MIHI HIC DOMUM,
ET PETAT GRATIAS.

III. Ursula fortunatissima pecoraria facta Coelorum Reginae ablegata, statim Goritienses incolas convenit, iisdem legationis suae munus insinuando, simulque fervide cohortando, ut coelestium gratiarum dispensatricis imperium, quantocius executioni dare adlaborent, ut et ipsi à Gratiarum Matre coelestibus donis repleri mereantur. Goritienses rem insolitam primò, et minus verisimilem meritò arbitrati, missà in custodiam Ursulâ, in veritatem factae apparitionis accuratius inquirere statuerunt. Deipara gloriosissima verò (non est enim Consilium contra Dominum) salvis, et immotis ergastuli repagulis sibi eam, et Gregi eodem in Monte velut futuro coelestium donorum emporio mirabiliter restituit: Juventa ibidem nixa genibus, et orationi jugiter intenta ad carcerem denuo rapitur examini subjienda, quae licet omni humano destituta auxilio iterum, atque iterum libera Divina virtute evasit, novoque hoc miraculo apparitionis veritatem confirmavit. Factum proinde, ut suspensa legali inquisitione, veritatis nihilominus penitus perspiciendae causa, Clerus cum Senatu apricum Montem *Skauniza*, vulgatae apparitionis locum processionaliter petierint: ubi, dum dilectam Dominae puellam in genua provolutam, aestuantissimisque iterum orationibus intentam reperissent, nedum prodigiosam Coelestis Thesauraria apparitionem juridica penitus repudiata inquisitione omnino exploratam voluere. Sed et Sanctam Oratricem venerati plenam extemplo fidem eidem adhibuere, adeo, ut vulgatam continuo prodigosae apparitionis veritatem, tanta illius persuasio affectusque tum Goritiensium, cum aliorum etiam dissitorum populorum animos occupaverit, quantam nullo unquam tempore oblitterandam, et è hominum pectoribus avellendam merito sunt arbitrati.

IV. Hujus mirabilis apparitionis mentionem etiam facit **P. Martinus Bauzerus Rerum Norm.**⁴²² **et Forojuliensium scriptor, qui lib. 10. c. 5.** sic loquitur: Ejus Aedis (*Montis Sancti*) origo ex tabulis ejusdem loci sequens fertur. Anno Christi 1539. Ursulae faeminae in Montis vertice, qui vico Salcano supereminet, constitutae, precibus intentae spectandam se B'ma Virgo exhibet, utraque manu filium praeferens, ita Ursulam allocuta: Annuntia populo, ut hoc loco domum mihi

erigat, ac gratias in illa petat. Vulgata ab Ursula B'mae Virginis apparitio, complures ad eum locum vivendum concivit. Ursula titulo delusionis, aut vanae superstitionis in vincula abrepta, ex carcere autem iterato, ac tertio ope B'mae Virginis educta in praefato Montis vertice reperitur intenta orationi. Exinde Clerus, ac populus in memorato loco experti gratiam Dei, potestatem fecerunt Ursulae vulgandi Coeleste oraculum, et apparitiones. Exinde â populo confluente collata non pauca sunt dona ad auspicandam Sacram Aedem, quae Anno Christi 1544. Patrocinio B. V. dicata Deo, Mater Gratiarum appellata fuit, in quam fuit illata B'mae Virginis Imago ejus formae, qua spectandam se B'ma Virgo praebuerat Ursulae: Tandem propter plures gratias, ac beneficia sanitatum â Deo collata hominibus, locus ille dictus est Mons Sanctus, ubi erectum Franciscanorum Coenobium auxit devotionem accurrentis populi.

V. P. Martinus Bauzerus in hac sua descriptione ad tabulas loci provocat. Sed male; Etenim, quod B'ma Virgo Ursulae apparuerit filium utraque manu gestans, in Archivio Montis Sancti haud reperitur, quin potius contrarium non quidem ex tabulis, sed picturis, quae antiquitatis veritatem instar tabularum testantur, omnino erratur: Etenim formae, qua B. Virgo Ursulae apparuit, nulla sit in loci tabulis mentio; in Ecclesia verò supra fornicis arcum pictura ad Aram Coronatae, et Magnae gratiarum Matris accedentibus adspectabilis fit, apparitionem B. Virginis repraesentans videlicet B'mam Virginem in gloria collocatam. Jesulum dextera sustentantem, sinistra Ursulae inter gregem locum indigentem, in quo Ecclesiam gloriosissimis suis honoribus, et dispensandis gratiis praecepit, ut haec subjecta inscriptio denotat

Beatissima Virgo Ursulae Ferligoinizae in supra-
dicta forma hoc in loco apparuit A^o MDXXXIX.

VI. Etsi verò pictura haec posterioribus P. Bauzero temporibus circa annum 1720. post celebrata Incoronationis solennia confecta dignoscatur ex altera è regione inscriptione eodem certè stilo exarata

Et ritu Vaticano solenniter coronata fuit VI.
Junii MDCCXVII.

Illa tamen dictante eximio P. Romualdo Sitter, sic facta praesumi debet, prout apparitionem gloriosissimae Virginis Ursulae factam, aut ex monumentis Scripturarum, quae verò injuria temporis perierunt, aut ex perenni tradito, quod verisimilius est, intellexit: caeteroquin vir omni virtutum, et scientiarum genere ornatissimus insinuatam suprâ inscriptionem tanta fidentia subjici non curâset. Itaque si domesticas res egregie tractantibus, et provide simul curantibus amplior fides, quam exteris, ut res ipsa postulare videntur, sit adhibenda, tum profecto Bauzerus formam apparitionis B'mae Virginis ad tabulas loci minus exacte confinxisse, imo errâsse est dicendus, Iconem thaumaturgam, quae A^o 1544. sub ea forma

Utino allata, et Arae imposita prodigiosis, et hodie gratiis clarescit cum apparitionis Imagine confundens.

VII. Hujus miraculosissimae, et veracissimae apparitionis Ursulae factae testimonium perhibet **R^{mus} D. Jacobus de Ischia** Nobilis Forlanus Archipresbyter in Palma, qui **in sua historia Comitatus Goritiensis italicè scripta**, et **Utini anno 1684. impressa** sic scribit: *Sotto all' Impero stesso di Carlo nel Prencipato Goritano, e d'intorno â gli anni del Redentore 1539. dimonstrossi miracolosa la gran Madre di Dio sopra l'alto Monte di Salcano ad Orsola Ferligoinizza povera pastorella. E furano indi cosi meravigliosi i portenti, ammirati etiandio, e sperimentati da popoli di lontanissime Regioni, che 'l loro ne sorti poi per eccellenza il nome, e 'l titolo di Madonna del Monte Santo.* Si his testimoniis, ac perpetuae traditioni perennes gratiae, quas nedum circumvicini, sed et ex dissitis Regionibus copiosè confluentes populi se accepisse quotidie contestantur, in considerationem vocatae, et sobria crisi discussae addantur, fieri haud posse videtur, ut cordatus animus famae de sic facta B^{mae} Virginis apparitione, et dispensandarum hoc in Monte gratiarum adpromissione omnino non deferat.

§. II.

De aedificatione, et Consecratione Ecclesiae.

I. Convicti Goritienses de veracitate apparitionis B. V. Mariae, ejusque mandato de aedificanda Ecclesia, mox anno sequente apparitionem Virginis videlicet 1540. collatis inter se consiliis decreverunt praedictum Deiparae mandatum executioni dare. Quapropter quatuor viri Civitatis Goritiensis et oppidi Salcanensis videlicet Nobilis D. Antonius Papes de Goritia, Primosius Criviz, Gregorius Basini, et Andreas Michelitz omnes tres Salcanenses nomine omnium convenerunt spectabilem D. Gregorium de Scepaco exactorem Camerae fiscalis Goritiae, â quo petierunt facultatem aedificandi in Monte *Skauniza* juxta imperata gloriosissimae Deiparae domum, in qua eadem conformiter ad sua promissa gratias suis devotis dispensaret gratias. Praefatus D. Exactor optime conscius apparitionis Virginis Mariae, et mandati Ursulae dati, de consensu Magnifici D. Hieronymi ab Attimis Goritiae, et Comitatus locumtenentis, praedictorum virorum honestae, et piaae petitioni libenter annuens, non tantum fundum Ecclesiae, sed etiam terram extra muros Ecclesiae circumquaque ad 32. passus eisdem benignè concessit; probè enim noverat, futurum, ut alia aedificia tum pro peregrinorum habitaculo, tum pro Ecclesiasticorum

commoditate, quos pro legendis Missis, habendis concionibus, ac peregrinorum fidelium excipiendis confessionibus advocare oportebit, erigenda necessariò essent.

II. Ut autem praedicta cunctis magis pateant, **Instrumentum concessionis fundi pro construenda Ecclesia confectum** in Domo praedicti Exactoris die 11. Decembris anno 1540. ex ipso Originali adduco, quod hunc continet tenorem:

In Christi Nomine. Amen. Ab ipsius Nativitate anno Millesimo quingentesimo quadragésimo, indictione tertia decima, die autem undecimo mensis Decembris, Actum Goritiae in domo Exactoris infrascripti in Etalomo Superiori praesentibus Primosio Petersich de Vogrishka, Blasio Primosio de Bebnina, ac Matthaeo Suester, dicto Chaza testibus habitis, vocatis, et rogatis. Ibique spectabilis Dominus Gregorius de Scepaco exactor Camerae fiscalis Goritiae cum praesentia Magnifici D. Hieronymi De Attimis Goritiae, et Comitatus dignissimi locumtenentis consentientis, et dantis suum votum, annuens honestae petitioni Nobilis D. Antonii Papes de Goritia, Primosii Criviz de Salcano, Gregorii Bassini, et Andreae Michelitz de Salcano intervenientium pro Ecclesia aedificanda super monte Neuskauniza supra Gregarium ad honorem beatae Virginis Matris Mariae per se etc. dedit, et concessit eisdem praesentibus, petentibus, et conducentibus nomine dictae Ecclesiae construendae, passus triginta duos fundi ab omni latere extra muros Ecclesiae ad habendum etc. et fabricandum desuper, prout ipsis videbitur, tamen, quod debeant dimittere aliqualem plateam, solvendo quotannis tempore S. Michaelis Camerae fiscali Goritiae de censu Cruciferos octuaginta, et hoc sine praejudicio juris Gastaldiae Contratae declarando expressè, quod custodia festorum ibi pro tempore fiendorum spectet Gastaldioni Contratae, et ex nunc cum A. D. Andrea Chelbel ad praesens hon: Gastaldione Contratae ibi praesente paciscendo, et conveniendo, quod de tribus festis solemnibus, quae ibi quotannis (Deo dante) fient, omnes regaliae duorum obveniant Gastaldioni Contratae, tertii autem festi regalias exigant intervenientes pro Ecclesia praedicta cum onere faciendi in tali die impensas D. Gastaldioni, et sociis custodientibus festum. Quam quidem concessionem, et omnia, ac singula supradicta, suprascriptae partes promiserunt manutenere, et habere firma, et rata, et ad invicem observare obligantes hinc inde bona omnia mobilia, et immobilia, praesentia, et futura.

(L. S.)

Petrus de Portis de Dalmatio Incola
Goritiae publicus Imp. auth. Notarius
interfuit rogatus, scripsit, et publicavit
cum signo, et nomine suis.

III. Obtenta gratiosè aedificandae Ecclesiae facultate illico Mariani cultores primo Capellam quamdam, et dein populi aere sedulo collecto, sponteque collato Aedem ipsam in continenti sub Syndicatu Ulvini Comitſ ab Attimis filii Friderici vice-Capitanei Goritiensis ab inclytis statibus Comitatus specialiter electi ipsam Ecclesiam intra 4. annorum spatium ex lapidibus quadris indefessa sollicitudine, et labore in honorem Sanctissimae Virginis Mariae construxerunt. Id silentio praeterendum non est, quod vel unum Montem huncce gloriosissimis honoribus B'mae Virginis Mariae â saeculis â Deo praeparatum commonstrat. Equidem dum Operarii praeruptas diffringendo rupes construendae Ecclesiae sternunt planum, impacto ligone, heu rem stupendam! in loco vastae solitudinis, et ab hominum habitatione prorsus semoto, politae ad flavum vergentis colorem petrae fragmentum (quod etiamnum retro Aram S. Annae [nunc Josephi in latere evangelii]⁴²³ appensum advenae admirabundi conspiciunt) eruunt, in quo *Salutatio Angelica* hieroglyphicis characteribus affabre insculpta inventa est. Quod cum nullum prorsus indicium prostet, illud ad inaccessi Montis supercilium humana ope fuisse delatum, merito conjectare facit, petram hanc Angelorum ministerio cautibus illis fuisse commissam, ut in novissimis diebus ista Domus Dei (sub titulo B'mae Virginis Gratiarum) praeparetur in vertice Montium, et sublimis super colles, et fluant ad eum omnes populi, et praeparent gentes multae, et dicant: *Venite ascendamus ad Montem Domini, et ad Domum Dei. Isaj. c. 2. V. 2. et sequ.* Quam merito itaque cecinit Vates Mariophilus:

Quam Mons hic Sanctus, suffosam consule petram

Angelicum releges, quod tibi monstrat Ave.

Mons est iste meus, in quo me saxa salutant,

littera sculpta manet, Advena facta canet.

IV. Dum Ecclesia majori ex parte suam perfectionem jam attigisset, eamdem una cum quatuor Altaribus Ill'mus, et R'mus D. D. Aegidius Falcetta, J. U. Doctor Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Caprulanus, in Spiritualibus, ac temporalibus Suffraganeus, et Generalis Vicarius E'mi. et R'mi D. D. Narini (non Marci, ut *Originale* monstrabit) Grimani S. R. E. Cardinalis Episcopi Portuensis, ac Patriarchae Aquilejensis (in cujus Dioecesi tunc Mons Sanctus, qui nunc sub Archidioecesi Goritiensi est, situs erat) solemnſ ritu tempore Pauli III. Summi Pontificis die 12. Octobris incidente in diem Dominicum anno Christi 1544. consecravit, prout magis *ex ipso Instrumento* Consecrationis desuper confecto clarescit, quod *ex ipso Originali* de verbo ad verbum transumo, estque hujus tenoris:

Aegidius Falcetta de Cingulo juris utriusque Doctor Episcopus Caprulanus, et in Patriarchatu, et Dioecesi Aquilejensi pro R^{mo}, atque Ill^{mo} Domino Domino Narino, Episcopo Portuensi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinale, et Patriarcha Aquilejensi dignissimo, in spiritualibus, et temporalibus Suffraganeus, ac Vicarius Generalis. Universis, et singulis praesentes inspecturis salutem in Domino sempiternam. Universtitati vestrae fidem facimus, et publicè attestamur, quod Nos hodie die Dominica, quae fuit duodecima mensis Octobris, Spiritus Sancti gratia Nobis assistente, secundum ritum, modum, et formam Sanctae Romanae Ecclesiae in hujusmodi hactenus observatione Ecclesiam Beatae Mariae supra Montem Salcanum, et Gargarium prope Goritiam Aquilejensis Dioecesis consecravimus in honorem Dei, ac titulum B. Mariae cum quatuor Altaribus. Primum in Capella Altare majus in honorem Sanctae Mariae Virginis: Alterum in medio Chori in honorem Beatissimae, atque Individuae Trinitatis: tertium à latere dextro ad honorem Sanctae Luciae, Ursulae, et ejus sociarum: quartum à latere laevo in honorem, ac titulum Sancti Leonardi. In quibus recondidimus Reliquias Sanctorum Martyrum Donati, Romuli, Venusti, Silvani, Hermogenis, et Sanctae Affrae, et sodalium, ac Sancti Stephani Proto Martyris. Cupientes igitur, ut ipsa Ecclesia in suis aedificiis, et structuris debitè reparetur, conservetur, et manuteneatur, ac libris, calicibus, luminaribus, et aliis ornamentis Ecclesiasticis pro Divino cultu magis decenter munia- tur, et à Christi fidelibus jugiter veneretur, congruis quoque frequentetur honoribus, et ut Christi fideles eò libentius causa devotionis confluant ad eandem, et ad reparationem, conservationem, manutentionem, et munitionem hujusmodi promptius manus porrigant adiutrices, quò ex hoc dono caelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus verè paenitentibus, et confessis, qui Ecclesiam praefatam in singulis Beatae Mariae festivitatibus, ac Sanctissimae Trinitatis, atque suprà nominatorum Sanctorum, Sanctarumque omnium, atque Apostolorum, Nativitatis, circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, et ipsius Ecclesiae Dedicationis annuatimque à primis Vesperis, usque ad Secundas Vesperas inclusivè devotè visitaverint, et ad praemissa manus porrexerint adiutrices pro singulis diebus festivitatum earumdem, quibus id fecerint, de Omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi quadraginta dies, de injunctis eis paenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. In quorum fidem, et testimonium has praesentes litteras nostras fieri, et per Cancellarium nostrum subscribi, sigillique praelibati R^{mi}, atque Ill^{mi} Domini D. Cardinalis, et Patriarchae Aquilejensis jussimus appensione communiri. Datum supra dictum Montem Salcanum dictae Aquilejensis Dioecesis

sub anno Nativitatis Dominicae Millesimo quingentesimo quadragésimo quarto, Indictione secunda, die verò ut suprà, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri, Domini Pauli Divina providentia Papae II. anno decimo.

(L. S.)

Hieronymus Chaynarus Curiae
Patriarchalis Aquilejensis Cancellarius
de mandato.

V. Completa Ecclesiae fabrica, ac consecrationis beneficio donata, Gloriosissima Virgo Maria tanta in hoc Sacro Colle coepit gratiarum affluentia clarescere, tantisque miraculorum coruscare fulgoribus, ut populus, qui ex Forojulio, Liburnia, Dalmatia, Croatia, Styria, Carinthia, Carniolia etc. devotionis gratia indies majori in numero concurrebat, una voce, unoque ore jam non amplius *Aquarium*, seu vulgo *Skauniza*, sed Montem SANCTUM, germ. *Heiligen Berg*, vulgo *Sueta Gora* appellandum esse omnino censuerit, quod supernum procul dubio Sanctitatis praedicatum in cordibus hominum primordialiter inditum usque adeo communi circumjacentium Regionum voto Sacro huic loco suffixum dignoscitur, ut quodvis aliud plane vel in desuetudinem abiverit, aut sempiternae sit omnino oblivioni datum.

VI. Dotem, seu sic dictam fundationem Ecclesia B. Virginis nullam habuit. Ecce enim illi Ecclesiae dos, sive fundatio, quam cunctipotentis, nulliusque indigi, et liberalissimi Numinis Genitrix, Coeli, terraeque Domina suis honoribus idcirco aedificari praecepit, ut ipsa veluti coelestis thesauraria ibidem specialius residens omnia omnium generum fluentia gratiarum pie implorata suos in Clientes derivet? Nunquid enim domui suae sufficiens illa censenda non erat, quae omnibus se invocantibus omnia facta per ducentos, et amplius annos, quidquid recte petunt, liberalissime elargitur: Et Fratres Minores, quos ex Chrovatia evocatos, ut hoc in loco sibi famulentur, elegit, in aspero adeo Monte ab hominum consortio, et sublevamine prorsus semoto, materno sinu non complectitur modo, sed ad invidiam usque multorum non sine manifesto in dies singulos miraculo nutrit, sustentat, tantaque benedictione praevenit, ut et populo copiosè confluenti omnia charitatis officia praestent. Constructa nihilominus Ecclesiae bona pene multa fervente fidelium devotione aut donata, aut legata subinde accesserant, ea tamen omnia usque ad prata quaedam (de quibus infra plura) quae jumentis hic loci prorsus necessariis pabulum praestant, interveniente legitima autoritate sunt divendita, et pretium pecuniarum inde receptum in alios usus impensum. Reliqua Ecclesiam spectantia infra c. 6. adducam.

Caput III.

De Traditione Ecclesiae B. V. Mariae Montis Sancti Fratribus Minoribus S. Francisci Regularis Observantiae Provinciae Bosnae Croatiae, et Aedificatione Conventus.

§. I.

De introductione Fratrum Minorum ad Montem Sanctum.

I. Cum Fratres Minores Provinciae Bosnae Croatiae ob destructos, et combustos eorum [27.] 31.⁴²⁴ Conventus per saepius repetitas immanium Turcarum excursiones, ut jam saepe indicavi per incertas sedes vagarentur, non habentes domos ad habitandum, eas ab aliis emendicare coacti erant, prout 6. annis ante obtentam Ecclesiam Montis Sancti â Provincia Austriae obtinuerunt duos Conventus videlicet *Labacensem*, et *Neostadiensem*, et â Provincia Dalmatiae eodem anno Conventum *Pisinensem*. Quia autem Provincia nihilominus utpote hoc tempore nonnisi 6. possidens Conventus videlicet *Labacensem*, *Tersactensem*, *Neostadiensem*, *Segniensem*, *S. Leonardi in Silvis*, et *Pisinensem*, ac Residentiam *Berdovicensem*, valde constricta erat, petierunt Fratres Minores Provinciae Bosnae Croatiae Serenissimum Archiducem Austriae, Ducem Styriae, Carinthiae et Carnioliae, ac Comitum Tyrolis, et Goritiae Carolum, quatenus ob singulare studium, quo augmentum Cultus Divini promovere satagebat, ac affectum, quo in Fratres Minores ferebatur, eisdem Ecclesiam (quam hucusque scilicet ab anno 1544. usque ad annum 1565. Parochus Salcanensis cum suo Clero, cum hic Mons intra limites ejusdem Parochiae situs sit, officiaverat) Montis Sancti B. V. Mariae eisdem concedere benignè dignaretur.

II. Ut Carolus Archidux Austriae audivit honestam, et piam petitionem Fratrum Minorum Provinciae Bosnae Croatiae mox de dato Vienna 11. Septembris anno 1565. scripsit ad Capitaneum Gradiscae, et Comitatus Goritiensis administratorem litteras, in quibus Serenissimus Princeps humillimis precibus sibi â Fratribus praedictis pro Ecclesia B. V. prope Goritiam supra Salcanum ipsis concedenda factis, se ob exemplarem eorundem vivendi rationem, tum promovendi ibidem Divini cultus gratia apprimè esse inclinatum, eidem Capitaneo renuntiat, ac praecipit, is sincerè docere velit, ac consulere, num dicta Ecclesia supplicantibus Fratribus concedi possit, quoque pacto fieri queat? ut Fratres in casu factae concessionis eo loci religiose sustententur. **Rescriptum citatum** hujus est tenoris:

Carl von Gottes Gnaden Erzherzog zu
Österreich, Herzog zu Burgund etc. etc. Graffe
zu Tyroll und Görz etc. etc.

Was massen Vns N. die Parfüesser Brüder der Crabatischen Provinz um Vnser Frauen Kirchen am Berg bey Görz ob Salkhan gelegen untherthäniglich angelangt und gebetten, das werdet ihr hieneben ab ihrer Supplication zu vernemen haben und weil Wir inen dan ires Wohl Verhaltens halben mit Gnaden wohl genaigt seyn, sy auch der Enden von wegen Befürderung des Gottsdienst gnediglich gern sehen wolten, so ist demnach Vnser gnediger Beuelch an eüch, das ir Vns eüeren fürderlichen Bericht, Rath und Gutbedunkhen, ob und was Gestalt Wir inen berührte Kirchen eingeben lassen und woher sy sich daselbst erhalten möchten, zueschreiben wöllet. Daran beschicht Vnser gnädiger Willen und gefellige Meinung. Wienn, den 11. Sept. Anno 1565.

III. Submissa informatione â Capitaneo Gradiscae, et locumtenente Goritensi Carolo Archiduci, ejusque intellecto tenore Serenissimus Princeps de danda Fratribus Minoribus Ecclesia Montis Sancti gratiosissimam signavit Graecii die 5. Aprilis 1566. **resolutionem**, serioque praecepit Capitaneo Gradiscae, et locumtenenti Goritiae, ut praedictos Fratres ex Croatia pulsos citra moram in possessionem dictae Ecclesiae mittant: et in casu, quo in vicinia sufficiens eleemosyna pro illorum alimonia haberi non possit, curare velint, ut residuum ex proventibus Ecclesiae ipsis subministretur, ac eum in finem proventus Ecclesiae exactè notentur, ut ex **copia Rescripti Archiducalis in italico sermone exarati** uberius patet, quod ita sonat:

Noi CARLO per la gratia di DIO Arciduca d Austria, Duca di Borgogna, Stiria, Carintia, Wirtenberga ec. Conte di Tirolo, e Gorizia ec.

Fidelli, dilette. Noi vi facciamo intender, e' habbiamo gratiosamente concesso di dar alli poveri Frati Zocolanti, quali sono stati espulsi fuor di Croatia, la chiesa sopra il Monte di Salcano appresso Gorizia, et cosi qui è la nostra commissione â voi, che vogliate dar subito il possesso di tal chiesa alli detti Frati Zocolanti. Et in caso, che li intorno quelli contorni non potessero haver il loro nutrimento dell' eleemosina, che vogliate proveder, accioche

â loro li sia rifatto il mancamento dell' intrata di detta Chiesa, et notar le dette intrate. Sopra ciò si fa la nostra graziosa volontà. Graz li 5. Aprile 1566.

Nicolo de Neuhaus	Commissio Seren ^{mi} Domini
di novo Scoglio Vice-presid ^{te}	Archiducis in Consilio
Wolffgango Schranik	Joan. A Praunfelch
Vice Cancigliero	Wolffgang Pürtmaiser

IV. Videns D. Parochus Salcanensis, quod vi Archiducalis Decreti suprâ adducti Ecclesiam B. V. Mariae *Montis Sancti* supra Salcanum tradere, et consignare debeat Patribus Franciscanis Provinciae Bosnae Croatiae, cooperantibus Ecclesiae Camerariis (*Kirchen Pröbsten*) omnes res mobiles, putâ vinum, frumentum, c[a]eram,⁴²⁵ laneam, et lineam supellectilem, ornamenta, et paramenta omnia Ecclesiastica, argentum, aurum, calices, Scripturas etc. iniqua usurpatione, quasi res suas, cum tamen eae â fidelibus Ecclesiae donatae fuerint, abstulit, nihilque Fratribus praeter nudos Ecclesiae muros reliquit. Contra hos iniquos Ecclesiae spoliatores conquesti sunt Fratres Minores coram Summo Pontifice, petieruntque remedium Apostolici roboris, ac restitutionem ablatorum; accessorium enim sequitur suum principale. Quaeso! quis unquam somniavit? posse aliquem bona surripere, et in proprium usum convertere, quorum non Dominus, sed tantum administrator est. Cum igitur bonorum, paramentorum, calicum etc. B^{mae} Virgini â fidelibus oblatores D. Parochus, et Camerarii fuerint administratores, et non Domini, neutiquam poterant Dominum (*B'mam Virginem Mariam*) suis bonis spoliare.

V. Quapropter S. Pius V. mox post suam ad Pontificatum elevationem rescripsit *suis litteris incip. Significarunt de dato Romae Kal. Feb. 1566.* ad Patriarcham Aquilejensem, et Episcopum Tergestinum, ut huiusmodi usurpatores bonorum Ecclesiae (quos *iniquitatis filios* nominat) sub poena Excommunicationis ad restitutionem compellant. En tenorem *Bullae ex Originali* desumptum:

Pius Episcopus Servus Servorum Dei

Venerabilibus Fratribus Patriarchae Aquilejensi, et Episcopo Tergestin. seu dilectis filiis eorum Vicariis in Spiritualibus generalibus salutem, et Apostolicam benedictionem. Significarunt Nobis dilecti Filii Guardianus, et Fratres domus, seu Ecclesiae Sanctae Mariae sitae in Monte *Sire* nuncupato Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum Tergestin. seu Aquilegien. Dioecesis, quod nonnulli utriusque sexus iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, vini, bladi, frumenti, et alterius grani, cerae, olei, auri, argenti monetati, et non monetati quantitates, pannos lineos, et laneos, domorum utensilia ornamenta, et paramenta Ecclesiastica, libros, instrumenta contractus, litteras, Scrip-

turas publicas, et privatas, et alia documenta pecuniarum summarum, nonnullaque alia, res et bona etiam latius in executione, seu publicatione praesentium, si dictis significantibus videbuntur specificanda, ad dictam domum tam ratione legatorum, et relictorum si, seu significantibus praefatis pro tempore factorum, quorum alia legitime spectantia in Aquilegiensi, et Tergestina Civitatibus, et Dioecesibus, vel alibi respective extantia temerè, et malitiosè occultare, ac occultè, et indebite detinere praesumunt, nec non eorum occultatores, et detentores debite revelare non curant in animarum suarum periculum, et domus ac significantium praedictorum non modicum detrimentum. Super quo iidem significantes Apostolicae Sedis remedium implorarunt. Quocirca Fraternitati vestrae Fratres Patriarcha, et Episcopo, seu discretioni vestrae filii Vicarii per Apostolica Scripta mandamus, quatenus omnes huiusmodi vini, bladi, auri, et argenti quantitatum pannorum, utensilium, ornamentorum, Scripturarum, pecuniarum summarum, ac aliorum bonorum, ac rerum, etiam, ut praefertur, specificandorum occultatores, et detentores, eaque debite revelare non curantes occultos, ex parte nostra publicè in Ecclesiis coram populo per vos, vel alium, seu alios moneatis, ut infra competentem, quem eis praefixeritis, ea dictis significantibus, sic debita restituant, et revelent, ac de ipsis plenam, et debitam satisfactionem impendant. Et si id non adimpleverint, infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc duxeritis peremptorie praefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferatis, et eam faciatis, ubi, et quando expedire videritis, usque ad satisfactionem, et revelationem condignam solemniter publicari. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, unus vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Kal. Februarii Pontificatus nostri anno primo.

J. Perolus

Chmandek [†]

VI. Hoc Pontificium Rescriptum contrarium videtur **Archiducali Decreto** suprà n. 3. allato; etenim sub die 5. Aprilis 1566. Archidux Carolus mandat, ut Ecclesia B. V. Mariae PP. Franciscanis consignetur: Pontifex verò sub die 1. Februar. 1566. jam nominat Guardianum, et Fratres Domus B. V. Mariae in Monte Sancto. Ex quo sequeretur, quod Fratres in Monte Sancto fuissent, antequam illis Ecclesia consignata fuisset, quod non est verisimile. Dicendum proinde est, quod Fratres Minores ab Archiduce Austriae Carolo jam anno 1564. vivae vocis oraculo, prout innuit **P. Casparus Pasconi in hist. Conv. Montis Sancti c. 1. n. 11. fol. 5.** hanc Ecclesiam obtinuerint, nam hoc anno die 28. Aprilis Serenissimus Princeps Labaci fuit. Dein Viennam regresso Archiduci Patres Memoriale pro docta Ecclesia scriptum submiserunt, ut patet **ex supra n. 2. allato Ar-**

chiducali Rescripto signato Viennae 11. Septembris 1565. in quo Archidux exquirat â Capitaneo Gradiscae, et locumtenente Goritiensi informationem, an, et quomodo Fratres, si illuc introducerentur, vivere possent? Capta hac informatione Archidux illico Ecclesiam praedictam Fratribus Minoribus consignasse censendus est, quia autem Petrini, et Camerarii Ecclesiae aegrè ferebant videntes tantam Ecclesiam â sua jurisdictione, et potestate avellendam, introductioni Fratrum omnibus viribus resistebant, Fratribus illuc missis Ecclesiam extradere renuerunt, ideo Archidux novo mandato exarato die 5. Aprilis 1566. eorum renitentiam coercuit, ac Fratres absque omni tergiversatione sine mora introduci iussit. **Ex his Scripturis** clare deducitur, quod Ecclesia B. V. Mariae Montis Sancti Fratribus Minoribus consignata fuerit intra 11. Septembris 1565. et 1. Februarii 1566. licet stabiliter et imperturbate ejusdem possessionem primò post 5^{am} Aprilis 1566. acquisierint.

VII. Sanctissimi Pontificis Pii V. vestigiis inhaerens Carolus Archidux Austriae demandavit Capitaneo Goritiensi, ut solerter inquirat, qui, et quae quisque dictae Ecclesiae bona possideat: cognitos possessores sine mora possessionibus cedere jubeat, illasque saepe dictae Ecclesiae restitui faciat: nam sicut Ecclesiastici res mobile Ecclesiae, ut suprâ dictum, et ad cultum divinum spectantes rapuerunt, ita et personae saeculares bona immobilia putà domos, hortos, vineas etc. Ecclesiae B. V. Mariae legata, et donata ad se traxerunt, quos iniquos usurpatores Carolus ad cedendum possessionibus, et dictarum possessionum restitutionem saepe dictae Ecclesiae faciendam per suum Comitatus Goritensis Capitaneum coegit sequenti Rescripto:

Carl

Wolgeborner, Lieber, getreüer. Auf hiebey ligendes des Guardian, und der Ordens Brüeder Sannt Mariae Kirchen zu Salkhan Supplicieren, darinn Sie der von berürter Kirchen alienirter Gütter wegen demüethigst bitten: Ist Vnser gnädiger, und ernstlicher beuelch an dich, das du dich alles Fleisses erkundigest, wer, und was ein jeder für Gütter angeregter Kirchen zuegehörig innen habe, und wo du derselben Gütter erkündigest, alß dan Verordnung thuest, damit sie von den jezigen Innhabern abgetreten und der Kirchen widerumben eingewant wurden. Es ist auch hiemit Vnser bevelch, das du mit Ernst darann, und darob seyest, damit voriger Vnserer Verordnung nach, von den Zeechleyten daselbst alles Ires Empfangs, und Außgebens ordentliche Raittung an, und aufgenommen werde. Darann beschicht Vnser willen und gefällige Meinung. Geben Graz den 10. Tag Septemb. Anno 1567.

VIII. Quod bonorum Ecclesiae B. V. Mariae Montis S. iniqui usurpatores, et detentores, ac paramentorum, utensilium, calicum, Scripturarum etc. spoliatores fulmine Apostolicae potestatis terri, ac mandato Archiducis adacti ablata saltem quoad aliqua restituerint, patet **ex Scripturis originalibus in Archivio praedicti Conventus asservatis**, quae concernunt quaedam bona immobilia ad Ecclesiam adhuc ante introductionem Patrum Franciscanorum devoluta. Quae tamen bona postmodum, quia Fratribus Minoribus vi illorum altissimae paupertatis ea possidere non licebat, cum consensu eorum, quorum intererat, usque ad aliqua prata, quae ad nutrienda necessario habenda animalia omnino retineri debebant, divendita erat, ac pecunia inde percepta in fabricam Conventus, et Ecclesiae insumpta erat.

§. II.

De aedificatione primi Conventus.

I. Postquam igitur (utor verbis **P. Caspari Pasconi Hist. Conv. et Eccles. Mont. S. c. 3. n. 2. pag. 13**) Ecclesia Montis Sancti indefessae solitudini, et Custodiae Fratrum Minorum concredita fuisset â Serenissimo Carolo Archiduce, nulli quantumvis parcentes praedicti Ordinis Religiosi labori, sedulam vigilantemque operam adeo fructuose impenderunt, ut brevi annorum spatio dissectis undequaque rupibus Conventum commodum, in quo illo tunc Fratres circiter viginti sex commorabantur, construxerint, qui solo eleemosynarum collectarum subsidio in paupertate, et humilitate juxta formam Sancti Evangelii, et Regulam, quam professi sunt victitantes, die, noctuque Altissimo famulabantur, quique Divinis laudibus, et orationi jugiter intenti Deum, et Sanctissimam Matrem ejus venerabantur, et ad haec usque tempora pariformiter benedicere, et collaudare non cessant.

II. Non reprehendendus est **P. Pasconi**, quod mox initium introductionis Fratrum Minorum ad Montem Sanctum 26. Fratres ibidem commoratos fuisse asserat ex eo, quod ad annum Christi 1616. quatuor tantum sacerdotes in Monte Sancto fuisse legantur, et quod dein saepius Conventum non Guardiani, ut in formatis Conventibus assolet, sed Praesidentes dumtaxat ad hospitiorum normam gubernaverint. Non, inquam, est reprehendendus! Nam cuilibet, si ea, quae part. 2. commemoravi, inspexerit, notum erit, et perspicuum, quod Provincia haecce tempore suae â Vicaria Bosnensi divisionis 29. Conventus habuerit, quorum 27. ab anno 1514. usque ad annum 1565., quo anno Ecclesia Montis Sancti Fratribus Minoribus assignata fuit, ferme omnes intra 50. annorum spatium â Turcis aut destructi, aut â Fratribus propter nimias persecutiones deserti erant, si Conventum Modrusiensem excipias, in quo anno 1565.

adhuc Provinciale Capitulum celebratum fuisse legitur: Unde necesse erat ex 27. Conventibus pulsos Fratres in majori numero in noviter acquisitis Conventibus collocare. Quod autem ad annum 1616. non fuerint ibidem nisi quatuor Sacerdotes, et obinde ob paucitatem Fratrum non Guardiani, sed Praesidentes constituti fuerint, minime sequitur ita etiam ab initio fuisse, nam ad hoc tempus numerus Fratrum diminutus erat propter grassantem in his partibus Lutheri haeresim, cum non essent, qui ad Religionem suscipi anhelarent. Ipsemet quoque contrariae sententiae Patronus haud inficiabitur, fuisse ab initio in Monte Sancto non tantum Praesidentes positos, sed veros Guardianos electos.

III. Primi Fratres, qui donatam ab Archiduce Carolo Ecclesiam, et locum Montis Sancti personaliter acceperunt, Domum quae pro Sacerdotibus Petritis Salcano peragendae Ecclesiasticae functionis causa adventantibus fuit constructa, occuparunt, quam sequentibus annis dissectis rupibus ampliarunt, ac ad Religiosi habitaculi formam, quam illorum temporum circumstantiae, et rerum vicissitudines patiebantur redactam inhabitarunt usque ad tempora P. Bonaventurae Sbona ter Ministri Provincialis, et hujus Conventus per plurimos annos Superioris dignissimi. Situs verò erat hic Conventus à fronte portae majoris Ecclesiae in loco, ubi nunc est hospitium peregrinorum, quod et hodie antiquus Conventus vulgo *Stari Kloster* audit, prout mox clarius patebit.

IV. Evoluto ferme 58. annorum curriculo Fratres tum propter loci angustiam, tum propter peregrinorum quotidie majori in numero ad hunc gratiarum Montem adventantium commoditatem, novum Conventum construere, et antiquum pro hospitio peregrinorum adaptare meditabantur, cujus operis executio commissa fuit A. R. Patri Bonaventurae Sbona Provinciali actuali anno 1623. in Capitulo Provinciali in Conventu Labacensi celebrato die 30. Augusti, prout **ex ipsa originali Provinciae Tabula** patet, ubi loquendo de Guardiano Montis Sancti sic habetur: *In Monte Sancto ipsemet P. Minister Provincialis cum titulo Praesidentis, cui fabrica curae erit.* Aedificium novi Conventus, quod hoc anno 1623. vel saltem sequenti inchoatum, anno 1626. nondum suam perfectionem attigit, ut apparet ex alio **Vn'bilis Diffinitorii decreto emanato in Capitulo Provinciali** in Conventu Montis Sancti die 2. Octobris celebrato sequentis tenoris: *In Monte Sancto antiquus Conventus pro hospitibus reparetur saecularibus, et novus perficiatur*, id est compleatur. Ex quo patet, quod antiquus Conventus, prout supra insinuavi, ibi fuerit, ubi nunc est hospitium peregrinorum, secundò: quod novus Conventus aedificari coeptus fuerit ante annum 1626. cum *ly perficiatur*, opus jam inchoatum significet, an verò hoc anno Conventus suam totalem perfectionem attigerit? pro certo asserere non audeo.

V. Malè proinde **recentissimus quidam compiler historiae Conventus, et Ecclesiae Montis Sancti** ex illis verbis

P. Francisci Glavinich de Orig. Prov. Bosnae Croat. fol. 43: *Padre Bonaventura Sbona ... morì in Monte Santo governando quel luogo: al tempo del quale si principiò il Monasterio, e si ridusse a forma, come hora si vede*, reponit initium Conventus ad annum 1638. et complementum ejusdem ad annum 1640. vel 1641. quo praedictus P. Sbona ex hac vita migravit. Praeterquam enim, quod verba illa: *al tempo del quale* etc. nullum determinatum tempus denotent, sed omnes illos annos, quibus prae laudatus Pater Bonaventura Sbona Conventui Montis Sancti praefuit, indeterminatim respiciant, sufficienter ex numero superiori adductis monumentis eruitur, Conventum fuisse circa annum 1623. aedificari coeptum; et absolutum circa annum 1627.

VI. De forma, amplitudine, situ denique primi hujus Conventus nullum prostat documentum, ex quo quidpiam eorum vel divinare possemus. Sunt autem ex circumvicinis populis seniores aliqui etiamnum superstites, qui antiqui Conventus vivacissime recordantur. Referunt interrogati, Conventum à P. Bonaventura Sbona aedificatum multum in amplitudine, in forma verò à moderno, qui priori suffectus est, nihil ferme defecisse. Fuerat quippe, ajunt illi, recta protractus non quidem in orientem, ut praesens est, sed in occidentem per aream quae infra Refectorium est, hospitium versus usque ad viam lapidibus stratam, qua itur per gradus ad portam majorem Ecclesiae: ad septentrionem vero vallis Ecclesiae, quae inter, et hodiernum Conventum tanta à P. Romualdo Sitter interjecta est intercapedo, ut sufficiens luminis splendor in cellam vinariam intromittatur, omnino adhaerebat, aut fortasse in loco vallorum olim Conventus moenia constiterant. Longitudo denique orientem versus ultra portam meridiionalem Ecclesiae non protendebatur.

§. III.

De moderno Conventu.

I. Postquam Conventus à P. Bonaventura Sbona, ut praec. § retuli exaedificatus, 85. annis, ab anno scilicet 1626. usque ad annum 1711. perstitisset, temporis edacitate ita absumptus fuit, ut proximam minaretur ruinam, A. R. P. Romualdus Sitter, vir insigni scientia, et mira in agendis dexteritate pollens, die 3. mensis Septembris anno 1708. in Ministrum Provinciale electus, misertus huius Conventus, proposuit anno sequenti 1709. die 4. Julii Vnb'li Diff'orio in Conventu Nazarethano congregato necessitatem Conventus, ab eoque illum è fundamentis aedificandi licentiam obtinuit, prout in *Protocollo Provinciae tom. 1. fol. 401.* registratum reperitur his verbis: *Proposuit A. R. P. Minister Provincialis extremam necessitatem funditus*

aedificandi, et construendi Conventum Montis Sancti, qui secundum datam, et perlectam Vnb'li Diff'rio unanimem illius venerabilis familiae attestationem ob illius vetustatem, et omnimodam putredinem jamjam minetur ruinam, et praecipitium. Annuit Vnb'le Diff'rium obtenta prius peritorum delineatione, illum esse proximo futuro anno novo, ac fundamentali aedificio inchoandum, et secundum mediorum possibilitatem continuandum.

II. Quia autem non obstante **Vnb'lis Diff'rii praecitato Decreto** de funditus aedificando, et construendo Conventu Montis Sancti varii in varia abierunt sententia, et contradictoria, aedificium anno 1710. suspensum mansit, et ideo A. R. P. Romualdus Sitter Minister Provincialis causam videns communem, totamque concernentem Provinciam denuo cum productione factae delineationis V'Diff'orio, omnibusque Provinciae Patribus in Congregatione secunda habita in Conventu Nazarethano die 25. Maii hoc anno 1710. genuinam, ac realem necessitatem, aliàs cuilibet evidentissime perspectam constructionem hujus Conventus proposuit. Quae omnia, cum V'Diff'rium distinctè percepisset, exactè delineationem vidisset, et examinasset, ejusque dispositioni R'mus Vice-Commissarius Generalis Familiae Cismontanae P. Antonius de Monte Buffo **litteris Romae 1. Martii currentis anni 1710. ad P. Ministrum Provinciale datis**, ac coram toto Diffinitorio perlectis, sese omnino remiserit, plenamque hoc in negotio indulserit procedendi, et operandi libertatem, non solum primum suum ratificavit Decretum, verum etiam denuo omnibus bene pensatis, ac cum cautela consideratis, maturâ, ac plena animi deliberatione unanimi voto nemine penitus discrepante, ac dissentiente hunc Conventum proxime futuro anno (videlicet 1711.) novo, ac fundamentali aedificio decrevit inchoandum. Vid. cit. **Protocoll. fol. 408.**

III. Fretus facultate R'mi P. Commissarii Generalis, ac Consensu V'Diff'orii ARP. Romualdus Sitter Minister Provincialis dissectis rupibus hoc anno 1710. ut anno sequenti 1711. aedificium novum Conventus maturius inchoari posset, quasdam praeparationes fecit. Fuisse autem fabricam mox ad initium anni 1711. inchoatam patet **ex Copia contractus inter Procuratorem Conventus, et D. Joannem Torre aedilem die 6. Januarii initi**, quod sic sonat:

1711. L' Ind^{ne} 4. il giorno di Martedì li 6. del mese di Genaro. Fatto in Gorizia nella casa del Sp. Sig^r Bartolomio Beucig praesenti etc.

Dovendosi dar principio alla fabrica del V'ndo Convento de Molti R. R. P. P. di S. Francesco del Monte Santo il Sud^o Sig^r Beucig come Procuratore del medesimo V'ndo Convento è convenuto col Sig^r Giov. Torre Capomistro nella maniera, che segue.

I^{mo} Personalmente costituito il med^o Sig^r Giovanni promette, et solennem^{te} s'obligò di far il muro imbiancato, et incartato di fuori, et di dentro con materiali però da somministrarsi dal V'ndo Convento grasso tre piedi a lire 5. dico lire cinque il passo, le tramezzate d'un piede, e mezzo pure imbochate, et incartate di fuori, et di dentro a lire 3. il passo, et il tetto a lire 2 il passo.


620

2^o Che sia obligato di finir le mettà della fabrica di detto V'ndo Convento nel termine d'un anno prossimo venturo.

3^o Che perfetionate le muraglie, et il tetto si riservano d' aggiustarsi per la fattura dei volti con altre opere.

4^o et ultimo, che viceversa il V'ndo Convento sia tenuto di far le spese cibarie al Sud^o Sig^r Gioanni Capomistro, et in sua absenza a Maestro Antonio suo Figliolo in tempo, che saranno impiegati nell' opera. Promettendo perciò una parte, e l'altra di voler haver il presente contratto sempre fermo, rato, et grato mantener, attender et osservar sotto obligatione in forma juris etc. Presenti M^{ro} Gio. Bat'ta Bront, et Giacomo Anderlig testimony havuti etc.

Suprascriptum Con-
ginalibus olim Domini
rialis Notarii sic requisi-



tionis Instrumentum ex notis ori-
Joannis Gollob Publici Impe-
tus Joannes Antonius Dornech itidem

Publicus Caesarea Autoritate Not. fideliter eduxit prout invenit se in fidem subscripsit, authenticavit, ac apposito de more sig^o S. S. V. C. etc.

Goritiae 29. Maji 1713.

Dominus novit viam justorum.

IV. Quod Conventus anno 1711. ex fundamentis jam exurrexerit, et porta major ejusdem, quae est Orientem versus jam facta fuerit, patet **ex incisione facta supra januam majorem hoc chronographico exarata:**

FratrIbVs MInorIbVs

InfInIta CaeLestIs PatrIs ProVIDentIa

SVo eXtrVXIIt aVro.

Non facias violentiam pauperi, quia pauper est
neque egenum conteras in porta. Prov. c. 22. V. 22.

Quod autem anno 1714. Conventus nondum perfectus fuerit, patet **ex inscriptione supra portam Caenaculi**, quae utique prius, quam superius aedificium facta fuit, posita hujus tenoris:

HIC pasCIt esVrlentes MIserator

DeVs

Hoc quoque patet **ex quadam obligatione D. Joannis Torre et ejus filii Antonii Architectorum signata Goritiae die 27. Maji 1712.** vi cujus se obligavit Conventum extruere, et funditus aedificare annis 1712. 1713. et 1714. unde dicendum: Conventum his annis, quoad majorem sui partem absolutum fuisse, Cellas verò, et dormitorium, aliaque minoris momenti anno sequenti suam perfectionem attigisse.

V. Conventus igitur â P. Romualdo Sitter aedificatus, et protractus fuit â porta Conventus, quae per Ecclesiae portam meridiionalem viam praebet ad Ecclesiam, usque ad portam maiorem orientem versus una cum pergula, Sacristia, et Choro, de quibus alibi sermo redibit, ex parte autem occidentali hospitium versus pars ad aream protracta dejecta fuit, ac Refectorium meridiem versus protractum, ac super illud Clericatus extructus octo cellis, et Schola instructus, nam Refectorium prius in cubiculo, per quod ad Culinam transitus patet, fuisse creditur. Remansit porro de Conventu â P. Bonaventura Sbona aedificato pars illa, quae est â moderno Clericatu usque ad portam Conventus, per quam ad Ecclesiam itur una cum 13. Religiosorum cellis. Modernus Conventus in duas contignationes elevatus ab Occidente ad Orientem protensus est, cellas ex utraque parte habet. Refectorium tantum cum Clericatu in parte occidentali, meridiem versus vergit. In toto Conventu numerantur Cellae, seu commoda Religiosorum habitacula 54. Quae non tantum Religiosorum habitationi, sed etiam peregrinorum, benefactorum specialium, ac R. R. D. D. Presbyterorum Saecularium, qui in solemnioribus anni festivitatibus Thaumaturgam gratiarum Matrem veneraturi in solito majori numero advenire solent, commoditati deserviunt, quos afforis inter Saeculares pernoctari sinere indecens foret.

VI. Conventus hic saepe saepius â fulmine aliqua damna passus est, quae tamen levioribus expensis resarciri poterant. Ast valde infausta fuit huic Conventui dies 15. Octobris Sanctae Theresiae Virgini Sacra anno 1756. Etenim circa 8^{tvam} vespertinam horribilis exortus est ventus *Turbo* dictus, qui Conventui ultimam minabatur stragem; etenim adeo vehemens erat, ut non tantum totum tectum Goritiam versus elevaverit, dejecerit, et destruxerit, sed etiam omnes ex ea parte fenestras confregerit, imo nec confractae tantum, sed et una cum jugamentis â parietibus avulsae erant: valvae item aliquae ruptis cardinibus per aerem raptae sub conspectum nunquam amplius venêre. Tanta venti vehementia erat, ut Fr' Severus Sever Clericus, qui secundum â porta cubiculum habuit, aperiens portam ad lectum ceciderit, nec eam amplius claudere valuit: imo in angulari Clericatus cubiculo elevato tecto, etiam ipsas cubiculi trabes levaverit, ut pluvia directe ad lectum deciderit. Non facile haec narranti totalem fidem adhibuissem, nisi ipsusmet hujus tragediae maestissimus spectator adfuissem. Quamvis verò hoc damnum non modicis constitit impensis, tamen intra breve tempus piorum eleemosynis restauratum, ac reparatum fuit.

§. IV.

De Hospitio Peregrinorum Conventui adjacente.

I. Nulla de hoc Hospitio prostant litterarum documenta, ex quibus initia illius conjectari possent, si tamen **Diffini-**

toriale Decretum, cui etiam perpetua traditio suffragatur, anno 1626. latum, et supra §. 2. n. 4. allatum consideremus, illud tam Conventu â P. Bonaventura Sbona, quam â P. Romualdo Sitter aedificato antiquius, et Ecclesiae B. V. pene coevum facile intelligemus. Dixi jam superius §. 2. quod Patres in sui prima introductione ad domum, quae pro Petrinis aedificata fuit, collocati fuerint, quam postmodum ampliarunt, ac in Religiosum Domicilium commutarunt. Quae vix alibi, quam in hoc loco, in quo nunc hospitium est, constitisse censenda est, praesertim quod anno 1626. decretum fuit, ut novus Conventus aedificetur, et antiquus pro peregrinorum hospitio applicetur.

II. Postquam Fratres ad novum â P. Sbona de Bashniza aedificatum Conventum transiverunt, fuit antiquus pro habitatione peregrinorum restauratus, ad cuius reparationem etiam personae particulares auxiliatrices manus porrexerunt; sic enim Ill'mus D. Baro Joannes Petrus Coronini propriis sumptibus, ut in casu sui ad Montem Sanctum adventus certam, et securam haberet habitationem, unum cubiculum restauravit, ut patet **ex inscriptione, quam supra cubile â se constructum cum suae nobilitatis insignibus anno 1638. incidi jussit hoc sub tenore:**

Cella Ill'mi D. Joan' Pet. Coronn. S. C. M. Collonelli
Lib. Bar. Privacinae, Gradiscutae, Rubiae, et Villes,
D. Dorinberg, et Tachelberg, erecta sub Guard.
P. F. Bonaventura Sbona MDCXXXVIII.

III. Duobus annis tardius porticus, quae septentrionem respicit, adjecta est, ut ex cuneo portae superliminari dignoscitur, **cui insigne Seraphicum, et annus erectionis 1640. incisus est.** Ad eam plurimum contulisse creditur Communitas Canallensis, quae etiamnum cubiculum inferius in introitu â dextris Canallensium cubiculum audit. Anno 1718. in tractu â porticu mox dicta orientem versus aliqua cubacula adjecta fuisse sub gubernio **P. Petri Stibelli ex computis ejus, eodem anno scriptis.** Anno demum 1722. ultima tria in eodem tractu cubacula orientem versus, quae in Coemeterio sita nuncupantur, adaedificata sunt, totumque hospitium Peregrinorum plene, ut praesens visitur, reffectum est.

IV. Aliud subinde aedificium ad clivum Goritiam versus, Conventum inter, et Sacellum S. P. Francisci exstructum fuit anno 1717. ut **ex contractu inter Parentem Spiritualem et Georgium Doplicher die 8. Julii inito** dignoscitur, quod Molae pneumaticae, aut in manuariarum officii deputabatur; ac idcirco hodie Molendinum audit, etiamsi ad istiusmodi usus non amplius adhibeatur. Agendum hic foret de praedio *Previg* dicto, ast quia de eo plura dicenda occurrunt, illud in specialem §. rejicio, solum hic adhuc de Conservatorio, et Domo in oppido Gargar sito pauca meminisse juvat. Haec quippe Domus Fratribus hospitium praestat, dum conducendis ex nigris, et altis

silvis, ac in adjacens Conservatorium reponendis lignis focalibus operam locant. Eam A^o 1728. sub P. Francisco Suppanchich loci Guardiani fl. circiter 60. fuisse emptam, et dictum pretium â Sua Excellentia D. Capitaneo Goritensi solutum, Inventarium eodem anno facto clare ostendit. Tandem ruinae proxima â fundamentis restaurata fuit sub Guardianatu P. Caroli Novak Anno 1777. imposito novo strato quercino, fenestris, earumque jugamentis, et ferreis cratibus.

Caput IV. De gratiis, et privilegiis â Romanis Imperatoribus, et Austriae Archiducibus Fratribus Minoribus Conventus Montis Sancti clementissime concessis.

§. I.

De beneficiis huic Conventui generatim concessis.

I. Cum quidam iniqui usurpatores bonorum Ecclesiae B. V. Mariae per Carolum Archiducem ad restitutionem eidem Ecclesiae faciendam compulsi fuissent, ut supra c. 3. §. 1. n. 7. visum est, id aegrè ferentes â fratribus gabellas propter praedicta bona exigebant, quibus, ut Goritienses praetactas praestationes condonarent, ipsemet pientissimus Archidux Carolus, eos quasi rogando interpellavit, ut **ex sequenti de dato Labaci 1. Febr. 1570 exarato Rescripto** patet:

Carl

Nachdem Vns die barfüsser Brüder bey Vnser Frauen ob Salkhan umb genedigste befreyung aller Steuer gehorsamblich angelanget, Wir ihnen auch mit gnaden genaigt seyn, und wir darzue berichtet, das es gar um ein schlechtes zu thun seye. So ersuchen wir eüch demnoch hiemit ganz genediglich begehrend, das Ihr Vns so viell zu unterthänigen Ehren und gefallen thun, und Sie solcher Steuer auf allzeit, oder doch nur etlich Jahr erlassen wollet. Das raicht Vns bey Eüch zu genedigen gefallen und Sie werdens mit ihren gebett zu Gott beschulden, und verdienen. Laybach den 1. Februar 1570.

II. Quia verò Saecularium contra Fratres Minores hujus loci inhabitatores nondum totaliter quieverunt insultus, P. Marianus â Bosnia pro tempore Guardianus, ut Sacrae Regulae Seraphicae professores â Saeculi molestiis liberati quietius, et securi-

us divinis vacarent obsequiis, se suosque Fratres cum toto Conventu, et Ecclesia protectioni praelaudati Serenissimi Principis enixe commendabat, qui etiam ex innata in Ordinem S. Francisci animi benevolentia, et propensione P. Marianum â Bosnia cum omnibus sui Ordinis alumnis intuitu Religiosae, Catholicae, ac probatae vitae, quam Ordo Fratrum Minorum praefert; ac injuriarum, persecutionumque, quas idcirco patiuntur, depellandarum causa, in suam, et August^{mae} Domus Austriacae gratiam, protectionem, et patrocinium suscepit, praecipiendo omnibus suis substitutis, ut praedictos Fratres sub sua protectione imperturbate vivere sinant, prout **ex ejusdem Rescripto de dato Graecii 25. Feb. 1574.** quod adnecto, clarius patet:

Wir Carl von Gottes Gnaden Erzherzog zu Oesterreich, Herzog zu Burgund, Steyer, Karnten, Crain und Wirtenberg etc. etc. Graff zu Tyroll und Gorz etc. etc. bekenen offentlich mit diesen brieff und thuen kund allermäniglich, das Wir in gnädigster ansehung und erwegung des ehrbaren Christlichen wandels, auch nuz, und Fromben, welchen der Franciscaner Orden in der Kirchen Gottes schaffet, auch der Verfolgung, die Sie darumben von ir viellen leyden müssen, Bruder Marianum von Bosna, Guardian des Closters Vnser Lieben Frauen bey Salkhan, sambt allen seines Ordens Verwandten, wo die allenthalben wesent, in Vnser und Vnsers löblichen Hauß Österreich sonderbahre gnad, schuz und schirm angenommen, und empfangen haben, thuen solches auch als Regierender Herr, und Landsfürst hiemit wissentlich in Krafft dies Brieffs also und dergestalt, das nemlich gedachte Ordens Leüth nun hinführo Vnserer sonderbahren Gnad, schuz und schirms gebrauchen, nuzen und genüessen sollen und mögen, von allen mäniglich ungehindert: Vnd gebiethen hierauf allen und jeden Vnsern nachgesetzten Obrigkheiten, Vnterthanen und Getreüen, was würden, stands oder wesens, und wo die allenthalben gesessen seyn und hiemit ersucht werden, ernstlich, und wollen, das Sie ernenten Guardian, und Ordensleüth bey vnserer solicher sonderbahren sicherheit, schuz, und schirm, wie obsteht, ruhebiglich bleiben lassen, Sie festiglich darbey handhaben, darwider selbst nicht thuen, noch jemand andern zu thuen gestatten in keinerley weis, noch weeg, alß lieb einen jeden seye Vnser Vngnad, und Straff zu vermeiden. Das ist Vnser ernstlicher Will und Meinung. Geben in Vnserer Stadt Graz den 25. Februarii A^o 1574.

Carolus (L. S.)

Ad mandatum Domini
Archiducis proprium
H. C. von Prosekh
Teütsch. Ordens.

III. Dictum fuit supra c. 2. §. 2. n. 2. pag. 607. quod fundum pro construenda Ecclesia anno 1540. concesserit, unà cum 32. passibus extra Ecclesiam quaquaversus Ill'mus D. Hieronymus ab Attimis cum onere quotannis census 80. X. Camerae fiscali pendendi. Census tum istum, cum alios, quos Ecclesia Montis Sancti ob plures fundos à piis benefactoribus sub initium sibi legatos Camerae Archiducali pendere debebat, Ill'mus D. Hermanus ab Attimis pia erga beatissimam Virginem devotione motus pro se, et suis haeredibus in perpetuum, et quamdiu ipsi, et sui haeredes Camerae Archiducalis Urbarii fuerint possessores, gratiose remisit (quod Carolus Archidux jam dudum exoptabat, ut paulo ante visum) injuncto Patribus Montis Sancti onere Missas 5. statutis cujuslibet anni diebus in perpetuum cantandi, quod onus P. Joannes Paronius de Salerno in Monte Sancto Guardianus acceptavit praesentibus testibus **die 18. Martii Anni 1603. ut ex sequente Instrumenti copia** dignoscitur:

In Christi Nomine Amen. 1603. Ind^{ne} prima 18. Martii in V^{ndo} Monasterio Divae Mariae super Montem Salcani praesentibus testibus subnotatis. Ubi perill. D. Hermanus ab Attimis q^m perill. D. Jacobi pia devotione motus erga beatam Virginem per se, et haeredes suos in perpetuum, donec tamen ipse perill. Dominus, et illius haeredes possessores fuerint Urbarii Camerae Archiducalis, exemptavit, et liberavit Vnb'lem Ecclesiam Gloriosae Mariae Montis Salcani ab annuis afflictibus, et censibus in dicto Urbario descriptis, et eidem Camerae singulo quoque anno per R'ndos gubernatores Vnb'lis Ecclesiae solvi solitis, ita, ut imposterum quousque, ut supra dicta Vnb'lis Ecclesia ab exactoribus Camerae, causa afflictuum Superiorum unquam modo aliquo molestari possit, sed semper libera remaneat, hoc tantum addito, ut R. R^{di} Patres Guardiani Ven. Monasterii dictae V'ndae Ecclesiae in perpetuum durante ut suprà teneantur, et obligati sint, prout illos idem perill. D. enixe rogat celebrare, vel celebrari facere singulo quoque anno diebus subnotatis quinque Missas cantatas videlicet die 19. Augusti pro anima perill. D. Jacobi illius Patris, 29. Decembris pro anima perill. D'nae Catharinae ipsius Matris, 29. Julii die natalitia ejusdem perill. D. Hermani, 18. Augusti, quo tempore orta est perill. D'na Ursula illius conjux, et in festo Divi Georgii, quo die dicti perillustres D. D. Hermanus, et Ursula sanctissimo Matrimonii vinculo copulati fuère, eosdem, dum vixerint, et eorum animas post mortem sub protectione beatae Mariae Virginis piè commendando. Quam donationem, liberationem, ac eleemosynam, ut suprà Ad'm R. P. Joannes Baronius de Salerno Guardianus in praesentiarum R'ndi Monasterii ipsius beatae Virginis Salcani, ibidem praesens nomine dictae Ven. Ecclesiae per se, et Successores suos acceptavit cum promissione, et obligatione celebrandi, et celebrari faciendi singulis annis in perpetuum, donec ut suprà, Missas quinque modo, et diebus superius descriptis. Praesentibus perill^{ri} D'no Hieronymo ab Attimis, et Christophoro Praesimpergher testibus vocatis, et rogatis etc. etc..

IV. Anno 1652. Fratres Conventus Montis sancti petierunt â Ferdinando III. donari sibi medium Montem, ita ut vicini Gargarienses, et Salcanenses in ea Montis parte nec ligna secare, nec animalia pascere auderent, quod ut evincerent sequentia motiva allegârunt. 1^{mo} Ne â Rusticis arbores penes viam, quae Peregrinis Montem ascendentibus umbram praebent, excindantur: 2^{do} quia Fratres ob dictam Peregrinorum utilitatem saepius implantaverint arbores, quae verò comestis â capris ramis aruerunt: 3^{tio} Quia si vicinis promiscuè admittetur sectio lignorum, intra breve tempus Mons nudus remanebit, et sic nec Fratres, nec Vicini arbores, quas secant, habebunt. Ad hunc Fratrum supplicem libellum diversae informationes petittae, et datae erant Aulae Caesareae â D. Francisco Fornassar U. J. Doctore Fiscali Caesareo, ac Saltuario in Foro julio. Qui quia Vicinis subditis Caesareis ob Fratrum petitionem non esse praejudicandum censuit, ab Aula Caesarea nulla Fratrum petitioni arridens, venit Resolutio, nisi, ut D. Fornassar Fratres cum vicino populo ad amicabilem transactionem inducat.

V. Videntes Fratres Minores, sua pia desideria ê voto non succedere, ad Ill'mum D. Martinum Comitem â Strassoldo Mariani hujus Sanctuarii eximium cultorem, et directum loci Dominum consultò recurrerunt rogando, quatenus illorum paupertatem respiciens eisdem partem Montis tam propter necessitatem lignorum, quam foeni benignè assignare dignaretur: Fratrum inopia misertus Ill'mus Comes sua territorialis jurisdictionis autoritate **plena donationis decretum in favorem Fratrum die 28. Januarii anno. 1654.** dari fecit sequentis tenoris:

Vista, et considerata la presente (*supplicatione*) trattandosi d'opera pia, e necessaria de' poveri Religiosi, havendosi ancor' a posta noi transferito sopra il loco, si concede la porzione di Commugna tenendo verso la sommità del Monte, e Convento per usufrutuare solum li fieni, e legni, che frà le confini d'esser posti dalli di noi deputati, s' attrovarano pro tempore, e questo assegnamento s'intenda non per ragione di proprietà, ma di puro usufrutto, e nel modo, che sogliansi godere le Commugne dalli Comuni, e per modo d'elemosina, tanto così etc.

Decretum per Ill'mum Dominum
Cusmina Cancelliere de mandato.

VI. Hoc pium praedicti Ill'mi Domini Comitis decretum fuit cum assignatione districtus executioni datum **die 17. Martii 1654. prout ex annexo Instrumento patet:**

Li 17. del Mese di Marzo 1654. fatto sopra il Monte di Salcano nel Convento de R. R. P. P. della minor osservanza di san Francesco.

Dove in esecuzione del Decreto del Ill^{mo} Sig^{re} Conte Martio de Strassoldo, e Sacro Romano Imperio lib. Bar. de Villa nova, Signor di Salcano, Medea, e Farra, Cesareo Consigliere, e cacciator Maggiore nel Contado di Gorizia fatto li 28. Genaro prossimamente passatto sopra la supplica delli R. R. P. P. Guardiano, e fratti di detto Convento, et in virtù della delegatione nella persona del Molt' Ill^{re} Sig^{re} Gio. Paulo Chinelli suo Sig^{re} logotenente in Salcano di metter li specificati confini havendosi questo hoggidi transferito personalmente assieme con me Carlo Cusmina Cancegliere alla presenza del Molto R'ndo Padre Sigismondo Beltram di presente Guardiano, à questo designò gl' infrascritti confini, cioè che cominciando il primo confine sotto N^o 1^o dalla Capella Vecchia, che per andar su Monte Santo per strada si trova quella, cioè di sopra la bocca di Gargaro dalla parte del Lisonzo seguiti sino al N^o 2^{do} confine pocco discosto dal trozzo, quale à dritta linea seguitando mena al N^o 3^{tio} confine d'esser messo presso il boschetto di quel piano, e di li versso in sù andando passi per quella sella di Monte, che si vede frà il spacio dal Convento alla Capella di San Giacomo, ove si porrà il N^o 4^o confine e seguirà per la metà del Monte verso Gargaro ponendo in mezzo il N^o 5^o confine à tal segno, che per dritta linea venghi à corrisponder al N^o 1^o confine dell' accennata. Capella Vecchia e tutti questi confini syno posti di pietra eminenti fuori della terra, e segnati sotto li detti numeri per poter esser visti. Così etc.

Adi ut suprà

Martio C^o di Strassoldo.

Idem qui suprà.

§. II.

De facultate caedendi ligna in silvis Caesareis.

I. Cum cuilibet, qui semel Montem Sanctum vidit, notum sit, quod silva circa Ecclesiam Montis Sancti omnino insufficiens sit ad praestanda ligna focalia pro Fratribus, et Peregrinis necessaria, imo si Fratres omnia ligna focalia ex hoc monte extrahere vellent, illum facile intra spatium 4. vel 5. annorum totaliter denudarent, sicque miseri Peregrini in maximis caloribus, qui in his partibus solito majores esse solent, Montem ascendentes non haberent ullam umbram, sub qua lassa membra refrigerarent. Unde Fratres ad Ferdinandum II. glor. mem. Romanorum Imperatorem, et Archiducem Austriae demississimè recurrerunt pro alibi assignatione facienda lignorum

Ferdinandus humillimis Fratrum precibus motus per I. A. Cameram praecepit Sal-
tuariis in foro Julii **de dato Graecii 17. Sept. 1626.** ut Fratribus Montis Sancti 26.
currus lignorum ex Monte S. Valentini extrahendi licentiam concedant, **sequenti**
Rescripto:

Demnoch Ihro Röm. Kay. May. Vnser allergenedigster Herr, dem Guar-
dian und Convent auf unseren lieben frauen Perg ob Salcan bey Görz gelegen auf
derselben allergehorsambistes Suppliciren Järlichen auß dem Välläntins Perg, doch
aber nur von gesträuch und gemeinen brenholz, 26. Fueder auf wohlgefallen aller-
genedigst verwilliget haben, also haben wir eüch dessen mit dieser Verordnung
erindern wollen, damit Ihr Ihnen soliches allezeit außzeigen, und erfolgen zu lassen
wisset, dan es beschicht ec. Graz den 17. Tag Septemb. 1626. Jahr.

II. Hoc idem Ferdinandi II. gratiosum indultum confirmavit ejusdem in
Imperio Successor Ferdinandus III. prout ejusdem ad D. Franciscum Fornassar Su-
preum Saltuarium in Foro Julii, et Istria **die 9. Decemb. 1654 dato Rescripto** patet:

Edler Hochgelehrter gutter freünd. Aldieweilen vermög buchhalterischen
bericht außfündig gemacht worden, das die, durch Herrn Seidetti des Franciscaner
Ordens Provincialen, beygebrachte abschrifliche verordnung, wegen eruolglassung
Jährlicher Sechs und zwainzig Fueder gemainen brenholz aus dem Sabatein Perg für
das Closter zu Vnser Lieben Frauen bey Salcan allda richtig, zwar wohl nur auf wo-
hlgefallen, gestellt ist. So haben wir eüch bey so gestalter Sachen, weillen es gleich-
wohl piam causam betrifft, hiemit auftragen wollen, das Ihr berürten Closter oder
Convent soliches Deputat der 26. Fueder auch fürdershin der verstandenen Verord-
nung gemäss, in so viell gestreiß oder gemainen brenholz, zu dessen nothwendiger
Vnterhaltung, doch auch nur auf wohlgefallen, abfolgen lassen, und dieser vnserer
Verordnung dergestalt nachkomben sollet. Dan es beschicht auch hieran Ihrer Kay.
May. allergenedigster willen und mainung. Graz den 9^{ten} Decemb. A^o 1654.

N. der Röm. Kay. auch zu Hungarn und Böhaimb

König. May. Verordnete I. Ö. Hoffcammer Praesident
und Räthe.

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)

Praemissam gratiosam Commissionem ex suo Originali sic requisitus Andreas
Jordan publ^s Imp^s Not^s fideliter eduxit, prout invenit, seque subscripsit in fidem,
apposito suo solito signo etc. S. S. V. C. Goritiae die 31. Januarii 1659.

L. Sign.

Laus Deo B^{tae}que V. M.

III. Quia verò silva Caesarea, ex qua Conventui permissum est educere ligna, duabus ferme milliaribus à Conventu distat, et ideo eorumeductio non parvis sumptibus constat, Patres Conventus Montis Sancti Carolo VI. Romanorum Imperatori anno 1728. Goritiae existenti supplicem porrexerunt libellum pro pecuniario subsidio ad facilius comparanda ligna, qui Fratrum precibus annuens anno sequenti 1729. resolvit ex telonio Goritiensi dandos ad triennium fl. 30. Cum autem haec eleemosyna tantis expensis proportionata non esset, Fratres anno 1732. dum prorationem, et confirmationem hujus subsidii petiissent, etiam pro augmento ejusdem supplicavêre, **Piissimus Imperator** considerans Fratrum inopiam loco 30. fl. resolvit quotannis ad triennium dandos fl. 60. ut ex ejusdem gratiosissima **Resolutione de dato Graecii 31. Januarii 1732** patet:

Ehrwürdig geistliche liebe Freünd. Demnoch Seine Kay. und König. May. auf den wegen der von Ihnen P. P. Franciscanern Ord^{is} Reformatoren am H. berg zu Görz ansuchenden Vermehrung des Ihnen A^o 1729 ad triennium verwilligten allmosens pro Jährlichen 30. f. zu beyschaffung des nothwendigen brenholzes vndtern 23. X^{ber} jüngst abgeruckten Jahrs erstatteten gehor. Bericht ihnen Supplicanten in Ansehung ihres bekandten Nothstands und deren in grosser anzahl dahin kommenden Wohlfahrtern zu solchen ihnen anstatt des brenholzes in natura außgeworffenen jährlichen 30. f. noch 30. f. Mithin zusamben Jährlichen Sechzig gulden auf andern drey Jahr lang à die des expicirten vorigen Triennii in futurum, nemblich von ersten Jenner des verflossenen Jahrs anzufangen, pro Eleemosina gnädigst verwilliget haben. Alß wird ein solches auß eingelangter Kay. Allergnädigster Resolution von 21. Dits hiemit zur Nachricht erinnert, allermassen auch die Nothdurfft gehörig expedirt worden ist, dan hieran beschicht Ihrer Kay. und König. May. etc. etc. allergnädigster will und Meinung. Graz den 31. Jenner 1732.

N. der Röm. und zu Hispanien, Hungarn und
beheimb König. May. etc. etc. Verordnete I. O. HoffCam-
mer Praesident, Vice-Praesident und Räthe.

IV. Putarunt aliqui ex illis verbis **in mox allegato Rescripto** adductis: *Zu solchen ihnen an statt des Brenholzes in natura ausgeworffenen jährlichen 30 f.* non esse Fratribus concedendam licentiam ligna caedendi in silvis Caesareis, quia loco lignationis illis assignati sunt fl. 60. Sed hanc intentionem non fuisse Suae Caesareae Majestatis, sed verum ut Fratres in faciendis expensis ob educationem lignorum alleviarentur, manifestè patet ex alia **Caesarea Resolutione de dato Graecii 30. Maji 1736.** in qua praedictam 60. fl. Eleemosinam denuo ad triennium confirmat. En claram Resolutionem:

Ehrwürdig geistliche liebe Freünd. Demnoch Seine Kay. König. May. etc. etc. wegen der von ihnen P. P. Franciscanern daselbst angesuchten Prolongation des ihnen

des ihnen zu Herbeyschaffung des benöthigten brenholzes A^o 1732. auf Sechzig gulden augmentirten und ad triennium verwilligten Subsidii noch vorhero von gehörigen Orth abgeforderten bericht auf das von Vns erstattete gutachten von 7. Marty nächsthin gnädigst resolviret, und bewilliget haben, das ihnen Supplicanten in ansehung Ihrer Armuth, und deren immerhin in grösserer Anzahl dahin kommenden Wohlfahrtern nebst dem auß denen Kay. waldungen ohne dieß in natura genüessenden brenholz obige 60. f. â die expirati zu bestreitung des Holzhaker, und Fuhrlohns auf andere drey Jahr lang abgereicht werden mögen, mithin wegen Verabfolglassung solcher Ihnen weiters ad triennium prolongirten Jährlichen 60. f. die weitere Nothdurfft an die Kay. Universal-Bancalitet intimiret haben: Wir aber diese Kay. allergnädigste prolongation an dem Kay. neü resolvirten Waldmeister zu Görz Wichtelitsch intimiret haben.

Als wird ein solches Ihnen Patribus in Craft herein gelangt Kay. allergnädigster Resolution Wien von 21. April hiemit nachrichtlichen anerinnert, dan hieran beschicht Ihro Kay. und König. May. etc. etc. gnädigster Will, und Meinung. Graz den 30. Maji 1736.

N. der Röm&. Kay. auch zu Hispanien, Hun-

garn und Böhaimb König. May. etc. etc. Verordnete

I. O. HoffCammer Praesident, Vice-Praesident und Räthe.

V. Eumdem tenorem continent aliae subsequentes gratiosissimae Caesareae, ac 60. fl. confirmatoriae Resolutiones, signantes de anno 1738. die 29. Martii. Item de anno 1740. die 25. Junii. Item de anno 1744. die 27. Julii. His tamen non obstantibus, licet claris Caesareis Resolutionibus, quidam Domini Wichtenstein in Officio Supremi Saltuarii Successor, qui se zelosum Caesareorum Jurium defensorem ostentare voluit, Fratribus tam lignationem, quam eleemosynam 60. fl. interdixit, â cujus vexatione, ut se Fratres liberarent, supplicem dederunt libellum ad Caes^o-Regiam Repraesentationem, sed ab hac remissi sunt ad Aulam Viennensem: *Die Supplicanten ihren diesfälligen Gesuch bey dem Kay. König. Hoff in Wien anzubringen haben – per Caesareo Regiam Repraesentationem Laybach den 21. Aug. 1748. Franz Joseph Wenger.* Audito hoc decreto Fratres illico compilarunt aliud Memoriale Viennam missum, sed post longioris temporis moram Fratres remissi erant ad Caes^o-Regiam-Banco-Deputationem Labacum, quae ad supplicem Fratrum libellum, sequentem dedit

resolutionem: Dem Kay. König. Waldmeister zu Görz H. Leonhardt Buglioni mit der auflaag anzuschliessen, das er dem instehenden Petito statt thuen, bey habenden bedenken aber den bericht anhero erstatten solle.

Pro Kay. König. Minist.-Banco-
Gefählen-Adm'aon Laybach den 5.
Julii 1753.

J. Seitner m'ppa.

VI. Cum autem D. Leonardus Buglioni nihil habuit in contrarium, quod opponat, mansit Conventus in possessione tam caedendi ligna in silvis Caesareis, quam percipiendorum 60. fl. eleemosynae, ab Aug^{ma} Domo Austriaca Conventui de triennio in triennium concedi solitorum, manetque usque ad hodiernum diem imperturbate, cum jugi ad B^{mam} Virginem Thaumaturgam pro conservatione, et incremento ejusdem Aug^{mae} Domus memoria. Sciendum, et benè notandum venit, quod facultas caedendi ligna, et eleemosyna 60. fl. non aequali passu currant, sed sub diverso modo ea Fratribus concessa sunt; etenim concessio caedendi ligna in silvis Caesareis data est Fratribus à Ferdinando III. Romanorum Imperatore usque ad beneplacitum Caesareum, seu donec non revocetur, aut aliud ordinetur: Eleemosyna verò 60. fl. à Carolo VI. in subsidium lignorum assignata est tantum ad triennium, hinc hujus tantum confirmatio est quolibet triennio petenda, non prioris gratiae, cum haec nunquam revocata legatur, nisi ad annum 1747. propter sinistram informationem à D. Trezzi Officii Saltuensis Praeside Aulae datam.

VII. Praedictus quippe D. dedit informationem, quod pro hospitio Salcanensi admissi sint 24. passus lignorum, Conventui verò loco lignorum assignatos esse fl. 60. attendens ad Caroli VI. **Resolutionem de anno 1732.** ut supra memini, non inspiciens ejusdem pientissimi Imperatoris **posteriorem Resolutionem de dato Graecii 30. Maji 1736. suprà n. 4. allegatam**, in qua clarè insinuat, se dare 60. fl. praeter ligna, quae aliunde semper dabantur: en **Resolutionis verba** cuilibet Grammatico nota: *Nebst dem auß denen Kay. Waldungen ohne diess in natura genüessenden brenholz obige 60. f.* etc. Si enim praefatus D. hanc resolutionem penitus inspexisset, non praetendisset à Fratribus illos 60. fl. pro lignorum solutione. Praeterea ipsemet D. Franciscus Christophorus Wichtenstein Supremus Saltuarius genuinè fassus, et attestatus est, quod ab immemorabili pro Hospitio Salcanensi assignati fuerint quotannis ad 24. currus lignorum, pro Conventu verò quantum necesse habuit, en **Attestationem praedicti Domini:**

Das denen Wohlehrwürdigen P. P. Franciscanern auß denen angelegnern wäldern vor Ihr Hospitium in Salcan 20. biß 24. Fuhr brenholz, vor derselben Convent aber auf H. Berg auß denen Landsfürst. Hoch und schwarzwaldern die zulängliche Nothdurfft auf gnädigste Verordnungen de dato Graz 21. Julii 1736. et 12. 9'bris 1737. gleich wie von unerdenklichen Jahren vor meiner Officii antretung, also auch per decursum meae Administrationis, jedoch gegen eigener bestreitung des Fuhr- und Hakher-Lohns Jährlich gegeben worden seye, wird hiemit attestirt. Görz den 23. Martii 1749.

(L. S.)

Franz Christoph von
Wichtenstein.
Waldmeister.

§. III.

De Deputato Salis Conventui gratiose concesso.

I. Quia Fratres Minores Conventus Montis Sancti omni prorsus fundatione destituti sunt, solumque ex iis, quae mendicando acquiruntur, vivunt, hinc etiam salis eleemosynam tum in ditionibus Austriacis, cum et vel maxime in statu Veneto pro sua necessitate humiliter mendicabant, et liberaliter obtinuerunt. Postquam verò Carolus VI. Romanorum Imperator, et Archidux Austriae omnem ex alienis Provinciis salis invecturam interdixisset, ne Fratres Montis Sancti per hanc inhibitionem aliquod damnum patiantur, benignè ex innata sua in hunc Sanctum locum pietate **sub dato Graecii 21. Martii 1722. resolvit**, ac praecepit, ut Fratribus Montis Sancti loco solitae collectionis 14. staria salis ex Promptuario Tergestino annuatim tribuantur, et **ex originali ejusdem Rescripto** patet sequentis tenoris:

Ehrwürdig, geistlich, Liebe Freund. Demnoch Seine Kay. und König. May. etc. dahin allergnädigst gewilliget haben, das weilen höchst gedacht dieselbe die Einfuhr alles frembden Salzes ein für allemahl so viell möglich abgestellt wissen mithin auch haben wollen, das die bishero von denen Patribus Franciscanern am H. Berg negst Görz so wohl in Statu Veneto alß anderwärtig gepflogene Salz Samblung eingestellt werde, denenselben an statt dessen auß denen Triestischen Salz Magazinen Jährlichen 14 Staar eleemosynae loco gereicht werden.

Als haben Wir zu Folge der herein gelangten Kay. allergnädigsten Resolution Wien von 11. dits dem P. Guardian und Convent hiemit anerindern wollen. Dan hieran beschicht

Ihro Kay. und König. May. etc. allergnädigster Will und Meinung. Graz den 21^{ten} Marty 1722.

N. der Röm. Kay. auch zu Hispanien, Hungarn,
und behaimb König. May. etc. Verordnete I. Ö.
HoffCammer Praesident und Räthe.

II. Cum autem Fratribus valde incommodum erat tam procul salis eleemosynam adducere cum non modicis expensis, petierunt ab Excelsa Interioris Austriae Camera, ut loco salis Tergesti accipiendi fieret assignatio apud S. Joannem in Duino utpote loco viciniore cum per hanc commutationem aerario publico nullum prorsus damnum inferatur: Fuit humillima Fratrum petitio exaudita, et assignatio deputatae salis eleemosyna facta apud S. Joannem, ut **ex sequenti Rescripto** claret:

Eine löbliche Stöll will hiemit auß besondern bewegursachen loco eleemosynae der Supplicanten demüettige bitte gnädig bewilliget haben, das denen selben das auß denen Kay. Salz Magazinen zu Triest alljährlich gnädig verwilligte Salz-quantum künftig hin, und auch vor dieses zu Ende lauffenden Jahr, Infall sie es nicht schon bekommen auß denen Kay. Salz Magazinen zu St. Joannes bey Tibein, gegen quittung verabfolget werden solle, dessen die Kay. Salz beambte zu Triest mit Einschliessung dises ex officio nachrichtlichen und zu weithern alsobaldige intimirung an denen Filialen zu gedachten Tybein zu erinnern seynd. Ex consensu Camerae Aulicae Interioris Austriae den 24. X'ber 1729.

(L. S.)

Fran^{co} Ignatio Bottoni

(L. S.)

Pietro Antonio Tognani

III. Haec gratiosissima salis eleemosyna in suo vigore permansit ab anno 1722. usque ad annum 1751. ejusque beneficio Fratres imperturbatè fruebantur annis 29. Hoc verò anno scilicet 1751. haec eleemosyna denegata fuit. Quamvis verò Fratres nulli parcebant labori, ut eleemosynam gratiosè olim concessam denuo reobtinere possent: Unde primò **supplicem libellum** porrexerunt **Caes. Reg. Ministeriali Banco-Administrationi**, à qua sequenti **Resolutione** repulsi erant: *Weil- len in dem übernohmenen Consignations-Statu vor die P. P. Supplicanten einige Salz-passirung nicht enthalten ist, alß kan dererselben Petito nicht gewillfahret werden. Per Caes. Reg. Minist. B^{co}-Administrationem Laybach den 16. Sept. 1751. J. L. Seithner m'ppa.* Cum igitur Fratres, ut sperabant, à Caes. Ministeriali-Banco-Deputatione **Resolutionem** favorabilem non obtinuerint, alium adornarunt **supplicem libellum Aug^{mae} feliciter Regnanti Mariae Theresiae** porrigendum, in quo petierunt omni, qua par est, summissione, ut aut deputatam olim à suo Genitore salis eleemosynam denuo confirmaret, aut eisdem licentiam salem mendicandi, prout

antehac consuetum erat, concedere benignè dignaretur. Ast à Ministeriali-Banco-Deputatione Viennensi iterum remissi erant ad Minist.-Banco-Deputationem Labacensem hoc cum responſo: *Widerumb hinaus zu geben und seynd die Suppl-
canten hiemit abgewisen. Per Minist. B^{co} Deput^m Wien den 13'ten X'ber 1751. J.
B. von Vnkhretsberg m'ppa.*

IV. Videns Ministerialis Banco-Deputatio Labacensis extremam inopiam Fratrum omni fundatione destitutorum, resolvit permittendam esse collecturam salis in ditionibus Austriacis excluso statu Veneto, et hoc quidem tantum ad unum annum, ut **eadem Resolutio** magis indicat **emanata die 7. Augusti 1752.** his concepta verbis:

Von der Röm. Kay. in Germanien, zu Hungarn und Böhaimb König. May. Ministerial-Banco-Administration in Herzogthum Crain und Littorali Austriaco wegen. Würdet all und jeden Mauth- und Salz-beambten hiemit zu verstehen gegeben, das dem N. Guardian und Convent deren P. P. Franciscanern am H. Berg nächst Görz auf ihr demüthigstes anlangen und bitten vor ihre Nothdurfft, und zum behuff des Hospitii zu Salcan pro anno currenti vierzehen Staar Salz in dem Österreichischen Littorali, mit ausschliessung des Venetianischen Districts zu sammeln, und in obbemelt Ihr Closter so gestalten frey einzulieffern, das sie sich der gewöhnlichen beschau und Visitation, ob kein frembdes Salz mit eingemischet seye, unterwerffen sollen, gnädig verwilliget worden. Dahero werden Sie gesammte Mauth- und Salz beambte dessen hiemit nachrichtlichen erinnert, und denen selben anbefohlen, das die das einlieferende Salz behörig praenotiren und frey passiren lassen sollen. Laybach den 7^{ten} Augusti 1752.

Christoph Lorenz F. v' Flachenfeld
(L. S.)

Pr. Kay. König. Ministerial-Banco-
gefählen Administration in Herzogthum
Crain, und Littorali Austriaco.
Joseph Fortunat Greyer m'ppa.

V. Tandem, dum anno 1755. P. Jacobus Wocalitsch hujus Provinciae Alumnus cum socio P. Solano Videtitsch ob certa Provinciae negotia pertractanda Viennam ad Thronum Caesareae Clementiae à Provincia ablegatus fuit, obtenta gratiosissimè à sua Sacratissima Caesarea Majestate Maria Theresia Audientia in familiari, et solito ad longius tempus, ita ut mirarentur plurimi Magnates, ac toga armisque conspicui viri eamdem praestolantes Audientiam, protracto colloquio inter caetera etiam oretenus proposuit factam pro Conventu

Montis Sancti â suo dilectissimo Genitore Carolo VI. salis eleemosynam, ejusque revocationem, ac enixè exorabat, ut ea denuo praedicto Conventui tribueretur. Quo audito attonita haesit, et animo revolvebat, quì fieri potuit? ut sui Officiales Fratres hac eleemosyna privarent, quam **suo gratiosissimo Diplomate de dato Viennae 28. Januarii 1746.** confirmare dignata fuit, dum pro omnibus Provinciis ditionis Austriacae Ordinis Fratrum Minorum, eorumque Conventibus concessa â suis Antecessoribus privilegia, gratias, exemptiones, et eleemosynas confirmabat, prout ex his verbis clarè patet:

Als haben Wir ... Ihnen (Franciscanis) alle, und jede ihre nach, und nach erworbene privilegien, Stiftungen, gnaden-, Mauth-, Zoll- und Aufschlags-befreyungen, schuz und schirm, vermehrtes allmosen, Holz-, Wein-, Salz- und anderes Deputat, wie es Nahmen haben mag, in genere, und für jedes in dieser Oesterreichischen Provinz gelegenes Closter in Specie (so viell sie in deren ruhigen besiz und genuss seyn) als jezt regierende Frau und Erb-Landsfürstin in Österreich gleichfahls allermildest erneüert, confirmirt und bestättet, thuen auch das erneüern confirmiren und, bestätten ihnen solches alles auß König. und Landsfürst. Machts-Vollkommenheit hiemit wissentlich in Crafft dieses brieffs etc. En clara Suae Majestatis verba, quae tamen Subalterni Officiales praesumptione malitiosa praevari-cari ausi sunt, per quam praevariationem et inobedientiae Supremae terrae Principi debitae, et defraudationis per Subtractionem eleemosynae pauperibus Religiosis debitae criminis notam incurrerunt.

VI. Quapropter clementissima terrae Princeps (quam Deus in longa tempora sospitem regnare, et conservare benignissimè dignetur) Maria Theresia illico demandavit, ut Fratribus Montis Sancti sublata salis eleemosyna ex Promptuario apud S. Joannem in Duino denuo fideliter pendatur, quod **mandatum die 8. Julii 1755. Viennae expeditum, Labaci die 21. ejusdem intimatum** fuit, quodque in Officio Caesareo apud S. Joannem his verbis **registratum** est: In vigor di graziosa Risoluzione Bancale di datta Vienna li 8. et intimato Lubiana li 21. luglio 1755. e stato risolto, che al V^{ndo} Convento di R. R^{ndi} P. P^{ri} Francescani del Monte Santo di Gorizia vengi in avenire somministrato il solito Deputato del sale d'annui stara 14. dal Ces. Regio Magazeno in S. Giovanni di Duino. Vi hujus Resolutionis praedicta eleemosyna salis ad haec usque tempora â praedicto loco sine contradictione fideliter Conventui B'mae Virginis Gratiarum in Monte Sancto annuatim tribuitur.

§. IV.

De dispositionibus Caesareis circa Caupones in Monte Sancto.

I. Cum Mons iste ob sui altitudinem (qui Salcano, â pede scilicet usque ad verticem duabus prope horis scandendus est)

et asperitatem omni hominum habitatione privatus existat, hinc omnino necessarium erat, ut aliqui caupones instituantur, qui Peregrinis praesertim, ex remotioribus partibus, qui sufficientem provisionem secum adportare non possunt, adventantibus quaequae charitativè necessaria in supportabili pretio subministrarent. Quia autem inter Caupones dominante invidia saepius contentiones, et rixae cum magno populi Devoti scandalo exortae erant, petiêrunt Fratres ad tollendas omnes discordias â Leopoldo I. Romanorum Imperatore, ut benignissimè inhibere dignaretur, ne quispiam, nisi â Fratribus determinetur, mercaturam exercere, aut cauponam tenere praesumat. Leopoldus precibus Fratrum clementissimè deferens ad Baronem Joannem Philippum Cobenzel, qui tum Comitatu Goritiensi praeerat, **sub die 12. X'bris 1672. serium mandatum** dedit, ut alios quoscumque, quibus â Conventu non fuerit permissum, â mercaturis in Monte Sancto exercendis, et lucris cauponariis arceat: constitutis vero â Conventu sedulo invigilet, ne pretii aequitatem victualium quorumcumque violent, alioquin gratiosa haec **Caesarea Resolutio** sine effectu habeatur, ut id plenius **in hac Caesarea Resolutione** continetur:

Leopold von Gottes Gnaden erwählter
Römischer Kayser zu allen Zeiten
Mehrer des Reichs.

Edel, Lieber, getreyer. Was an Vns du in causa des Convents S. Francisci am H. Berg ober Salcan wegen von den selben gebettener inhibirung denen dasselbigen würthen die zufuhr der weinen und andern Victualien derentwillen berichtlich gehorsambst herauß hast gelangen lassen, das haben Wir mit mehrern gnädigst vernomben. Worauf loco recepisse Vnser gnädigster beuelch hiemit ist, das du all die jenige zuführen, so von gedachten Closter nicht bestellt, abschaffen, hingegen aber bey denen daselbst bestelten Würthen daran und darob seyn, damit sie die leüth in allen sachen so gewiss leidentlich halten, als in widrigen solche inhibition immediate widerumb aufgehebt werden solle. Dan an deme beschicht Vnser gnädigster Will, und Meinung. Graz den 12. X'ber 1672.

Georg Christoph G. von Saurau
Stadthalter
Johann Augustin von Hirschfeld
Canzler, Ambts Verwalter.

(L. S.)

Commissio Sac. Caes. Majestatis
in Consilio
Johann Fridrich Türendt F.
Johann Fridrich Schrott

Fuit jussum exequi tenorem gratiosae Resolutionis, prout mandat Decretum, per Ill'mum D'num locumtenentem die 13. Januarii 1673.

Feltrinus Cancell^{ius}

II. Cum autem successu temporis denuo aliqui Caupones sine praescientia Conventus vina ad Montem Sanctum adducere attentâssent immemores **Resolutionis Caesareae**, P. Sigismundus Skerpin Sacrae Caesareae Majestatis Theologus, et actualis Minister Provincialis rem ad Carolum VI. Imperatorem detulit enixè rogando, ut sui Genitoris Leopoldi I. circa caupones Montis Sancti benignam **Resolutionem** ratam haberet, ac de novo omnibus praeter â Conventu constitutos, cauponibus advectionem vini ejusque venditionem inhiheret. Justis Fratrum precibus annuens Imperator dedit **sub 20. Nov. 1732. mandatum ad Comitem Leopoldum Adamum â Strassoldo** Goritiae Capitaneum, ut tenor gratiosissimi **Rescripti Leopoldi Caesaris de A^o 1672.** ad unguem observetur, et manuteneatur hoc sub tenore:

Carl von Gottes Gnaden erwählter
Römischer Kayser zu allen Zeiten
Mehrer des Reichs.

Hoch und Wohlgebohrner, Lieber, getreyer! Vmb das von Kurzer Zeit hero Vnserer untern 12. Decemb. 1672. gnädigst ergangenen Resolution zu gegen gehandelt, und von denen würthen, die Wein, und andere Victualien nach dem Heil. Berg ober Salcan wider aufs neüe eingeführt werden wolten, hat sich Fr' Sigismundus Skerpin Provincialis in ratione Conventus ersagten Heil. Bergs durch dem Anschluss demüthigst beschweret, und umb obermelttes Convent bey Vnserer Resolution gnädigst zu manuteniren, inständigst gebetten.

Worauf Vnser gnädigster befehl an dich hiemit ist, das du das Supplicirende Convent bey Inn-angezogener Vnserer Kay. gnädigsten Resolution in allweeg manuteniren sollest. Dan an deme beschicht Vnser gnädigster Will und Meinung. Graz den 20. 9'bris 1732.

Johann Christ. gr' v' Wildenstein
Stadthalter
Joseph von Zochenrain
Canzler, Ambts Verwalter

Commissio Sac. Caes. Maj.
in Consilio
Johann Georg Leütner
Leopold Christoph Wormhauser

Fuit jussum exequi, prout mandat Decretum per Ill'mum et Excell'mum Dominum Capitaneum die 22. Januarii 1733.

L. A. C. â Strassoldo
Capitaneus

J. L. Pipan Cancell'rius
Josephus Fronz Jurat. Coadj.
Not. ext. ex originali.

III. Non multum post temporis intervallum D. Antonius Comes â Strassoldo iniqua jurisdictionis usurpatione per suos subditos vinum in Monte Sancto vendi jussit, et quod etiam execrandum, Fratribus noctis tempore unum bovem auferri curavit, contra quas turpes violentias Fratres denuo suae Caesareae Majestatis auxilium, et remedium implorare coacti sunt. Imperator eximia pietate in hunc sacrum locum ardens, **sub die 2. Maji Aⁿⁱ 1736. mandatum** dedit **ad D. Wenceslaum Comitem de Purgstall Goritiae locumtenentem**, ut supplicantes ad normam **Caesarearum gratiosissimarum Resolutionum** foveat, et firmiter tueatur adversus quoscumque Sacrae quietis perturbatores **sequenti Rescripto**:

Carl

Hoch und Wohlgebohrner, Lieber, getreyer. Was bey Vns N. Guardian, und das Convent sancti Francisci am Heiligen Berg ober Salcan wider den Antoni Graffen Strassoldo (das selber seine Vnterthanen auf dem Berg wein außzuschicken, wie auch außkochen liesse, nicht minder derselbe obgedachten Franciscanern durch die Schirgen nächtlicher weill einen ochsen habe hinweg treiben lassen) gehorsambst angebracht, und gebetten ein solches verständiget der anchluss mit mehrern.

So Wir die in Krafft herein gelangten Hoff Remisses von 30. 9^{ber} 1735. hiemit gnädigst einschliessen mit befelch, das du die Supplicanten bey der in vermeldt Vnserer Landsfürstlichen Verordnung von 12. Decembris 1672. gemessen handhaben, oder aber die unterwaltenden Bedenken guetachtlich anhero berichten sollest. Dan an deme beschicht Vnser gnädigster Will, und Meinung. Graz den 2. May 1736.

J. C. Gr. v' Wildenstein
Stadthalter

J. Joseph von Zochenrain
Canzler

Commissio Sac. Caes^{tae} et Cath^{tae}
Maj^{ttis} in Consilio

Johann Georg Leütner
Joseph Antoni Pölmed

Fuit jussum exequi prout mandat partique intimari ad hoc etc. **Decretum** per Ill^{l^{mum}} et Excell^{l^{mum}} Dominum Comitem Caes. locumtenentem die 2. Junii 1736.

W. C. C. de Purgstall
log^{te}

Petrus de Gianni Jurat^{us}
act. Cancell. Nobilium **ex Originalibus** extraxit, sic requisitus, seque in fidem subscripsit.

IV. Â mox praecitato anno manet Conventus imperturbate in pacifica possessione determinandi caupones, qui in Monte Sancto vinum, aliaque victualia Peregrinis tolerabili pretio subministrant. In quem finem Conventus semper duobus tantum cauponibus, qui hominibus devotionis causa adventantibus quaequae necessaria subministrandi sufficientes judicantur, praedictam licentiam concedere solent. Quia verò his cauponibus in hospitio Peregrinorum, cujus conservatio, et reparatio Conventui incumbit, non tantum cellarium, aliarumque rerum Conservatorium, sed etiam aliqua cubicula pro accommodandis hospitibus concessa sunt. Solet quilibet eorum per modum purae eleemosynae Conventui contribuere annuatim fl. 26. Xr' 26. simul verò fl. 52. Xr' 52. quae eleemosyna in nullos alios usus applicari potest, nisi in reparationem tecti, aliasque necessitates ipsius hospitii. Ex hoc clarè apparet justa et rationabilia fuisse motiva Fratrum hujus Conventus petendi â terrae Principae privativam facultatem determinandi caupones in Monte Sancto. Quis etenim rectae rationi consonum esse arbitrabitur? ut onus reparandi hospitium Fratrum humeris imponatur, emolumentum verò inde proveniens aliis devorandum relinquatur.

Caput V.

De praedio *Privigk* dicto, et foenilibus adjacentibus.

I. Cum Mons Sanctus adeo apricus sit, petrosus et invius, ut ad Conventum in curru prorsus nil advehi possit, minus per homines adportari, necesse fuit, ut Fratres quaedam animalia sibi procurent, quae quaeque necessaria victualia, puta triticum, vinum, ligna, et in magna siccitate etiam ipsam aquam, dum cisternae pro Peregrinis factae exsiccantur, adducere debent. In quem finem Fratres semper saltem 12. intertenent Mulos pro advehendis rebus necessariis. Quia vero hujusmodi animalia ex petroso Monte praesertim tempore brumali sufficiens alimentum extrahere haud queunt, hinc necesse fuit, ut Conventus pro nutriendis necessariis animalibus alia via sufficiens pabulum quaerat. Quapropter Nobilis D. Franciscus Perisino Conventus Montis Sancti Syndicus Apostolicus Praedium *Previgk* sub Ecclesia Sancti Jacobi situm die 16. Februarii Anno 1656. â Dominis Mathia Buccella, et Francisco Maskono curatoribus filiorum, et heredum Nobilis D. Joannis Buccella pro Conventu Montis Sancti emit fl. 500. et directum in se Praedii dominium recepit, solo simplici facti usu Fratribus relicto.

II. Ut autem legenti omnia clara, et perspicua sint, **ipsius emptionis Instrumenti** tenorem de verbo ad verbum **ex legali copia** adduco, ut sequitur:

In Christi Nomine Amen. Anno ab ejusdem Nativitate 1656. Ind^{ne} 9^{ma} die verò Mercurii 16. mensis Februarii. Actum Goritiae in aedibus habitationis Nob. Domini Joannis Leonardi Valantinis praesentibus testibus infrascriptis etc. Ibique Nobb. et Ad'm R'ndus Dominus Mathias Buccella Secretarius Inclytae convocationis Goritiae, ac Franciscus Mosconus tamquam Curatores Filiorum, et haeredum quondam Nobilis Domini Joannis Bucella cum licentia Nob. D. Valantinis Supremi Exactoris Excelsae Camerae praesentis, decimum denarium recipientis, et licentiam dantis, ac cum Decreto judiciali Incl. Trib. T. I. cum onere solvendi dictae Excelsae Camerae quotannis fl. 2. K. 6. d. 2. in reliquis jure liberi proprii, ac in perpetuum per se, haeredes, et Successores dederunt, vendiderunt, cesserunt, et renuntiarent Nobili Domino Francisco Peresino tanquam Syndico Apostolico V'ndi Conventus Montis Sancti de Salcano, ibidem praesenti, ementi, stipulanti, et recipienti Nomine, quo supra, bona descripta in aestimatione facta per Dominum Hermacoram Schaur electum per dictos Dominos Curatores, et per me Columbichium electum per dictum Dominum Syndicum T. I. partibus publicata, et ab eisdem laudata cum omni jure etc. ad habendum, tenendum, possidendum, dandum, donandum, vendendum, alienandum, et quidquid deinceps placuerit dicto pio loco faciendum et hoc pretio fl. 500. K. — d. — juxta aestimationem praedictam cum conditione tamen, quod teneantur dicti Domini Curatores melioramenta colonis solvere, et pro decimo denario tradere fl. 20. K. —. et reliquum pius locus, prout convenère partes, et hoc fecisse dixerunt causa recuperandi partem Bonorum venditorum pro solvenda dote Nob. Dominae Felicitae dictorum Dominorum haeredum sorori magis utilium, ita ut remaneant fl. 480. K. —. quos florenos quatuorcentum octuaginta dictus Dominus Peresinus Syndicus, et supra numeravit, et effectualiter tradidit praefatis Dominis Curatoribus praesentibus, ac ad se trahentibus in tot promptis, et numeratis pecuniis currentibus, et usualibus, videntibus testibus, et me Notario: Renuntiantes propterea exceptioni non numeratae pecuniae, et omni Exceptioni, constituentes etc. donec etc. quam etc. promittentesque de legitima evictione, et manutentione Bonorum, ut supra venditorum sub obligatione suorum bonorum mobilium, et stabilium, praesentium, et futurorum. Praesentibus Nob. Domino Horatio Posarello, ac. Spec. D'no Joanne Striz de Goritia testibus.

Tenor productorum sequitur.

Laus Deo 1656. adi 3. Febraro in Previg dietro Monte Santo.
Misura, et stima fatta per me Hermacora Shaur eletto

per li Nobb. Sig^{tri} Heredi Bucella dell' una, et per me Sebastiano Colombichio eletto dalli M^{to} R^{ndi} Padri del Monte Santo, ò Sig^r suo Proc^{re} dall'altra, delli sottoscritti beni di ragione d'essi Signori Bucella, et seguono, ùt infra etc.

Murazzi cum poca malta sotto le case, che habitano Valentin et Michel fratelli Ria-viz nelle fazade, e frontizi passa 36.

Coperto di Paglia di meza vita passa 30.

Solaro in esse stanze con travi, et Bregoni passa 20.

Muro in una stanzietta fatto da novo dal Colono passa 5.

Il Coperto di lastre passa 4½ del Colono

Muro puo nuovo passa 11. d' esso Colono

Travi tre nella stanzietta del Colono.

Coperto di paglia buono passa 12.

Una ferratella di libbre 12. con pietra, et resto ferro nell' altra

Un forno senza Coprir del Colono.

Pietra in una parte della Cucina piedi 14. con doi Modeoni.

Il Coperto di paglia passa 25. del Colono con colonelle, et giauri.

Muro secco trà fuori, et dentro con qualche poca di Calcina passa 20.

Coperto di paglia in tutto passa 105. compreso il Coperto del scadin, di questo Coperto deve esser del Colono passa 15. cioè l'arieta con solaro di vimine.

Il scadin di Bregoni.

Pradi sopra verso la Chiesa di S. Giacomo per fien mede otto, nel luoco altre otto, e poi nelle rive doi, fano mede 18. come dissero li Coloni.

Il luoco parte arrativo, parte con alcune piantuzze, la piu parte però sassosso, et parte prado, et Bosco circa campi trenta, oltre il pezzetto, che dicono haver cavato dalla comugna, stimiamo tutto insieme, havendo havuto risguardò al sito, et utile, che si cava, et può cavarsi fiorini cinquecento, dico f. 500. K. —. d. —.

Con patto, che li R^{ndi} Padri paghino il censo, che si sol pagàre per essi beni, che dicono esser di f. 2. K. 6. d. 2. all' Eccelsa Camera, come nell'Urbario dell' Ill^{mo} Sig^r Conte Gio. Giacomo d' Attimis appresso il Nob. Sig^r Valantinis Esatore.

All'incontro li Sig^{tri} Bucella paghino li miglioramenti delli Coloni, et decimo denaro.

Praemissum venditionis instrumentum (S. N.) una cum adjuncta aestimatione fideliter in notam sumpsi, requisitus eduxi, et in hanc publicam formam rede-gi ego Sebastianus Columbichius publicus Imperiali autoritate Notarius appositis etc. S. S. V. C. etc.

Laus Deo etc.

Praemissum Instrumentum cum subjunctis aliena sibi fida manu ex consimili authenticò eductis, itaque requisitus Antonius Zannuthi publicus Caes^{ta} Auth^e Not^{ts} se in fidem subscripsit, authenticavit, sigillo munivit, ac appenso

de more sigillo S. S. V. C.

Goritiae die 14. Sept. 1735.

(L. S.)

Iustitia, et pax osculatae sunt.

III. Postquam anno 1688. Provincia Promotore P. Antonio Lazari actuali Ministro Provinciali, et Diffinitore Generali Reformationem suscepisset, Fratres Minores omnia bona immobilia, quae ut Observantes possederant, abdicârunt, contento tamen hoc Praedio *Previk*, utpote sine quo animalia omnino necessaria Conventus minimè praesertim tempore hyemali alere posset, circa hoc praedium, et hortum Hospitii Salcanensis, in quo implantatae sunt aliquae vites, ex quibus in anno fertili ad tria, vel quatuor vasa vini, non tamen pro hospitio sufficientis acquiruntur, saepius exortae sunt inter Fratres Quaestiones, an non sint contra paupertatem Franciscanam? Quamvis verò utrumque locum utpote non praeserentem proprietatem nec Regulae, nec Constitutionibus adversantem tum ex parvitate materiae, tum ex objecto, et fine debito necessitatis, tum ex Portel verbo *Redditus*, Leone Zambelis, et aliis vites illas, locumque utrumque, quà licitum, et sine praevaricatione Regulae plures Superiores Provinciales, Commissarii Visitatores, discretoria, Capitula Provincialia, et Diffinitoria liberè retinendum judicarunt, ac arbitrati sunt: Minime tamen aliquorum scrupulosorum Fratrum Conscientiae huic Provinciae sensui acquieverunt, sed Provinciam frequentioribus litterariis eorum recursibus divexarunt. Quamobrem ut huic controversiae finis imponatur, et Fratrum Conscientiae prospiciatur, A. R. P. Bernardinus Gregoritsch Provinciae Pater, et Custos actualis anno 1701. cunctis sincerè expositis dubium Sacrae negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositae Congregationi proposuit, et declarari petiit, an praedium *Previk* et hortum Salcanense possidere sit contra Regulam Fratrum Minorum? Ad quod dubium eadem Sacra Congregatio, ut **originaliter** constat, hanc dedit **resolutionem**:

Sacra Congregatio Emin^{rum}, et Rmo^{rum} S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, audito Patre Procuratore Generali Ordinis, referente Emin^{mo} Gabriellio, censuit ad utrumque rescribendum negative. Romae 3. Maji 1701.

(L. S.)

G. Card. Carpineus.

IV. Remanente penes Syndicum Apostolicum dominio directo praedii, subinde usus fructus illius ab altero Conventus Syndico Perillustri, et Clar^{mo} Domino Antonio Mattaloni. J. U. Doctore cuidam Lucae Juretic concessus est erga servitia quaedam Conventui praestanda, ad quae iste, se suosque haeredes **per publicum instrumentum die 12. Aprilis 1725. confectum** obstrinxit attamen à Fratribus ad ea praestanda nulla civili actione renuens compelli potest. En **Instrumentum ex Copia legali** desumptum:

In Dei Nomine. Amen.

Ego Lucas Juretych coram infrascriptis testibus ad hunc actum requisitis publicam facio fidem omnibus, et singulis, quibus expedit universis, et liberè non seductus, nec coactus, sed seriò, animoque deliberato fateor, quod postquam Perillustis, ac Excell^{mus} D'nus Antonius Mattaloni Juris utriusque Doctor, ac V'ndi Conventus Montis Sancti supra Goritiam Syndicus Apostolicus mihi, meisque haeredibus certum fundum *Previch* dictum, situm sub Monte Sancti Jacobi, qui Conventui R. R. Patrum Franciscanorum in dicto Monte Sancto ad arras B. M. V. ex pia causa olim obvenit, gratis contulerit, dederit, et effectivè tradiderit, ita ut ratione annui pensi publici propter hunc fundum praestandi, ego me libro Aestimi Ill^{mi} Comitatus Goritiensis inscribendi, et inserendi habeam plenariam facultatem, simque omnino obligatus.

Pro hac verò gratiosa concessione ego, meique haeredes Possessores praelibati fundi praeter pensum publicum in persolutione unius annui floreni Supano Gargarensi consistentem, et aliud onus Ecclesiae Divi Stephani oppidi Salcanensis, aut R^{mo} D'no Parocho Goritiensi hactenus à me, meisque Antecessoribus rite persolutum, etiam posthac singulis annis persolvendum ad subsequenda onera in perpetuum simul et in solidum simus obligati in debitam recognitionem singulis annis praefato Conventui praestanda, ut sequitur

Primò: Me, meosque haeredes obligo ad praestandum omnes labores, et conducturas Conventui necessarias, et occurrentes, quas hactenus, seu usque ad tempus modernum ego, meique Antecessores praestiterunt, ita tamen, ut Dominus Syndicus Apostolicus per Conventus Procuratorem pro dictis laboribus, et conducturis mihi administret boves sufficientes, quibus me obligo juxta consuetum semper duos de meis addere; quod si ultra duos boves alia propria animalia habebo, etiam proprio foeno ea me compromitto alere.

Secundò. Obligo me, meosque haeredes propriis expensis meis velle defalcare foenum tam primum, quam secundum situatum in districtu illius terrae *Previch* dictae pro animalibus Conventus. Alia verò prata extra hunc districtum obligo pariter me, meosque Successores haeredes velle, et curare defalcari pro necessitate eorumdem nominati Conventus animalium mediantibus expensis, cibo, et potu dando à D'no Conventus Procuratore, aut paratâ purâ pecuniâ persolvendo operarios juxta dispositionem, et conventionem faciendam per Dominum Syndicum Apostolicum, qui sibi, suisque in Officio Syndicatus Successoribus reservat jus in omni eventu neglectus, renitentiae aut damnificationis aliter, et per alios idipsum disponendi, et exequendi. In recognitionem verò hujus assistentiae in defalcando, exsiccando, et colligendo foeno, ac etiam personalis adjuvaminis idem Dominus Syndicus Apostolicus annuos 35. modios avenae solitos dari Conventui in recognitionem illius terrae cedit, et liberè donat dicto Lucae Juretych, suisque haeredibus praesuppositâ semper notatâ, et spe-

cificata assistentia, et personali in hac defalcatione adjuvamine.

Tertiò. Seminando, et colendo fundi illius terram pro mea, meorumque sustentatione me obligo aratro ulterius non extendi, minus tali extensione praejudicandi, aut minuendi foenum summè animalibus Conventus necessarium, relictis singulis annis dicto Conventui duabus terrae portionibus pro rappis, et caulibus.

Quartò. Me meosque haeredes obligo sedulo tenere ocllsum totum situm, et districtum *Previch*, ac custodire omnes arbores, aliaque arbusta, et Dumeta tum in districtu hujus terrae *Previch* contenta, tum extra sub Ecclesia Divi Jacobi declinando usque in *Previch*, ne ab ullo pro fabrica, aut igne scindantur, furto tollantur, vel à me gratis, aut pro solutione vendantur, sed Conventui cuncta ligna cum arboribus indemnita conserventur: eodem modo me obligo prata omnia custodire, ne ab animalibus, aut quocumque alio modo damnificentur. Quod si ad reparandum successivè tectorum ruinam, idemque intelligendum secuta casuali unius, aut omnium tectorum per incendium conflagratione, lignis terrae illius egeret, tenebitur Domino Syndico Apostolico se insinuare: quo casu idem Lucas Juretig cum suis haeredibus se obligat sua industriali personali, et adjuvamine cooperari ad similem tecti reparationem, et necessarium stramen pro possibili administrare.

Quae omnia me, meosque haeredes absque minima renitentia, aut mora obligo exactissime praestitutum, ita quidem, ut si ego, vel mei haeredes, qui, ut dictum, omnes, et singuli in solidum obstricti simus, minimam praedictarum praestationum executione committeremus cunctationem, ipso facto sine ulla aut mea, aut meorum contradictione hac fundi istius collatione simus privati, et memorato Perill^{tri} ac Excell^{mo} D'no Syndico, ejusque in Officio Successoribus sit absolutè, et perpetuis temporibus liberum, cui velint, vel placebit hanc gratiam, et fundum conferre, dare, et tradere; siquidem jus perpetui constituti inibi sibi reservat, nullo mihi, meisque haeredibus aut Successoribus juris, vel praxeos beneficio, prorsus patrocinate, quo ego deliberatè pro me, meisque Successoribus perpetuò renuntio, mihique et illis perpetuum imponendo silentium, ista nec via facti, nec via juris contravenire velimus, minus debeamus.

Goritiae, die 12. Aprilis 1725.

Ego Antonius Mattaloni Syndicus Ap'lcus affirmo et promitto
cuncta

observare, et manutenere per me et Successores ad praesentium
infrascriptorum m'ppa

Ignatius Beucig Con'tus Pr'or affirmo, ut suprà

Ego Franciscus Mattaloni fui praesens praemissis

Et Ego Fridericus Locatelli Not^s fui praesens praemissis, et traditioni unius Copiae Lucae Juretig
per Nob. Dominum Syndicum factae m'ppa

V. Postquam verò R^{mus} P. Laurentius â S. Laurentio totius Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, et postea S. R. E. Cardinalis Cozza nuncupatus, applaudente Summo Pontifice Benedicto XIII. è Gente Ursinorum Ordinis Praedicatorum, ad maiorem Regulae Seraphici Patris S. Francisci puritatem observandam praecepisset, ut in toto Ordine, piorum legatorum, hortorum, aliorumque immobilium bonorum proprietas, et dominium directum â Syndicis Apostolicis, aut ipsis fundatoribus, aut eorum haeredibus, vel verò his deficientibus aliis piis extra Ordinem personis resignetur, quae illud non nomine Sedis Apostolicae, sed vel nomine proprio, vel haeredum in se suscipiant, ita, ut Fratres Minores nullam praetensionem in ipsa legata, aut fundos habere possent, minus aliquam actionem civilem. Sed â directis bonorum dominis, licet ipsis sint ex primaeva institutione legata, et donata, non aliter quam aliam eleemosynam, mendicando petere sint obligati. Quapropter, ut Fratres Montis Sancti huic Sanctissimae Ordinationi, ut par est, morem gerent, Dominium directum praedii *Previk* mediante ante suo Syndico Apostolico D. Julio Josepho Romano deficientibus haeredibus resignarunt in manus Ill^{mae} et R^{mae} Dominae Superioris Sanctimonialium Ursularum Goritiensium D^{nae} Joannae Mariae de Assumptione, quae nomine suo, et Monasterii pro futuris, quibuscumque temporibus in se cum omni jure, et proprietate suscepit die 9. Feb. 1727. adeo, ut illa dumtaxat suumque Monasterium virtute juris, et in se translatae, susceptaeque proprietatis dictum Usufructuarium Lucam Juretich, ejusque Successores confirmare, aut amovere valeat prout sibi collibitum fuerit.

VI. Fratres verò in contestationem translati in R^{mam} Superiorem, et Monasterium Sanctimonialium Societatis Sanctae Ursulae directi dominii, et omnimodae expropriationis factae quotannis humillimis precibus altefatam R^{mam} Dominam Matrem convenire tenentur, ut ipsis eleemosynae titulo facultatem facere velit, foenum in praedio, et pratis ei adjacentibus defalcandi, quod jumentis apprime necessariis per hyemem pabulum praestet. Id quod amplius **ex authentico translationis instrumento** dignoscitur, quod ita sonat:

In Dei Nomine Amen.

Ego Julius Josephus Romano J. U. D. ac pro tempore Conventus Montis Sancti Seraphici Ordinis Fratrum Minorum Reformatorum Syndicus Apostolicus, publicam facio fidem omnibus, et singulis, ad quos has venire contigerit, quod postquam memorato Conventui certus fundus *Previch* dictus sub monte Ecclesiae Divi Jacobi situatus, cum omnibus pratis in et extra illum existentibus ex pia causa, aut quocumque alio titulo olim obveniret nomine Sedis Apostolicae, ita ordinante, ac praecipiente regnante Summo Pontifice Benedicto XIII., eundem cum omni jure, proprietate, et dominio Ill^{mo}, et R^{mo}

Ursularum Monasterio contulerim, dederim, et effectivè tradiderim attentis humillimis, et demississimis precibus eorundem Patrum altissimae paupertatis Professorum, Ill^{ma}, et R^{ma} Domina Joanna Maria de Assumptione dignissima S. Ursulae Religiosarum Superiora Nomine suo, totiusque Monasterii pro futuris quibuscumque temporibus praesentibus infrascriptis testibus ad hunc actum requisitis benevole praememorati fundi, omniumque pratorum jus, dominium, totamque proprietatem in se suscepit, ita ut liberum ei sit modernum Lucam Juretig terrae illius cultorem, et usufructuarium confirmare, aut alium arbitrariè substituere.

Alte dicta Ill^{ma}, et R^{ma} Superiora, qua absoluta Domina, ac nominati fundi, omniumque Pratorum proprietaria, curavit coram eisdem testibus ad se vocari, et citari Lucam Juretig, eundemque in suo pristino usufructu confirmavit, et ratificavit, adjectis illi sequentibus oneribus, ac conditionibus hactenus Conventui Montis Sancti praestitis, ac in futurum praestandis, qui se compromisit indispensabiliter praestitutum, ut sequitur.

1^{mo}. Pro hac gratiosa usufructus praelibati fundi ab Ill^{ma} et R^{ma} Superiora ac â toto R^{mo} Ursularum Monasterio mihi facta confirmatione, me, meosque Successores pensum annui floreni Supano Gargarensi aliudque onus Ecclesiae Divi Stephani Oppidi Salcanensis, aut R^{mo} D'no Parocho Goritensi hactenus â me, meisque Antecessoribus rite persolutum, etiam posthac singulis annis persolvendum me, meosque Successores obligo, ac ad subsequenda onera simul, et in solidum praefato Conventui Montis Sancti simus in debitam recognitionem obligati praestanda, ut sequitur.

2^{do}. Me, meosque Successores obligo ad praestandum omnes labores, et conducturas Conventui necessarias, et occurrentes, quas hactenus, seu usque ad tempus praesens, ego, meique Antecessores praestiterunt, ita tamen, ut per Conventus Procuratorem pro dictis laboribus, et conducturis mihi administrarentur boves sufficientes quibus me obligo juxta consuetum semper duos de meis addere, quod si ultra hos duos boves alia propria animalia habebo, etiam proprio faeno, ea me compromitto alere.

3^{tio}. Obligo me, meosque Successores propriis meis expensis velle defalcare faenum tam primum quam secundum situatum in districtu illius terrae *Previg* dictae pro animalibus Conventus. Alia verò prata extra hunc districtum obligo pariter me, meosque Successores velle, et curare defalcari pro necessitate eorundem nominati Conventus animalium mediantibus expensis cibo, ac potu dando â Domino Conventus Procuratore. In omni autem eventu neglectus, renitentiae, aut damnificationis Ill^{ma}, et R^{ma} sibi, suisque in Officio Superioratus Successoribus reservat jus aliter, et per alios id ipsum disponendi, aut exequendi. In recognitionem verò hujus assistentiae in defalcando, exsiccando, et colligendo faeno, ac etiam personalis adjuvaminis eadem Ill^{ma}, et R^{ma} Domina Superiora triginta quinque, dico 35. modios avenae solitos dari Conventui in recognitionem illius terrae cedit ac liberè donat dicto Lucae Juretig suisque Successoribus praesupposita semper notata, et specificata assistentia, et personali in hac defalcatione adjuvamine.

4^{no}. Seminando, et colendo fundi illius terram pro mea meorumque sustentatione obligo me aratro ulterius non extendendi, ne per talem extensionem praejudicem, aut minuam faenum summe animalibus Conventus necessarium relictis singulis annis dicto Conventui iuxta solitum duabus terrae portionibus pro rappis, et caulibus.

5^{no}. Pariter me, meosque Successores obligo sedulo tenere ocllusum totum situm, et districtum *Previk* custodire omnes arbores, aliaque arbusta, et dumeta tum in districtu hujus terrae *Previk* [...] ⁴²⁶ contenta, tum extra sub Ecclesia Divi Jacobi declinando usque in *Previk*, ne ab ullo pro fabrica, aut igne secundantur, furto tollantur, vel à me gratis, aut pro solutione pendantur, sed omnia ligna cum arboribus indemnita Conventui summè necessaria conserventur: eodem modo me obligo prata omnia custodire, ne ab animalibus, aut quocumque alio modo damnificentur.

Quod si ad reparandam successive tectorum ruinam, idemque intelligendum secuta casuali unius, aut omnium tectorum per incendium conflagratione, lignis terrae illius egeret, tenebitur praeordinatae Ill^{mae}, et R^{mae} Dominae Ursularum Superiorae se insinuare, et humillimè necessaria ligna petere, quo casu idem Lucas Juretig cum suis Successoribus se obligat ad mediam aliunde partem dictorum lignorum procurandam, ac sua, suorumque industria personali, et adjuvamine cooperari ad simplicem tecti reparationem, necessariumque stramen pro possibili administrare.

Quae omnia me, meosque Successores absque minima renitentia, aut mora obligo exactissime praestitutum, ita quidem, ut si ego, vel mei Successores, qui, ut dictum, omnes, et singuli in solidum obstricti simus, minimam praedictarum praestationum executione committeremus cunctationem, ipso facto sine ulla aut mea, aut meorum contradictione, hoc fundi usufructu, simus privati, et penitus exclusi, et memorato Ill^{mo}, et R^{mo} Ursularum Monasterio sit absolute, et perpetuis temporibus liberum, cui velit, vel placebit sub specificatis oneribus hanc gratiam, et fundum conferre, dare, et tradere.


Denique ejusdem Conventus Montis Sancti Guardianus cum Discretis, caeterisque Religiosis protestantur in Domino, quod praedicta omnia à memorato Luca Juretig fundi illius incola, et usufructuario, suisque Successoribus Conventui praestanda pro futuris quibuscumque temporibus nonnisi per modum simplicis eleemosynae recipere velint, et intendant, et non aliter, omni obligatione, dominio, et proprietate penitus cessantibus, et à se abdicantibus, imo quoties faenum defalcandum erit, toties per Guardianum loci, vel per suos Religiosos suppliciter conveniri debebit Ill^{mum}, et R^{mum} Ursularum Monasterium, quo annuente foenum per modum purae eleemosynae suscipiendum erit.

Praemissam Scripturam ego Petrus Pauletig Publicus

Imperiali Autoritate Notarius sic requisitus in notam sumpsit, ac partibus publicavi, quae illam in omnibus punctis approbarunt, et affirmarunt. Praesentibus Ad'm R'ndis Dominis Ignatio Beucig, et Joanni Zoratti testibus habitis, et rogatis.

Goritiae in Collocutorio V'ndi Monasterii S. Ursulae die 9. Februarii 1727.

Ego infrascriptus Notarius pariter requisitus praemissam Scripturam **ex Originali** penes me existente, prout inveni, fideliter extraxi, in fidem subscripsi, authenticavi, ac apposito signo de more signavi etc. S. S. V. C. etc.



Goritiae die 1^a Maji 1728.

VII. Praeter praedium *Previk* et loca ad illud pertinentia (ex quibus pro animalibus Conventus percipiuntur ad 12. currus de faeno) sunt et alia prata extra illum districtum vulgo *di Montagna* dicta, ex quibus Conventus pariter percipit 12. currus foeni. In Vicinis Alpibus vulgò *Na Planine* sunt et alia prata prout sequitur:

Pratum dictum <i>Calizh</i> , ex eo Conventus percipit	currus 1 ½.
..... <i>Senich</i> , ex eo percipit Conventus	currus 7.
..... <i>Dolina</i>	currus 2 ½.
..... <i>Vodizar</i>	currus ½.
..... <i>Cobilegh</i>	currus 5.
..... <i>Stechouka</i>	currus 2.
..... <i>Duse</i>	currus 7.
..... <i>Sabinech</i>	currus 1.
..... <i>Reskar</i>	currus 1.
..... penes <i>Skerl</i>	currus 1 ½.
..... <i>Chuch</i>	currus 7.
..... <i>Pischar</i>	currus 2.
..... <i>Trebes</i>	currus 2.

In tribus pratis hospitii Salcanensis, quorum unum dicitur *Babnig*, alterum *Na Raunizach*, et tertium *Cramarza*, colliguntur tres currus faeni.

VIII. Haec est unica fundatio, quae pro Conventus summè necessariis animalibus intenterendis facta est, ex qua fundatione Fratres pro sui sustentatione prorsus nihil percipiunt. Sunt quaedam et aliae fundationes in piis legatis consistentes, sed quia hae annexum habent certas legendi Missas onus, non sunt considerandae, ut fundationes, sed tantum ut congruum Missis dicendis, correspondens stipendium. De caetero nec Ecclesia aliquam habet dotem, seu fundationem; ~~[Erat enim illi Ecclesiae Dos, sive fundatio, quam cunctipotentis, nulliusque indigi, et liberalissimi Numinis Genitrix et Coeli, terraeque Domina suis honoribus ideo aedificari praecepit ut ipsa veluti~~

Thesauraria ibidem specialius residens, omnia omnium generum fluentia gratiarum, pie implorata suos in Clientes deridet? Numquid enim Domui suae sufficiens illa censenda non erat, quae omnibus se invocantibus omnia facta per ducentos, et quadraginta et amplius annos quidquid recte petunt, liberalissime elargitur, et Fratres Minores ad quadragenarum munerum ascendentes, quos ex Bosnia advocatis, ut hoc in loco sibi famulentur, elegit, in aprico adeo Monte ab hominum consortio, et sublevamine prorsus semoto, ac omni fundatione destitutus, ex purisque fidei-
 lium eleemosynis viventes, materno sinu non complectitur modo, sed ad invidiam insuper multorum non sine manifesto in dies singulos miraculo nutrit, sustentat, tantaque benedictione praevenit, ut et copiose confluenti omnia charitatis officia praestent.]⁴²⁷

Caput VI.

De moderno Ecclesiae statu, ejus Altaribus, eorum consecrationibus, et sepulchrorum Epitaphiis.

§. I.

De Campanili, et Campanis et reliquis Ecclesiae adjectis.

I. Visum est supra c. 2. § 2. Ecclesiam fuisse, ut hodie visitur, jam anno 1544. consecratam cum quatuor Altaribus, hinc hoc capite ea tantum commemorabo, quae Ecclesiae adjecta erant, postquam illa à Serenissimo Archiduce Carolo Fratribus Minoribus Provinciae Bosnae Croatiae tradita fuit officienda. Inter caetera Ecclesiae adjecta opera principem sibi Campanile vindicat locum. Campanile ab exordio Ecclesiae humile aedificatum fuisse censendum est, quia unicum Campanam habuisse dignoscitur, et quidem eam, quae minor ex nunc in turri appensis est, prout **ex ejusdem inscriptione** dignoscitur, utpote annum coevum Ecclesiae denotante vid. annum. 1541. Postmodum verò anno 1626. sub Provincialatu A. R. P. Bonaventurae Sbona, et Guardianatu P. Georgii Ugullini è fundamentis per quadros lapides in tres contignationes consurgens novum erectum fuit, generose ad id operis sumptus suppeditante D. Mathia Bendler Cive Goritiensi, ut patet **ex Contractu inter ipsum et P. Joannem Baptistam Traverso Architectum inito**, quod sic sonat:

Adi II. Maggio 1626. Con il presente Scritto si dichiara qualmente se ha fatto novo accordio, trà il Sig^{re} Mattias Bendlar Cittadin di Goritia, et Maestro Gio. Bat'ta Traverso Capo Mastro per fabricar la torre sud^{ta} contentandosi detto Mistro Gio: Bat'ta pèr la mercede della sua persona, alla Giornata lire tre et soldi dieci, et le spese, alli altri suoi Mistri à ciaschedun

soldi quaranta cinque à lavorar nella torre, et nelli tempi cattivi nò potendo lavorare nella torre, se gli darà mezo pagamento, lavorando in Convento, et le spese, et detto accordio durerà sin tanto che se murerà, ò metterà il cornison in detta torre, et in fede di d^{to} accordio, se anno sotto scritto li sudetti Sig^r Matias et M^{ro} Gio: Bat'ta in presentia del M^{ro} Rev: P. Bonaventura Sbona Ministro Provinciale, et del P're Giorgio Ugolino Guardiano di questo Convento di Monte Santo, il sopra detto giorno etc.

Io Mattias Bendlar confermo come di sopra
Io Gioann Batesta Traverso confermo come
di sopra

II. Ex hoc instrumento paret, quod turris haec coeva sit Conventui à P. Bonaventura Sbona aedificato, cujus constructio eodem anno, quo Conventus fabrica absoluta fuit, videlicet 1626. inchoata censenda est. Suprema elatae supra modum Turris contignatio infausto Fulminis ictu quassata bis corruit, bis item primaevae fermè proceritati restituta fuit. Prior ruina accidisse notatur anno 1702. sub gubernio P. Philippi Columbichii, qui eam ultimo sui Guardianatus anno erexit. Alter casus, qui sub P. Bonagratia Gollob anno 1737. contigit, minoris erat momenti, unde et eodem anno levibus expensis reparata fuit. Sic restituta turris totì Viciniae dominabatur usque ad tempora P. Chrysostomi Pogatschnig, ad annum scilicet 1755. quo die 10. Septembris tertio fulmine petita deplorandum in modum fuit disjecta, manetque etiamnum humiliata, non nisi lateritio Capitegio, eoque ferme plano à P. Theodorico Paganetto tunc Guardiano donata.

III. Decima itaque Septembris 1755. circa horam 9^{nam} Vespertinam minacissimae ab Aquilone nubes sunt advectae, earumque tempestuoso conflictu ardor expressus se subito emisit, densatissimamque turrì horrenda quassatione, praesertim ejusdem Capitegium usque ad Campanas intercessionem Deiparae ab omni laesione praeservatas, quae quamvis inclinatae pendebant, non tamen aut confractae, aut ab igne laesae erant, disjecit. Ignis subito succensus pergulae, per quam ad turrì ex Sacristia itur, tectum, armaria item, in quibus ibi locatis Ecclesiae, et Sacristiae suppellex servabatur, exussit: à duobus porro vigilantibus Fratribus alii excitati adeo strenuam operam in extinguendo incendio simul locarunt, ut id noctis hora 11. felicissimè sopiverint, et praepediverint, ne ad Sacristiam. aut Conventum, per accensum pergulae tectum ad utrumque connexionem habens vicinìus serpsit. Fulmen nihilominus pernicitate sua Sacristiam penetravit, ac relictis in armariis paramentorum foraminibus, à graviore eorumdem cladem sibi temperando, non nisi aurum, et argentum, quod eorum quibusdam intextum erat decoloravit, in Cella Vinaria sine ullo damno tandem extinctum, Campanae depositae erant, et post novum Chorum, donec turris reficiatur, collocatae. Postquam

turris successivis temporibus refecta fuisset, Campanae denuo sub Guardianatu P. Theodorici Paganetto die 3. Octobris 1758. repositae erant.

IV. Ex tribus Campanis in turri pendentibus, minima sub titulo S. Josephi consecrata caeteris antiquior est, et Capellae B. V. Gratiarum coaeva, quod ex hac inscriptione Gothicis litteris dignoscitur: **JESUS NAZARENUS REX JUDEORUM BER. VAL. DUM ME FECIT MCCCCCXXXI**. Mediocris aetate priori suppar traditur quia illius ortus nuspian documentorum reperiatur, attamen omni asseveratione id affirmari non potest, cum quid signaturae illa habuit, ab antiquitatis venerandae minus aequis aestimatoribus A^o 1773. quo die 22. Junii transfusa fuit, transumptum non sit. **Recens porro fusae sequens inscriptio addita est: A fulgure, et tempestate libera nos Domine. Opus D. Francisci Franchi D. D. S. S. Michaeli, Josephi, Annae, Moysi, et Eliaes fusum Goritiae An^o MDCCLXXIII. Eccles. Reg. Clemente XIV. Rom. Imper. Josepho II. et Dioeces. Gorit. Celsis. ac Re^{mo} D. Carolo Michael e Comitibus ab Attems Primo ejusdem Archiepiscopo.** Major Sanctae Mariae honoribus consecrata ambabus junior fusa est A^o 1666. ut perbella illius inscriptio insinuat. **JESUS CHRISTUS venit in pace * Et Deus homo factus est * Et Verbum Caro factum est * Opus Petri Francisci Franchi de Utino A^o 1666. ad Maj. Sanct. Trinitatis, Jesu Christi Humanitatis, B. V. Mariae Gratiarum Matris de Monte Sancto prope Goritiam, omniumque Apostolorum, nec non S. S. P. P. Francisci, et Antonii de Padua gloriam, et honorem Eleemosynis Benefactorum, et industria P. Petri Seidetti Guardiani, et P. Bonifacii Pulini Vicarii Conventus sub Provincialatu A. R. P. Petri à Flumine, Ecclesiae Principatum regente S. D. Alexandro VII. et Romanorum gubernante Imperium Leopoldo Primo.** Minima denique Campana Sacristiae ad latus Capellae B. V. Gratiarum meridionale in lapidea turricula suspensa media est aetate prioribus junior, senior majori fusa videlicet A^o 1644. ut ex hac inscriptione patet: **Michael Remer Labaci me fecit Anno D. MDCXXXIV.** Quinta Ecclesiae Montis Sancti Campanula (quae his temporibus ad alium usum non est, quam, ut tempore aestivo, ac ingruentibus tempestatibus Fratres ad Chorum convocet, nam tempestate ingruente majores Campanae non pulsantur, et peregrinis horas denuntiet) in altera supra pergulam, qua ex Conventu ad Chorum itur antiquum, lapide scisso congesta turricula pendet. Fusa est Utini A^o 1700. à Josepho Franchi, et Lauretana (ut dicunt) benedictione decorata, ac honoribus Sancti Francisci dicata, ut ex hac inscriptione patet: **Sancte Francisce ora pro nobis. Opus Josephi Franchi Utinensis MDCC.**

V. Tempore A. R. P. Romualdi Sitter, cujus industria Conventus novus è fundamentis anno 1714. erectus fuit, etiam nova Sacristia, ut **ex computis expensarum pro fabrica Conventus factarum** conjicitur, extracta fuit, in quam expensi leguntur Duc. 300. L. 3. S. 16. Hoc eodem tempore novus Chorus post Aram majorem erectus fuisse creditur, quam

hujus erectionis inter praedictas expensas nulla mentio habeatur, ast chorus primò anno 1728. Organo, stallis etc. ex nuceo ligno affabre elaboratis ornatus, et completus fuit, quod à tergo stalli P. Guardiani insertum advertitur. Chorus fornace ad latus Evangelii posita primitus instructus fuerat. Subinde verò obmurato majoris securitatis causa fornacis foramine, et illa sublata est. Anteriori demum Sacristiae, et choro post 28. annos videlicet anno 1742. sub A. R. P. Casparo Pasconi Sacristia interior accessit, ferrea subinde, et portabili fornace donata. Sexaginta tribus annis elapsis proximam tectum chori minabatur ruinam, idcirco A^o 1777. sub Guardianatu P. Caroli Novak recentibus suppositis trabibus, assumptis potiore partem novis imbricibus in integrum est restitutum.

VI. Gradus lapidei tum ii, qui ad forum Ecclesiae assurgunt, cum illi, qui ante fores Ecclesiae prostant, constructi fuerunt A^o 1622. sub Regimine P. Bonaventura Sbona, idque colligitur **ex signatura uni eorum insculpta**. Perstiterunt 117. annis, et ob vetustatem cuncta ex natura sua rodentem ferme collapsi, conquisitis industria P. Caspari Pasconi Ex-Ministri et actualis Provinciae Custodis Anno 1739. die 30. Julii piorum benefactorum eleemosynis à fundamentis iterum renovati, et additis geminis columnis octoangularibus, super quas Ss. Angelorum Gabrielis, et Raphaelis simulacra erga Thaumaturgam Virginem admirabunda consistunt, ad decorem fuerunt ampliati. Grande porro illud simulacrum B'mae Virginis Jesulum à dextris gestantis supra majorem Ecclesiae portam A^o 1712. sub P. Alexandro Bresciak collocatum fuisse dignoscitur, **ex infra posito lemmate**:

NVLLVM DespICIt

Id anno 1714. fulmine, ut fertur dejectum, ad enecationem compressis duabus faeminis, citra vel levissimam sui comminutionem priori loco est restitutum.

VII. Adjacent insuper Ecclesiae B'mae Virginis Gratiarum bina Sacella justa ab invicem distantia sejuncta, honoribus Sanctorum Angelorum, et Seraphici Patris S. Francisci dicata. Primum ad ingressum in atrium Conventûs in loco non-nihil eminentiori constructum fuisse, eodem anno, quo primus Conventus videlicet 1626. industria P. Bonaventurae Sbona, qui eo anno Monti Sancto praefuit, **ex sub-jecta super liminari incisione** advertitur:

16. SACELLUM S. S. ANGELORUM. 26.

Alterum verò supra gradus, quasi in vertice Montis A^o 1632. ab Ill^{mo} D. D. Barone Michaelae à Rabatta, et Catharina ejus conjuge, ut patet ex supraposita inscriptione:

*Aedicula S. P. Francisci erecta ab Ill^o D. D'no Michaelae
Lib. Bar. de Rabatta etc. et ab Ill^{ma} D. D. Catharina
ejus Conjuge etc. 1632.*

Supra fenestram ejus meridiionalem haec sunt incisa:

Maister Joannes Schmerl Stiamez Anno 1632.

Praedictus III^{mus} D. Baro Michael Rabatta in suo ultimo Testamento facto in Arce Dorimberg die 29. Octobris Anno 1647. non tantum pro complendo Altari in dicta Capella, et aliis pro Missae Sacrificio procurandis necessariis legavit fl. 300. Sed etiam pro reparanda, et perpetuis temporibus conservanda Capella ordinavit agnellos duos, gallinas duas, avenae modios duos, in pecunia lib. 9. et defalcatorum faeni unum per 16. dies quotannis per Paulum Vodizar ejusque successores praestanda. Legati hujus proprietatem renuntiavit P. Alexander Bresciak haeredibus praelaudati D. Michaelis Rabatta die 31. Julii 1725. Nec Conventus ea nunc percipit aliter, quam per modum purae eleemosynae.

VIII. Aliis Capellis [septem] octo⁴²⁸ justa partitione sejunctis ascensus Montis Sancti ad porticum usque, et gradus recens constructos exornatur: quarum Superiores quatuor ex loco *Prevala* dicto, sub saepe laudato P. Bonaventura Sbona zelantissimo, et nunquam interiturae memoriae hujus Sancti loci custode A^o 1622. et sequentibus constructas **ex incisionibus** animadvertimus, ad excitandam utique peregrinantium devotionem erga gloriosissimae Virginis miraculis nitescentis sedem, ab ipsa peculiariter hoc in loco electam. Alias verò tres inferiores, et Salcano viciniores Capellas, cum illa, quae in via posterioribus temporibus strata, Ss. trium Regum est collocata, ab altero desideratissimo P. Romualdo Sitter prioris exactissimo aemulatore A^o 1723. sub locali regimine P. Alexandri Bresciak additas fuisse colligitur **ex quodam instrumento transactionis**, quod Antonius Torre aedilis Caesareus à Conventu Montis Sancti, et Blasio Oblak, ac Josepho Sisa Gargarensibus murariis, ob quatuor ruinosae ab istis aedificatas Capellas contententibus arbiter interpellatus confecit. Denique ad augendam erga gloriosissimam, et Coronatam Dominam, et Matrem gratiarum devotionem, tum sublevandam in praeruptissimo Montis apice peregrinorum lassitudinem, gradus ex scisso, et impolito lapide N^o 117. ad instar graduum Tersactensium, ex utraque parte nonnihil prominenti muro ad sedendum accommodato circumdati, à Sacello S. Francisci anfractim protensi, interjecto lapideo strato, et Capellis tribus in anfractibus collocatis, et aspectabili porticu ad principium graduum constructa A^o 1777. et sequenti sub gubernio P. Caroli Novak insignis Mariani cultus Zelatoris, sunt positi. Supra Porticum, penes quam est Capella Ss'mae Trinitatis, est depictus Carolus Archidux Austriae, qui hunc locum Fratribus Minoribus tradidit, à Porticu usque ad primam Capellam, in qua cum solemni processione translatio miraculosae imaginis Utino ad Montem Sanctum repraesentatur, sunt gradus 41. A prima Capella usque ad secundam, in qua Coronatio Vaticano ritu peracta repraesentatur, sunt gradus 21. A secunda Capella usque ad tertiam, in qua Crucifixus è trabe pendens, cum statu is dolorosissimae Virginis, et S. Joannis Evangelistae collocatus est, sunt gradus 25. Ab hac Capella, usque ad Capellam S. Francisci gradus 30.

§. II.

**De Aris in Basilicam B. Virginis Gratiarum
mox â principio Ecclesiae repositis, et Ara
Majori gloriosissimae Virginis Mariae.**

I. Ex Consecrationis Ecclesiae instrumento, quod c. 2. §. 2. n. 4. pag. 609. ex Originali attuli, manifestum evadit, primis statim, imò iisdem planè, quibus Ecclesia construebatur annis, quatuor aras fuisse fabrefactas, nam eodem prorsus die, mense, anno, quo Ecclesia, et quatuor arae consecratae **in dicto instrumento** leguntur; Major videlicet in Capella in honorem S. MARIAE; 2^{da} in medio Chori in honorem Beatae, et individuae Trinitatis; 3^{tia} â latere dextro ad honorem S. Luciae, Ursulae, et sociarum ejus. 4^{ta} â latere laevo in honorem S. Leonardi. In consecrationis functione reconditae fuerunt Reliquiae Ss. Martyrum Donati, Romuli, Venusti, Sylvani, Hermogenis, S. Afrae, et Sodalium, ac S. Stephani Protomartyris, quorum expressè meminit saepe dictum **Consecrationis instrumentum**.

II. Duabus ad latera primitus constructis subinde temporum edacitate exsis, et jamjam collabentibus recentes aliis sub titulis sunt substitutae, hodie enim nec S. Luciae, Ursulae, et Sociarum, nec S. Leonardi Altaria, nec ulla eorum vestigia conspiciuntur. Quamvis vero certum non est, quae arae recens antiquis sint substitutae, persuasio tamen vulgi ad haec usque tempora perdurans est, Aram, quae hodie Confraternitatis B. Virginis dicitur, â latere Altaris majoris dextro extans, esse honoribus S. Luciae, Ursulae, et Sociarum ejus dicatam; nec alio illam, quam S. Ursulae nomine vocant Plebaei, quae firma illa populi persuasio aliunde originem suam habere non potuit, quam â Seniorum traditione, qui aut ipsimet viderunt, aut â testibus ex visu intellexerunt, ibi loci quandoque Aram S. Luciae, et Ursulae sacram extitisse. Hoc porro inito pacto, Aram scilicet Confraternitatis in locum S. Luciae, et Ursulae fuisse suffectam, sua veluti sponte **ex saepedicto Consecrationis instrumento** fluere videtur, eo loci, ubi nunc ad latus laevum Capellae Ara Ss'mae Trinitatis conspicitur, aram S. Leonardi olim extitisse. Is quippe â latere laevo Capellae, ad quod Episcopus Aegidius se Aram 4^{ta} in honorem S. Leonardi consecrâsse perhibet, è regione respondet loco ad latus dexterum, in quo olim S. Ursulae, nunc Confraternitatis B. Virginis Ara, collocata persistit.

III. De prima Ara Ss'mae Trinitatis quo loco constiterit, nullum certum prostat indicium. Quia tamen **Instrumentum Consecrationis** Aram S. Luciae ad latus dexterum Capellae, Aram S. Leonardi ad latus laevum, Aram verò in medio Chori collocatas fuisse, clarè innuit; dicendum est saltem conjecturaliter, Aram Ss'mae Trinitatis fuisse mediam inter utramque, vel mox supra gradus, vel propinquius ad Capellam extractam. Nam

olim fuisse spatium illud ante Aram majorem Chorum nuncupatum, certum est, sicut etiam in aliquibus locis adhuc hodie taliter vocitari solet. Quia verò Ara Ss'mae Trinitatis totum fermè devoto populo prospectum impediverat, ad ipsam B. V. Capellam fuit Ara lateralis, quae prius S. Leonardi nomine consecrata erat, in titulum Ss'mae Trinitatis erecta, Ara verò antiqua sub titulo Sanctissimae Trinitatis in medio Chori situata, ad locum remotiorem ab Ara majori, nempe ad locum, ubi nunc Ara S. Annae sita est, translata. Haec ita evidentioribus destitutus documentis contigisse salvo meliori judicio arbitror.

IV. Altare Majus B'mae Virginis Gratiarum, statim, atque Capella ejusdem exaedificata fuerat, et antequam Corpus Ecclesiae surgere coeperat, ex ligno constructum, atque in praefato Sacello collocatum fuit, ut populo ob rei novitatem, factique prodigii excellentiam confluenti fieret satis, et instanti Ecclesiae beneficio humanitus etiam consuleretur. Traditur, ligneo huic Altari primitus impositum fuisse simulacrum B'mae V: Mariae sedentis, et Jesulum à sinistris gestantis, quod in anfractu graduum, per quos ad superiorem contignationem Conventus ascenditur, gratissimum aspectu hodiedum conspicitur. Traditioni non desunt conjecturae, nam reliquis simulacri partibus edacitate temporum corrosis, sola facies incorrupta, pulchra tota, sine ruga, nulla infecta atomo primaevae amoenissimae speciei servat lineamenta, et mirabilis cujusdam gratiae diffusionem se ad salutantes aspirat, blande insinuans, in se gratiosi quidpiam ominis latere: praefert insuper per omnia fermè formam, in qua gratiosissima Coeli Regina devotae Ursulae Ferligoinizae apparuisse in loco, quo revera apparuit, tum in antiquis Iconibus, ac Imaginibus depicta conspicitur. Et verò penè certum esse videtur, in Altari statim, atque istud ex lignis confectum fuit Imaginem gloriosissimae Virginis Mariae eo in aspectu, quo Ursulae eam sibi apparuisse Goritiensibus vivaciter ingessit, populo jam in limine aedificii, et antequam Ara consecraretur, ac consecratae miraculosa Icon in tabula cedrina depicta fuisset commissa, certatim concurrenti fuisse expositam.

V. Anno 1544. quo Ecclesia Consecrationis beneficio unà cum quatuor supra recensitis Aris donata fuit, rei plane admirandae fama, et sanctitate loci voce populi undique indicibili jubilo evulgata permotus Emin^{mus}, et R'mus Dominus **Marius**⁴²⁹ Grimani S. R. E. Cardinalis, Patriarcha Aquilejensis, gratiosissimam Divae Virginis suum in ulnis gestantis Unigenitum eleganti penicillo, vivisque coloribus in tabula cedrina adumbratam, à dextero latere S. Joachimo beatissimo ejusdem Patre (juxta alios, et non contemnendam crisim S. Zacharias Pater S. Joannis Baptistae à dextris repraesentatur, qui cum Sancto filio suo primus Incarnati VERBI Praeco esse meruit) à sinistris verò D. Joanne Baptista, veluti veracissimis tanti mysterii, et solii gratiarum Assessoribus Effigiem Utino transmisit, quae eodem anno, remoto ligneo simulacro, et primo post Aram reposito, et dein ad Conventum translato, in Majori Ara honorifice reposita, summa omnium Christifidelium devotione, et pietate colitur, ac continuis miraculorum splendoribus claret, in suosque Clientes gratiarum fluentia liberalissime diffundit.

VI. Anno 1686. cum Ara lignea vetustate corrosa ruinae esset proxima, decreverunt Patres novam, eamque, ut perpetuis futuris temporibus duraret, ex marmore substituere. Quapropter initus est contractus inter D. Parentem Spiritualem, et D. Joannem Paccassi, pro Ducatis 1790. patriis, vi cuius se D. Paccassi obligabat facere Altare cum tabernaculo quatuor Angelis, et duabus portis, Sacristiae nempe, et Capellae S. Michaelis. Annus initi **Contractus** non reperitur signatus; ex quo conjici possit initium laboris. **P. Casparus Pasconi Hist. Conv. et Eccles. Mont. S. c. 2. n. 6.** ait: Aram marmoream fuisse erectam sub gubernio P. Bonifacii Pullini, sed cum â veritate ablusisse ex semetipso convincitur; etenim num. mox sequenti dicit: Translationem fuisse miraculosissimae Iconis ad novam marmoream Aram die 2. Augusti anno 1686:⁴³⁰ qui fuit ultimus annus Guardianatus P. Vincentii Lampretich, nam P. Bonifacius Pullini praefuit Conventui Montis Sancti â 9. Septemb. 1681. usque ad 21. Septembris 1684. quo die, et anno successit eidem in Officio Guardianatus P. Vincentius Lampretich, et regnavit usque ad 7. Julii 1687. Si itaque Ara anno 1686. adeo perfecta fuit, ut ad eam Sacratissimae Imaginis translatio fieri potuerit, signum est, eam totam sub gubernio P. Vincentii, nisi quis ad plures, quam tres annos ejus laborem extendere velit, factam fuisse.

VII. Postquam miraculosissima Icon gloriosissimae V. Mariae novae Arae die 3. Augusti 1686. coram ingenti populi multitudine, qui ad lucrandam Portiunculae Indulgentiam advenerat, imposita fuisset, â Patribus conclusum fuit, ut praemissis omnibus requisitis Altare recens constructum solemniter consecraretur, usque ab Innocentio XI. Summo Pontifice gratiose obtentis, et ab E'mo S. R. E. Cardinale Bonvisio, eo tempore apud S. C. M. Leopoldum I. Nuntio Apostolico recognitis, ac de assensu E'mi pariter Delphini S. R. E. Cardinalis, et Patriarchae Aquilejensis in Scriptis obtento, solemnî ritu sub titulo Nativitatis B. Virginis MARIAE consecratum fuit die 8. Augusti anno 1688. ab Ill^{mo}, et R^{mo} D. D. Jacobo Ferdinando ex addictissima etiamnum Seraphicae Religioni Baronum familia de Gurizutti Antistite Tergestino sub locali gubernio P. Zachariae Battig ex Shempasso.

VIII. Anno dein 1692. sub altero P. Zachariae Battig gubernio stratura ex perpolito diversi coloris marmore Capellae plano est ingesta. Duobus post annis, Anno scilicet 1694. Guardianatus munere fungente P. Philippo Columbichio parastidis accesserunt crates ferreae portis utrinque eleganti opere instructae, idque ex munificentia Nobilis D. D. Petri Antonii Codelli, ut **ex Chronostico insertae cratibus tabulae inscripto dignoscitur:**

**Vt tVa VIrgo foret seMper speCIosIor AeDes
InsIgnIs pIetas nobILe strVXIIt opVs.**

Perillustis D. Petri Antonii Codelli Nobilis Labacensis

IX. Thaumaturga Icon Anno 1717. curante ARP. Romualdo Sitter lamina chrystallina inauratis jugamentis imposita est acclavata. Anno mox sequente straturam ex polito lapide superioris Ecclesiae portionis â gradibus usque ad lumen Sanctuarii, sive Capellae B. V. Gratiarum poni coepisse, constat **ex Contractus instrumento, cum latomo Pasqualino Lazarini initi**, sed sensim, et sensim fuit etiam reliqua Ecclesia ex lapide scisso strata, quae stratura completa fuit anno 1742. ut ARP. Caspar Pasconi perhibet **in suo Conventus constituto de anno 1742**. Anno denique 1734. quo praedictus P. Pasconi prima vice hujus Conventus Guardianatus officio perfunctus est, Ecclesia B. V. Gratiarum suggestu marmoreo Utini â D. Paulo Zulliano affabre elaborato, ac ad columnam sua in serie â porta majore Ecclesiae ad latus Evangelii, 5^{ta} mira arte posito fuit exornata impendiis fl. 400. quos pii quidam benefactores in honorem B. Virginis ab ipsa centuplum recepturi numeraverunt, ut **ex Chronodistico suggestui supposito** advertitur:

**A DeVotIs VirgInI Coronatae
eXtrVCtVM**

§. III.

De reliquis Ecclesiae Aris.

I. Praeter Aram Majorem, de qua nunc egimus, in Capella B'mae V. Mariae Gratiarum sitam, adhuc 11. in dicta Ecclesia existunt Arae, nempe 1^{ma} S. Michaelis Archangeli. 2^{da} Ss^{mae} Trinitatis. 3^{ta} Confraternitatis B. V. Mariae. 4^{ta} S. Annae Dei Genitricis Matris. 5^{ta} S. Josephi Sponsi B. V. Mariae. 6^{ta} Magni Patriarchae S. Francisci Seraphici. 7^{ma} S. Antonii Patavini. 8^{va} S. Petri de Alcantara. 9^{ma} S. Joannis Nepomuceni. 10^{ma} S. Petri Regalati. 11^{ma} S. Notburgae Virginis. Ara S. Michaelis Archangeli in particulari Sacello primis statim temporibus videlicet quinto decimo ab aedificatione Ecclesiae anno, et Christi 1560., qui uni lapidum extra Sacellum incisus videtur, Capellae B. Virginis â Cornu Evangelii, et lateri Arae olim S. Ursulae, hodie Confraternitatis B. V. orientali arcte ex quadro lapide adaedificato, constructa conspicitur. Potiori ex parte marmorea est, demptis statuis tribus S. Michaelis, Gabrielis, et Raphaelis Archangelorum, quae ex ligno fabrefactae ad utrumque Arae latus supra columnas itidem ligneas posterioribus temporibus sunt collocatae. Introitus ad dictam Capellam primitus ex Sacrario â regione Sacristiae, ut hodie non fuerat, sed extra illud in loco, ubi hodie Ara est Confraternitatis B'mae V. Mariae (nam haec primitus penes fenestram stabat) Consecrata dicitur Ara haec 9. Augusti 1688. ab Ill^{mo}, et R^{mo} D. D. Jacobo Ferdinando Gurizutti Episcopo Tergestino, qui Reliquias Ss. Feliciani M. et Vestinae

V. et M. eidem inclusit, verum cum **compiler Breviarii historici Conventus et Ecclesiae Montis Sancti** secutus **P. Pasconi** dicat, Aram Majorem marmoream fuisse consecratam 8. Augusti anno 1688. et Aram S. Michaelis 9. Augusti ejusdem anni â praelaudato Antistite Tergestino, uno cum suo Antesignano in errorem incidisse videtur; cum enim entia non soleant magnae, praesertim dignitatis Praelati multiplicare sine necessitate dicendum est, Aras omnes â praedicto Antistite anno 1688. fuisse consecratas simul aut die 8. aut 9. Augusti.

II. Ara secunda Sanctissimae, et **in[di]viduae**⁴³¹ Trinitatis, primitus lignea collocata fuit in medio Chori **collocata fuit**,⁴³² et dein ad latus laevum Capellae B. Virginis in locum S. Leonardi, ut supra memini, translato, cui die 1. Januarii 1688. marmorea aspectabilis formae sub gubernio P. Zachariae Battig substituta est. Consecrata fuit ab eodem R'mo Antistite Tergestino, eodemque anno, mense, et die, quo Ara S. Michaelis Archangeli. Reliquiae porro, quae sub Consecrationis solemnibus sepulchro hujus Arae sunt inclusae, illo ad haec usque tempora inviolato permanente, et caeteroquin nusquam instrumentorum notatae etiamnum ita delitescunt, ut ignorentur.

III. Tertia Ara Confraternitatis B. V. Mariae â latere dextro, seu â Cornu Evangelii Capellae ejusdem in locum Arae Ss. Luciae, et Ursulae collocatum est, cui primitus lignee ex marmore eodem anno 1688. quo Ara Ss^{mae} Trinitatis â P. Pasconi substituta dicitur, verum hanc Aram posteriorem esse Arae Ss^{mae} Trinitatis ex eo patet, quia priorem fecit Joannes Pacassi, hanc verò ejusdem filius Leonardus. Consecrationis hujus Arae nullum vestigium [**Consecrationis**]⁴³³ prostat, sed creditur exscalptae ejus mensae aram portatilem statim in erectione sua ad libellam esse immissam, ac ita firmatam, ut cum mensa concrevisse hodieum videatur.

IV. Quartam Aram honoribus S. Annae Immaculae Dei Genitricis, fortunatissimae Matri dicatam in medio Ecclesiae sitam ab origine sua gloriosissimis honoribus Immaculae Conceptionis B. V. Mariae dicatam fuisse **P. Franciscus Glavinich de Orig. Prov. Bosn. Croat. fol. 29.** asserit, et subinde, ne tituli B'mae Virginis in eadem Ecclesia multiplicati servarentur, transivit in titulum B. Annae. Aram Immaculae Conceptionis jam anno 1639. quo P. Glavinich huic Conventui praefuit extitisse ex eodem dignoscitur quidem, quo verò constructa, aut titulus mutatus fuit anno, **nullum prostat instrumentum**, ex quo id pateret. Fors id accidit anno 1690. quo ea sub P. Vincentio Lampretich renovata fuit, ut **ex quadam scheda** â P. Carolo Novak p. t. Guardianio anno 1776. dum sepulchrum hujus arae aperuisset, **inventum** desumitur. Ara haec sub titulo Sanctae Annae die 9. Junii anno 1717. ab Ill^{mo}, et R^{mo} D. D. Georgio Xaverio de Marotti Episcopo Petinensi, et Praeposito Rudolphswertensi inclusis in ea Reliquiis Ss. Pacifici, et Fructuosae consecrata fuit. Anno sequenti 1718. locupletior facta

est novi Tabernaculi additione industria P. Petri Stibeli Conventûs actualis Guardiani. Aucta iterum fuit A^o 1735. tribus ex albo marmore statuis Ss. Annae, Bernardini Senensis, et Joannis Capistrani, quas munificentia Excell^{mi}, et Ill^{mi} D. D. Wenceslai S. R. I. Comitis â Purgstall locumtenentis, et Capitanei Goritiensis poni fecit: in cujus gratificationem Familiae illius insignia â tergo dicti Altaris appendi sunt permissa. Demum anno 1740. curante P. Casparo Pasconi positus supra marmoreas ab utroque latere columnas ligneis simulacris Dolorosae Matris, et S. Joannis Evangelistae, et Crucifixi ex alta trabe supra medium Arae pendentis ad eum, qui hodie conspicitur reducta est ornatum. In hac Ara effracto Reliquiarum Sepulchro positum fuit anno 1776. Portatile.

V. Quinta Ara in honorem Sancti Joseph Intemeratae Virginis Mariae fidelissimi Sponsi, et Nutritii Salvatoris D. N. Jesu Christi erecta fuit ex marmore sub moderamine ARP. Romualdi Sitter Provinciae Patris anno 1714. Consecrata verò die 9. Junii anno 1717. ab eodem Ill^{mo}, et R^{mo} D. D. Francisco Xaverio Marotti Episcopo Petinensi. Reliquiae, quae sub Consecrationis functione impositae fuerunt, ignorantur.

VI. Sexta Ara Magno Patriarchae S. Francisco Assisiati Sacra bis consecrata legitur, primo A^o 1688. 10. Augusti ab Ill^{mo}, et R^{mo} D. Episcopo Tergestino Antonio Ferdinando Gurizutti. Amabo! quis aequus rerum aestimator sibi persuasum habebit? ut Episcopus Gurizutti anno 1688. tria Altaria, tribus successivis diebus consecrâsse dicatur, ut recens **Compiler Breviar. hist. Eccl. Montis S.** praetendit, qui eodem anno ab eodem Episcopo dicit fuisse consecratam Aram Majorem die 8. Augusti, Aras S. Michaelis, et Ss^{mae} Trinitatis 9. Augusti, hanc verò S. Francisci 10. Augusti. Si enim idem Episcopus duas Aras 9. Augusti consecrare potuit, cur non et alias duas? Secundò, quia hanc Aram P. Romualdus Sitter ex marmore fieri curavit 1714., nova indiguit Consecratione, unde ea denuo consecrata fuit cum aliis Aris die 9. Junii 1717. ab eodem Episcopo Petinensi Francisco Xaverio de Marotti. Nec de hoc sciebatur, quae ipsi in Consecrationis solenniis impositae fuerint Reliquiae. A^o vero 1776. effracto Ss. Martyrum Sepulchro inventa sunt ossa S. Theodori M. et unius alterius Martyris, cujus nomen ita exesum fuit, ut legi non potuerit.

VII. Septima Ara Urbis, et Orbis Thaumaturgo Divo Antonio Patavino Sacra, olim munificentia Ill^{mi} Comitis Coronini de Cromberg constructa, dein, dum nova ex marmore, ut aequalitas formae, et figurae, respectu aliorum ad columnas positorum Altarium servaretur, â P. Romualdo Sitter priori suffecta fuisset, fuit haec Salcanum translata hac lege, ut Insignia Familiae Coroniniana novae Arae affigerentur. Consecrata fuit haec Ara 9. Junii 1717. ab eodem Episcopo Petinensi Francisco Xaverio Marotti impositis Reliquiis S. S. Modesti, et Candidae M. M.

VIII. Octava Ara S. Petro de Alcantara Ordinis Minorum admirabilis Poenitentiae, et altissimae Contemplationis munere insigni dicata, constructa fuit ab eodem ARP. Romualdo Sitter Provinciae Patre, et Superiore locali anno 1714. Consecrationis bene-

ficium accepit ab eodem Episcopo Petinensi Francisco Xaverio Marotti die 9. Junii 1717. cui imposita erant Reliquiae Sanctarum Tranquillinae, et Bonifaciae M. M. ut dein A^o 1776 animadversum fuit.

IX. Nona Ara in honorem S. Joannis Nepomuceni gloriosi Martyris, et Sacramentalis Secreti invicti assertoris ex marmore erecta fuit A^o 1737. sub gubernio P. Bonagratiae Gollob impensis 200. fl. quod interveniente A. R. P. Caspari Pasconi actualis Ministri Provincialis dexteritate Domina Cerneyin Civis Labacensis numeravit, consecrata verò de expressa, et in Scriptis transmissa licentia Emin^{mi} Cardinalis, et Patriarchae Aquilejensis Danielis Delphini sub altero P. Pasconi Guardianatu Anno scilicet 1742. die 15. Augusti ab Ill^{mo}, et R^{mo} D. D. Bonifacio Cechotti Episcopo Petinensi ex Ordine Fratrum Minorum Provinciae Croatiae Carnioliae, qui sub sacra functione Reliquias Ss. Fausti, et Laurentii in ea recondidit.

X. Decima Ara D. Petri Regalati Regularis Observantiae restauratoris Benedicto XIV. Romano Pontifice anno 1746. Sanctorum Albo adscripti honoribus dicata, opera, et studio P. Caspari Pasconi piorum benefactorum eleemosynis anno 1750. è ligno confecta, et ad extimum Ecclesiae latus dexterum collocata est, portabili tantum instructa, donec Consecrationis beneficio donetur. P. Pasconi adnotat in **Protocollo ejusdem Conventus** dictam Aram sequente **Epigraphe** fuisse constructam, quae tamen **in ara non invenitur**:

Siste: Petri Regalati est quam cernis imago:
 cognomen charitas, Nomen adumbrat aquas
 Prostat hic auxilium miseris, solatia, mille
 quotidieque suam, sentit egenus opem
 Immittis dulces non surripit Atropos annos
 nam paret jussis mox Libitina suis.
 Si ratis indomitis Neptuni agitur in undis
 Alcionus Petrus est, Portus, et Argo Sacra.
SI qVos astVtI pertVrbant **DaeMonIs** astVs
ILLICo sVppetIas PetrVs ab aXe faVet.

XI. Undecima, et ultima in ordine Ara S. Notburgae Virgini Sacra à regione Arae S. Petri eodem anno 1750. ejusdemque P. Pasconi studio, et opera positum, lignea etiam est, et portatili instructa. Sequens **Epigramma**, quod idem Vates finxit, in eo desideratur:

Nihil opus hic calamo, nil scriptis, omnia caelum
 Annales vitae picta tabella refert
 Ancillam spectas armatam falce, ferentem
 Munera grata fami, munera grata siti
 Ipsa suum fundat gremium Notburga, sitique,
 ut, quod edas, habeas codre, quod ire bibas.
 Falx quoque dum cessat, magis horrea messibus implet,
 Otia plus nimia sancta labore juvant.

XII. Ex his colligitur, fuisse olim omnes aras praeter duas ultimas, solenni ritu consecratas: successu verò temporis Ecclesiae Ministri, dum ornandis aris quandoque intendissent, quinque Altarium sigilla incautis pedibus contriverunt Sacris Reliquiis intactis caeteroquin remanentibus. Quare anno 1776. die 18. et sequ. Septembris P. Carolus Novak loci Guardianus habita copia latomi Tergestini D. Petri Skuka dictarum ararum sepulchra effringi curavit, ac responderenter incis, et excavatis mensis earum portatilia per eundem lapicidam committi fecit. Porro Reliquiae ex violatis S. S. M. M. Sepulchris extractae, et alio decenter collocata erant sequentes:

1^{mo} Ss. Feliciani M. et Vestinae V. et M. ad S. Michaellem.

2^{do} S. Theodori, et alterius Sancti Martyris, cujus nomen legi amplius non poterat ad S. Franciscum.

3^{io} Ss. Pacifici, et Fructuosae M. M. ad S. Annam.

4^{ho} Ss. Tranquillinae, et Bonifaciae M. M. ad S. Petrum de Alcant.

5^{ho} Ss. Modesti, et Candidae M. M. ad S. Antonium Patavinum.

XIII. Praeter recensitas Reliquias, sunt et aliae suis Thecis conclusae, et in Basilica B. V. Gratiarum asservatae, quas omnes praeter propriis authenticis munitas, **P. Pasconi in Protocollo Conventûs ex authenticis litteris manu Episcopi**, et sigillo munitis ex Coemeterio S. Priscillae extractas asserit, et sunt sequentes:

1^{mo} Particula S. Crucis in Pace majore.

2^{do} S. Annae in ostensorio parvulo cum authentica.

3^{io} S. Petri Regalati cum authentica.

4^{ho} Massa Ss. Martii, Cyriaci, et Jucundae in sex partes divisa, et S. Caelestini.

5^{ho} Ossa 7. Ss. Martyrum in uno involucro, et S. Venturae.

6^{ho} Ss. Vicentiae, Benignae, Crescentii, Prosperae, Lucidiani, Theophilae, Jucundini, Liberatae, Serenae, Illuminatae, et Columbae Martyrum.

7^{mo} Pars pedis S. Damiani M. et pars pedis unius ex sociis S. Ursulae.

8^{ho} Ss. Benigni, Pacifici, Pii, Constantini, Justinae, et Maximi Martyrum.

9^{ho} Ss. Sereni, Felicis, Laetantis, Simpliciae, Lucidae Martyrum.

10^{mo} Ss. Fructuosae, Gaudentii, Clementis, Bonifaciae M. M.

11^{mo} Ss. Leopardae, Romanae, Ursinae, Fortunatae, Jucundinae, Perpetuae.

§. IV.

De cryptis, earumque inscriptionibus.

I. Cum Mons Sanctus ab hominum habitatione valde remotus sit, et Goritia tribus horis, ac duabus Salcano distet, vix aliquis invenitur, qui in tam alto Monte sepeliri anhelaret. Sunt tamen aliqui, qui loci sanctitate, et singulari erga B'mam Virginem pietate moti sibi in hoc praeupto Monte usque ad

novissimam tubam quietem elegerant. Praeprimis est Crypta Religiosorum Fratrum in medio Ecclesiae supra gradus per quos ab Ara Sanctae Annae ascenditur, et intra aras S. Joseph, et S. Petri de Alcantara sita, cujus sepulchrali lapidi haec **inscriptio incisa** legitur:

Quod sumus, vos eritis
Ad nos currendo Venitis
Humana, ac cuncta sumus
Umbra, Vanitas
Et scaena imago
Verbo nihil
Tibi, qui haec legis
Quisquis es, vigila
Dum vigilas, et in rem
tuam maturè propera
Horas scit nemo
Vale.
1720.

II. Secunda est Ill^{mi} D. Hermani Baronis ab Attimis ad pedem Arae S. Petri de Alcantara sita, quam sibi vivens **in Testamento** Gradiscae die 11. Januarii 1611. condito fieri constituit, et in eam cor suum capsae cupreae inclusum recondi voluit **cum lemmate** sequente:

Sub Tuum praesidium Domina
Hermanus de Attembs Baro, et Dominus
Sanctae Crucis etc.
MDCXI.

III. Tertia crypta est Domini Petri Morelli de Schenfeld Syndici Apostolici Conventus Montis Sancti penes Aram Confraternitatis B. V. Mariae cum hac **sepulchrali inscriptione**:

Hic jacet Petrus
Morelli de Schenfeld
Patritius Goritiensis
Juris Consultus
et Philosophus
Obiit XVI. Septembris
MDCLXXXVI.

IV. Quarta crypta est Domini Mathiae Bendler civis Goritiensis infra communem cryptam nostrorum Fratrum posita, quam propriis expensis pro se, sua uxore Maria, et posteris suis fieri curavit. **Lapidi sepulchrali** sequens **apposita** est **inscriptio**:

Sepulchrum Domini Mathiae
 Bendleri Civis Goritiensis
 Et ejus uxoris Mariae
 Haeredumque suorum
 XV. Decembris
 MDCXXVI.

V. Crypta quinta ante Aram Ss^{mae} Trinitatis est D. Caspari Bellini, cujus sepulchrali lapidi sequens incisa est **inscriptio**:

Perillustri Domino Casparo
 Bellino Patritio Goritiensi
 Lucretia amantissima soror
 A die XII. Augusti
 MDCLIV.

VI. Sunt et aliae tres Cryptae in corpore Ecclesiae, duae ad S. Franciscum, et tertia ad S. Josephum, quartam item in Sacello S. Michaelis Archangeli. Prioribus et Religiosi committuntur, dum funera eorum intra breve tempus multiplicantur. In posteriori Perillustis Domina Catharina Luchese Conventus Montis Sancti parens Spiritualis 18. Sept. 1765. tumulata jacet. De caeteris hic sepultis notitia certa reliquorum Fratrum persuasioni asserentium, hac in Sacra Aede sepultam esse puellam Ursulam Ferligioinizza, cui in hoc Sacro Monte B^{ma} Virgo apparuit, et aedificandae in hujus Montis vertice in sui honorem Domus voluntatem gratiosissimè manifestavit, ast persuasio haec nulli innititur fundamento, ex quo id vel à longè suspicari possit. Etenim si haec B. V. Mariae ablegata hoc in Monte sepulta esset, certè et dies, et annus, locusque sepulturae consignatus fuisset publicis tabulis, cum autem nil scriptotenus pro posterorum notitia relictum sit, nec locus etiam studio quaesitus, in quo ejus corpus quiesceret, inveniri potuerit, minime vulgi opinioni, quae abque aliis verisimilitudinis adminiculis nihili pendenda est, adhaerendum esse censeo.

Caput VII.

**De Confraternitatibus in hac Montis Sancti
 Basilica erectis, aliisque privilegiis Sum-
 morum Pontificum, Patriarcharum, et Ar-
 chiepiscoporum huic Ecclesiae concessis.**

§. I.

De Confraternitatibus in hac Ecclesia erectis.

I. Tres in hac Ecclesiae Canonicè erectae reperiuntur Confraternitates: prima B. V. Mariae gratiarum, secunda S. Michaelis Archangeli, et tertia Cordigerorum S. P. N. Francisci, haec ultima communis est omnibus Provinciae Conventibus, ac ipsi Ordini propria, unde de ea hic nihil commemorabo, lectorem ad Conventum Labacensem remitto, ubi circa hanc Archiconfraternitatem plura fusè pro notitia omnium Provinciae Conventuum pertracta reperiet. Hic solùm de prioribus duabus Confraternitatibus utpote ipsi loco, et Monti Sancto annexis agam, et quidem primò de Confraternitate B^{mae} Virginis Gratiarum tum ob antiquitatem, cum nobilitatem, et excellentiam illius, et dein Confraternitate S. Michaelis.

II. Confraternitas itaque sub invocatione, et patrocinio gloriosissimae Virginis jam anno 1596. de licentia Francisci Barbari Patriarchae Aquilejensis, in cuius Dioecesi Ecclesia sita est, erecta fuit, ut *ex ejusdem litteris*, quas *ex Originali* adduco, constat:

Franciscus Barbarus Dei, et Apostolicae Sedis gratia Pat. Aquilejen. etc. Dilectis Nobis in Christo Universitati, et hominibus Salcani prope Goritiam Aquilejen. salutem, et felices in Dei opere processus. Ad ea libenter intendimus et opportunè operis, et favoris nostri brachium porrigimus, per quae fidelium devotio ad salutem animae capessendae excitatur, et divinus cultus votivum recipit incrementum. Nuper Nobis itaque per Nuntium vestrum significare curastis, quod vos zelo piaev devotionis accensi, ad Omnipotentis Dei laudem, et gloriam in Ecclesia vestra S. Mariae super Monte Salcani in honorem dictae S. Mariae summopere cupitis fraternitatem erigere, sed quia hujusmodi erectionem, piumque, et laudabile propositum vestrum sine nostra licentia, et auctoritate fini debito, et votivae executioni mandare non potestis, quapropter per memoratum Nuntium Vestrum Nobis humiliter supplicari fecistis, ut vestris in hac parte piis, et devotis desideriis, ac honestis petitionibus benignè in Domino annueremus. Nos itaque considerantes, quod justae petitioni non est denegandus assensus, petitionibus vestri favorabiliter inclinati, harum serie, et tenore, quas perpetuis futuris temporibus decernimus valituras, auctoritate nostra Patriarchali Confraternitatem praefatam erigendi in honorem S. Mariae in praeallegata Ecclesia vestra, licentiam indulgemus, et liberam facultatem benignè et gratiose concedimus. In quorum fidem etc. Dat. in Civitate Utini XVI. Julii MDXCVI.

(L. S.)

Jo. Bettana Cancell^{trius} m'ppa

III. Hanc Confraternitatem dein die 2. Junii 1612. Paulus V. *suis litteris Cum sicut accepimus* Romae ad S. Marcum sub annulo Piscatoris datis, confirmavit, et Indulgentia-

rum thesauro ditavit, prout **ex ejusdem litteris** clarius patet, quae **ex Originali** transumptae sic sonant:

Paulus P. P. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus in Ecclesia B. Mariae Virginis Domus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia prope, et extra locum Salcani Aquilejensis Dioec. una pia, et devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas sub invocatione ejusdem Beatae Mariae Virginis non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice instituta existat, cujus Confratres, et Consorores quamplurima pietatis, et charitatis opera exercere consueverunt. Nos, ut Confraternitas praedicta, majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, die prima eorum ingressus, si verè paenitentes, et confessi Sacratissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam, nec non tam eisdem, et pro tempore describendis, quam jam descriptis in dicta Confraternitate Confratribus, et Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo si verè paenitentes, et confessi, ac Sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem verè contriti Nomen Jesu, ore si potuerint, si minus, corde devotè invocaverint, etiam plenariam. Ac eisdem nunc, et pro tempore existentibus Confratribus, et Consororibus verè paenitentibus, et confessis, ac Sacra communione refectis, qui praedictae Confraternitatis Ecclesiam, vel Capellam, seu Oratorium in die festo dedicationis ejusdem Ecclesiae à primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, Haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis Confratribus, et Consororibus etiam verè paenitentibus, et confessis, ac Sacra communione refectis, qui praefatam Ecclesiam, vel Capellam, seu Oratorium in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis ejusdem B. M. Virginis festis diebus à primis similiter Vesperis, usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis etiam devote visitaverint, et ibi, ut praefertur, oraverint, quo die praedictorum id egerint, septem annos, ac totidem quadragenas. Quoties verò Missis, et aliis Divinis Officiis in dicta Ecclesia, vel Capella, seu Oratorio pro tempore celebrandis, et recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam, qui corpora defunctorum tam Confratrum, et Consororum dictae Confraternitatis, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut aliter ubicumque, et quomodocumque pro tempore deferatur, comitati fuerint, aut si impediti Campanae ad id signo dato semel Orationem

Dominicam, et Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam pro animabus defunctorum Confratrum, et Consororum dictae Confraternitatis recitaverint, aut devium aliquem ad viam Salutis reducerint, toties pro quolibet praefatorum operum sexaginta dies de injunctis eis, seu aliis quomodolibet debitis paenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis Confratribus, et Consororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, praesentes nullae sint. Utque etiam sic dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel imposterum aggregetur, seu quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituitur, priores, et quaevis aliae litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint. Datum Romae apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die secunda Junii MDCXII. Pontificatus Nostri anno octavo.

S. Cabellutius

I. Savenier.

IV. Hanc eandem Confraternitatem B. V. Gratiarum confirmavit, et ad plura festa indulgentias eidem à Paulo V. concessas extendit *suis litteris incip. Cum sicut accepimus*, datis Romae apud S. Mariam Majorem die 30. May 1664. *Alexander VII.; litterae, quae prostant in Originali*, hunc continent tenorem:

Alexander P. P. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus in Ecclesia Domus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia S. Mariae Gratiarum loci Montis Sancti supra Salcanum Aquilejensis Dioecesis una pia, et devota utriusque sexûs Christifidelium Confraternitas sub invocatione B. Mariae Virginis non tamen pro hominibus unius specialis artis canonicè erecta, sive erigenda extat, cujus Confratres, et Consorores quam plurima pietatis, et charitatis opera exercere consueverunt. Nos, ut Confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, et B. B. Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexûs Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè paenitentes, et confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint plenariam. Ac eisdem tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus, et Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè quoque paenitentes, et confessi, ac Sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore si potuerint, sin minus corde devotè invocaverint, etiam plenariam. Ac eisdem nunc, et pro tempore existentibus Confratribus, et Consororibus etiam verè paenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis,

qui praedictae Confraternitatis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium Dominica post festum dedicationis S. Michaelis Archangeli à primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper et dictis Confratribus, et Consororibus verè pariter paenitentibus, et confessis, ac Sacra communione refectis dictam Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium Dominica Pentecostes, S. Annae, ac Assumptionis, nec non Nativitatis B. Mariae Virginis Immaculae festis diebus, ut praefertur visitantibus: et orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas. Quoties verò Missis, et aliis Divinis Officiis in dicta Ecclesia, seu Capella, vel Oratorio pro tempore celebrandis, vel Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, aut etiam, qui corpora defunctorum, tam Confratrum, et Consororum praedictorum, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut si impediti Campanae ad id signo dato semel orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem, et Salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum, et Consororum praedictorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam Salutis reducerint, et ignorantes praecepta Dei, et ea, quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis paenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis Confratribus, et Consororibus praemissa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, utque si dicta Confraternitas alicui Confraternitati aggregata jam sit, aut imposterum aggregetur, seu quavis alia ratione uniatur, seu etiam quomodolibet instituitur, priores, vel quaevis aliae litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXX. Maji MDCLXIV. Pontificatus nostri anno decimo.

S. Ugolinus

V. Cum autem Dominica prima post dedicationem S. Michaelis Archangeli, quae ab Alexandro VII. pro titulari festo hujus Confraternitatis **in praecitato Brevis** assignata fuit, minus apta pro lucrandis Indulgentiis ob paucitatem Confratrum eo die **conven[ien]tium**⁴³⁴ visa fuerit, fuit festum titolare auctoritate **Innocentii XI. litteris incip. Exponi Nobis datis 18. Sept. 1687.** denuo translatum in perpetuum ad Dominicam secundam post festum S. Michaelis, in

quam ordinarie incidit anniversaria Consecrationis Ecclesiae dies, prout ipsaemet, ut in **Originali** jacent, indicant:

Innocentius P. P. XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales, et Confratres Confraternitatis sub invocatione Beatae Mariae Virginis in Ecclesia Domus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum sub titulo Sanctae Mariae Gratiarum loci Montis Sancti supra Salcanum Aquilejensis Dioecesis canonicè, ut asseritur erectae, quod inter alias indulgentias, quas obtinent, omnibus, et singulis confratribus, et consororibus dictae confraternitatis verè paenitentibus, et confessis, ac Sacra communione refectis, qui Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium dictae Confraternitatis Dominica prima post festum Dedicationis S. Michaelis Archangeli à primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitassent, et ibidem pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentia, et remissio auctoritate Apostolica in perpetuum concessa fuit, prout in **litteris Apostolicis** desuper in **simili forma Brevis expeditis** plenius dicitur contineri, qua indulgentia ipsi Confratres, et Consorores de praesenti fruuntur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dicti Confratres, et Consorores indulgentiam praedictam in prima Dominica post festum Dedicationis S. Michaelis, ut praefertur, concessam certis ex causis minus commode lucrari valeant, illamque per Nos propterea, ut infra, transferri summopere desiderent. Nos supplicationibus dictorum exponentium nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Indulgentiam plenariam in Dominica prima post festum dedicationis S. Michaelis, ut praefertur, concessam in Dominicam secundam post festum ejusdem Dedicationis S. Michaelis Archangeli Apostolica Auctoritate tenore praesentium, servata tamen in reliquis litterarum praedictarum forma, perpetuò transferimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVIII. Septembris MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno undecimo.

J. B. Huigus

VI. Ut autem Confratres, et Consorores Confraternitatis B. V. Gratiarum non tantum in vivis, variis fruerentur Indulgentiarum thesauris, sed etiam defuncti haberent singulare subsidium, Clemens X. Pontifex Maximus fecit Aram Confraternitatis B. V. Mariae pro defunctis Confratribus die 23. Aprilis 1672. ad septennium privilegiatam in die Commemora-

tionis omnium fidelium defunctorum, et singulis diebus infra Octavam illius. Cum autem â Confratribus Confraternitatis B. V. Mariae tot Sacra solvi consuevissent, ut iisdem ad Aras privilegiatas satisfieri nequiret, Sanctissimus Dominus Noster PIUS VI. feliciter regnans ad humillimas preces P. Guardiani Caroli Novak id privilegii Confratribus, et Consororibus Confraternitatis B^{mae} Virginis Gratiarum in amplissima forma sub die 17. Augusti 1776. benignè concessit quotidie, et in perpetuum valituri, ut quicumque Sacerdos Missam, ad quamcumque praedictae Ecclesiae Aram pro defunctis Confratribus sit celebraturus, perinde suffragetur, ac si ad Aram privilegiatam fuisset celebrata.

VII. Breve Apostolicum â Celsissimo Ordinario reverenter recognitum, et publicari concessum **ad latus Epistolae Arae dictae Confraternitatis appensum** conspicitur, quod hujus est tenoris:

Rodolphus Josephus
 Dei, et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Gori-
 tiensis Sacri Rom. Imp. Princeps ê Comitibus,
 et Dominis ab Edling, Dominus in Ungersbach,
 Pala-Crucis, et S. Georgii Custodiae Albae
 Regalensis Custos, Abbas S. Petri De
 Rosacio, et Sac. Caes. Reg. et Apost.
 Majest. actualis intimus
 Consiliarius etc. etc.

Ut Decretum, cujus tenor est »Cum sicut humillimè exponebatur, quaedam pia Confraternitas sub titulo B. M. V. Gratiarum nuncupata in Ecclesia Fratrum Minorum Reformatum Sancti Francisci loci Montis Sancti Goritiensis Dioecesis canonicè reperiatur erecta, sub hoc inter caetera statuto, vel laudabili consuetudine, quod ipsa Confraternitas, vel singulari illius Confratres, et Consorores sive pro omnibus ejusdem Confraternitatis Confratribus, et Consororibus defunctis, sive pro quolibet Confratre, et Consorore ejusmodi ab hac vita decedente, nonnullas Missas respective celebrare, vel celebrari facere soleant: Sanctissimus Dominus Noster Pius P. P. VI. dummodo de asserto onere, seu laudabili consuetudine coram Ordinario constiterit, clementer indulget, ut omnes, et singulae Missae juxta praedictum statutum, vel consuetudinem celebrandae, quae pro animabus ipsorum Confratrum, et Consororum, quae Domino in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, ad quodlibet Altare dictae Ecclesiae celebrabuntur, animabus hujusmodi, pro quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad Altare privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione

suffragari. Datum Romae ex Sec^{ria} S. Congregationis Indulgentiarum die 12. Augusti 1776. Card. Callinus Praefectus« Quoniam de asserto onere seu laudabili consuetudine pro tempore existens Ad'm V'ndus P. Guardianus ejusdem Montis Sancti coram Nobis constare fecit, executioni dari, et ad effectum publicari possit T. P. facultatem concedimus. In quorum etc. Datum Goritiae ex Curia Nostra Archiepiscopali die 8^{va} Octobris Anno 1776.

Franciscus Galliziz

Vicarius Gn'lis m'ppa

Andreas Laurin Aud^{tor} m'ppa

VIII. Altera Confraternitas est Agoniae sub potentissimo patrocinio gloriosi exercitus Coelestis Principis Michaelis, quae pro majori ejusdem Archangeli gloria, et feliciori animarum ex hoc mundo transitu est ere**Cta pla IntentIone eXI-MII PatrIs CasparI PasConI ProVInCiae CarnIoLIae ProVInCiaLIIs**, et â Clemente XII. Cum sicut accepimus Romae die 24. Martii 1736. **variis indulgentiis decorata, et confirmata** fuit, ut sequitur:

Clemens P. P. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus, in Ecclesia Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, loci de Monte Sancto Aquilejensis Dioecesis una pia, et devota utriusque sexus Christi fidelium Confraternitas sub titulo S. Michaelis Archangeli Agonizantium nuncupata, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice erecta, seu erigenda existat, cujus Confratres, et Consorores quam plurima pietatis, et charitatis opera exercere consueverunt, seu intendunt. Nos, ut Confraternitas hujusmodi majora indies suscipiat incrementa de Omnipotentis Dei misericordia, ac B. B. Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè paenitentes, et confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam, ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus, et Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si verò quoque paenitentes, et confessi, ac Sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devotè invocaverint, etiam plenariam, nec non eisdem nunc, et pro tempore existentibus dictae Confraternitatis Confratribus, et Consororibus etiam verè paenitentibus, et confessis, ac Sacra communione refectis, qui praefatis Confraternitatis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium die festo principali dictae Confraternitatis per eosdem Confratres semel tantum eligendo, et ab Ordinario approbando â primis Vesperis usque ad occa-

sum solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus: Insuper dictis Confratribus, et Consororibus etiam verè paenitentibus, et concessis, ac Sacra communione reffectis, Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium hujusmodi in quatuor aliis anni feriatis, vel non feriatis, seu Dominicis diebus per memoratos Confratres semel tantum etiam eligendis, et ab eodem Ordinario approbandis, ut supra visitantibus, et ibidem orantibus, quo die praefatorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas: Quoties verò Missis, et aliis Divinis Officiis in Ecclesia, seu Capella, vel Oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis, et recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam, qui corpora defunctorum tam Confratrum, et Consororum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicumque, et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel si impediti, Campanae ad id signo dato semel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem, et salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum, et Consororum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam Salutis reducerint, et ignorantes praecepta Dei, et ea, quae ad Salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praefatorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis, seu aliis quomodolibet debitis, paenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus autem, ut si alias dictis Confratribus, et Consororibus praemissa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes nullae sint, utque si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel imposterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur, priores, et quaevis aliae litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIV. Martii MDC-CXXXVI. Pontificatus nostri anno sexto.

Card. Oliverius

Die XIV. Mensis Aprilis 1736. Utini in Palatio Patriarchali visae, et admissae pro executione, publicentur approbando dies electos per Confratres, nempe pro festo principali Dominicam tertiam post Pentecostes, pro aliis verò festis quatuor Dominicas quatuor Temporum.

Daniel Patriarcha Aquilejen.

Joannes Dominicus Coronella
Cancel. Patriar. Aquilej. m'ppa

IX. Biennio post anno scilicet 1738. idem P. Pasconi dictam Confraternitatem celeberrimae Archiconfraternitati ejusdem gloriosissimi Archangeli S. Michaelis Josephburgi 8. Maji 1693. institutae, et subinde plurimis Indulgentiis ab Innocentio XII. et Benedicto XIII. decorata, quae etiam sub die 5. Februarii ejusdem anni 1738. aggregata⁴³⁵ fuit, sed sub certis conditionibus quarumdam praestationum quotannis Matrīci, sive dictae Archiconfraternitati pendendarum: Quoniam verò ob Confratrum, Sororumque pauperiem, ac loci hujus arctam conditionem ea servari minimè potuerunt, nec unquam factae intelliguntur, arbitror Confraternitatem hic erectam Archiconfraternitati Josephburgensi nunquam fuisse aggregatam, sed mansisse solitariam, in possessione Indulgentiarum, quibus à Clemente XII. condecorata fuit.

X. Ara S. Michaelis Archangeli Fratribus, et Sororibus dictae Confraternitatis privilegiatum ab eodem Clemente XII. anno, mense, et die dictis concessum fuit pro una dumtaxat feria cujuslibet hebdomadae. A Daniele Patriarcha Aquilejensi tum loci Ordinario feria in hebdomada 5^{ta} pro ejusmodi privilegio determinata fuit eadem die videlicet 14. Aprilis, quae feria etiam in subsequentibus renovationibus à Celsissimo, et R'mo D. D. Carolo Michaeli S. R. I. Principe, et Comite ab Attems Primo Goritiae Archiepiscopo semper designata fuit. Postquam verò Pius VI., ut supra visum, pro Confratribus, et Consororibus Confraternitatis B. V. Mariae omnes Ecclesiae Montis Sancti Aras privilegiatas fecerat, renovatio privilegii ad aram S. Michaelis Archangeli pro defunctis Confratribus ejusdem Confraternitatis peti desiit; quia si non omnes, saltem plurimi Confratres Confraternitatis S. Michaelis, etiam Albo Confraternitatis B. V. Mariae inserti sunt, atque adeo amplissimum illud privilegium ad S. Michaelis, aliasque omnes Ecclesiae Aras pro fratribus, et sororibus dictae Confraternitatis B. V. à Pio VI. extensum post mortem participare possunt.

§. II.

De aliis à Summis Pontificibus, et Archiepiscopis huic Ecclesiae concessis gratiis, Indulgentiis et privilegiis.

I. Paulus V. Romanus Pontifex sub die 26. Junii 1614. concessit Altari Ss^{mae} Trinitatis suffragium Arae privilegiatae ad quinquennium pro die, et Octava defunctorum commemorationis, et feria 2^{da} cujuslibet hebdomadae relatè ad ejusdem Ecclesiae Sacerdotes, dummodo horum ad minus 5. ibidem fuerint. Cum autem anno 1616. ibidem tantum quatuor Sacerdotes fuissent, petierunt Patres Montis Sancti ab eodem Pontifice, ut praedictum privilegium valeret, si etiam solummodo quatuor adessent Sacerdotes, Paulus Pontifex Fratrum precibus benignè annuens concessit, ut datum privilegium valeat, etiamsi quatuor dumtaxat Sacerdotes ejusdem Ecclesiae sint; quinimo ob restrictum Sacerdotum numerum ad 4^{tam} insuper feriam cujuslibet hebdomadae extendit, et ampliavit Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 16. Feb. 1616. Hoc privilegium Innocentius XII. die 17. Octob. 1696. transtulit ad Aram majorem B. Virginis

Mariae pro die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, et singulis diebus infra illius Octavam, ac feria 2^{da}, et 6^{ta} cujuslibet hebdomadae, dummodo in Ecclesia quotidie 14. Missae celebrentur. Hoc privilegium saepius ab aliis successive Pontificibus renovatum fuit relate ad certum Missarum numerum usque ad tempora Benedicti XIV. qui ad humillimas preces R^{mi} P. Raphaelis à Lugagnano totius Ordinis Fratrum Minorum Ministri Generalis cuilibet Ecclesiae jurisdictioni dicti Oratoris subjectae, altare unum quotidianum, et perpetuum sine Missarum numero privilegiatum ab Ordinariis locorum semel designandum die 17. Decembris 1748. pro Missis tamen, quae à Fratribus Minoribus celebrabuntur.

II. Accepta singularis hujusce favoris notitia P. Casparus Pasconi tum loci Guardianus illo Altare B. V. illico decorandum voluit, ac eum in finem supplicem ad Emin^{um}, et R^{um} S. R. E. Cardinalem, et Patriarcham Aquilejensem tum loci Ordinarium dedit, ut Is majus Altare B. V. Gratiarum pro recens obtento gratiosissimo Benedicti XIV. favore designaret, petitam gratiam extemplo acquisivit signatam 22. Februarii 1749. Quoniam verò Patriarchali hac designatione, ob Missarum copiam, quae ad Aram B. V. Gratiarum, tunc privilegiatam, in autumno praecipue constitui solent, nec populi copiosissimè confluentis petitionibus, nec Patrum Sacerdotum commoditatis⁴³⁶ provisum fuerat, P. Nemesianus Markovig A^o 1775. in Monte Sancto triennale suum gubernium expleturus, privilegium hoc ab Ara B. V. Gratiarum, ad Aram S. Annae, quae nunc etiam ab aliquibus Sanctae Crucis vocitatur, transferri à Sede Apostolica, et petiit, et obtinuit, si modo ab Ordinario privilegii favore designetur.

III. Porro designatio Altaris privilegiati ad S. Annam translata obtenta fuit à Cel^{mo} Ordinario die 5. Septembris anni ejusdem 1775. tenoris, ut sequitur

RODULPHUS JOSEPHUS

Dei, et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus
Goritiensis Sac. Rom. Imp. Princeps, è Comitibus, et Dominis ab Edling, Dominus in
Ungersbach, Pala-Crucis, et S. Georgii
Custodiae Albae Regalensis Custos, Abbas S. Petri de Rosacio, et Sac. Caes. Reg.
et Apost. Maj. actualis intimus
Consiliarius etc. etc.

Ad perpetuam rei memoriam

Cum Ss^{mus} Dominus Noster Pius VI. Pontifex Maximus sub die 14. Julii anni currentis benignè annuerit, ut Privilegium Altaris Majoris B. V. Gratiarum in Monte Sancto ad aliud Altare semel tantum à Nobis tamquam Ordinario designandum transferri possit, et valeat. Nos consideratis considerandis Altare S. Crucis in eadem B. V. Gratiarum Ecclesia situm T. P. designamus, et dictum privilegium Au-

ctoritate Apostolica ad illud transferimus, servato in reliquis tenore primaevae concessionis. In quorum etc. Goritiae in Curia Nostra Archiepiscopali die 5. Septembris 1775.

Rodulphus Josephus Archiep'pus m'ppa

Andreas Laurin Protonot. Ap'lcus

Cels^{mi} Principis Archiep'pi Secret.

IV. Alexander VII. concessit sub die 27. Maji 1664. Indulgentiam septem Altarium ab Ordinario determinandorum duodecim vicibus per annum per Ordinarium itidem specificandis ad septennium. Unde haec **Indulgentia** omni septennio renovari debet, postremo **renovata** est **die 15. Julii anno 1777. à Pio VI. Pontifice Maximo** sub hoc tenore:

PIUS P. P. VI.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem, et Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium Religionem, et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui septem Altaria, quatenus sita sint, in Ecclesia B. Mariae Virginis **si [de]**⁴³⁷ Monte Sancto nuncupatae Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Civitatis Goritien. per Ordinarium designan. duodecim vicibus pro quolibet anno per Eundem Ordinarium designand. devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, qua vice praedictarum id egerint, ut eas omnes, et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac paenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si septem Altaria in Basilica Principum Apostolorum de Urbe sita ad id designata personaliter, ac devote visitarent, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XV. Julii MDCCLXXVII. Pontificatus nostri anno tertio.

Gratis pro Deo, et Scrip^{tra}

J. Cardinalis de Comitibus.

Viso, et reverenter recognito **Brevi Apostolico** conceditur licentia illud publicandi, et in Ecclesia appendendi, assignatis ad effectum Altaribus Majori B. V. Gratiarum, Confraternitatis Ss^{mae} Trinitatis, S. P. Francisci, S. Petri de Alcantara, S. Josephi, et S. Antonii Patavini; nec non Festis B. V. Annuntiationis, Purificationis, Assumptionis, Nativitatis, Nominis Mariae, quatuor Dominicis Octobris, Omnium Sancto-

rum, feria 2. Paschatis, et Dominica Pentecostes. Goritiae etc. 9. Augusti 1777.

Franciscus Galliziz m'ppa
Vicarius Gen'lis

V. Clemens XI. die 10. Aprilis A^o 1706. ad septennium Indulgentiam plenariam â quocumque fideli, et quocumque anni die semel tantum in anno lucrificiendam concessit, qui Ecclesiam B. V. Mariae in Monte Sancto visitaverint, fuit haec **Indulgentia** saepius renovata, novissime verò Pius VI. feliciter regnans eandem pro perpetuis futuris concessit temporibus **die 10. Julii 1777.** prout **ex Originali**, cujus transumptum adnecto, clarius patet.

PIUS P. P. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad augendam fidelium Religionem, et animarum Salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus, et singulis utriusque sexus Christi fidelibus verè paenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesiam sub titulo B. Mariae Virginis de Monte Sancto nuncup. Civitatis Goritien. â Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncup. regi solitam, ad quam sicut accepimus, magnus populi Christiani, praecipue Peregrinorum devotionis causa fit concursus, in quocumque anni die devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. Plenariam semel tantum quolibet anno per unumquemque Christi fidelem ad sui libitum eligendo lucrificiendam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die X. Julii MDCCLXXVII. Pontificatus nostri anno tertio.

J. Card. de Comitibus.

Viso et reverenter recognito **Brevi Apostolico** conceditur licentia illud publicandi, et in Ecclesia appendendi. Goritiae, etc. 9. Augusti 1777.

Franciscus Galliziz m'ppa
Vicarius Gen'lis

Caput VIII.

De Miraculis patratis, et obtentis in hoc Sacro Monte gratiis interventu B. V. Mariae, nec non de magno populorum concursu ad hunc Gratiarum fontem advenientium.

I. Quamplurimae sunt gratiae, et immensa beneficia, quibus Sacrosanctam hanc Deiparae Aedem, et locum crebris

illustrare benignissimus Deus statuit prodigiis, dum per ejus intercessionem, et magna ipsius misericordiae fluentia universus hominum ad eam confugientium *Hic* irrigatur coetus, quare, ut cunctis pateat excellentia hujus sacratissimi delubri, adferam quasdam gratias, quas B^{ma} Virgo Maria juxta propriam promissionem piis clientibus ad se cum omni cordis fiducia confugientibus clementissime impertita est. Non est mentis meae integrum prodigiorum texere Catalogum, sed tantum aliqua delibare, si enim omnes gratias, quae B^{ma} Virgo hic elargita est, et quotidie elargitur, commemorare vellem, nunquam scribendi esset finis.

II. Anno itaque 1715. die 9. Maji Anna Sustertschitschin aetatis 25. annorum ex Parochia S. Ruperti inferioris Carnioliae adeo erat contractione membrorum debilitata, ut repere potius, quam humano incedere gressu cogeretur: visitare nihilo minus hanc Sacram Montis Sancti Aedem votive spondit cum spe indubia impetrandae â Gratiarum Matre sanitatis. Committit se igitur itineri, et dum medietatem Montis ejusdem attigisset, atque ad Capellam ibidem sitam orationi fuisset intenta, ossium, membrorumque quamdam coepit sentire commotionem. Perveniens ad Ecclesiam B. Virginis, dum inter Missarum Solemnia miraculosa effigies adoranda detegebatur, confestim coram ingenti populi obstupescens multitudinem, expeditum artuum usum, totiusque corporis obtinuit integritatem. Hanc porro facti naturae ordinem procul dubio excedentis seriem non solum circumstantes Christi fideles palam contestati fuere, verum etiam superior ipse loci adhibitis regularibus Conventus testibus, praeviaque Instrumenti compilatione ad futuram rei memoriam eandem in fastis retulit Marianis: Anna autem provolutis in terram genibus Thaumaturgae liberatrici humillimas persolvit grates.

III. Insigne quoque beneficium anno 1715. obtinuit â Thaumaturga Virgine Montis-Sanctana **Joannes Balthasar Vogel Ballistarius**, prout **propriae manus testimonio** testatum pro aeviterna rei memoria reliquit in hunc modum: Anno Domini 1715. 26. Augusti. Dum ego Joannes Balthasar Vogel Ballistarius hujus Goritiensis fortalitii Graecii me in scholastico exercitio tormentariae artis detinerem, et una dierum in campo retro Sanctum Leonardum exercitio bellicorum tormentorum, ac mortariorum una cum aliis incumberem, accidit, dum mortarium unum viginti centenariorum ponderosum ad sua ligna cum aliis accomodarem, ex improvise autem dictum mortarium levatum se verteret, baculum exinde, quo mortarium praedictum levabatur, adeo fortiter ad pectus me percusserat, ut illico semimortuus in terram ceciderim, omnesque propterea circumstantes collegae me omnino brevi tempore morituum judicaverint. Recollectis autem in tali, ac tanto terrore deperditis sensibus statim me Beatissimae, semperque Virgini Mariae Montis

Sancti supra Salcanum devovi, ejusque demum patrocínio brevi pristinae sanitati restitutus fui, cui laus, honor, et gloria sit sempiterna. In quorum fidem has propriae manus subscriptione, ac sigillo roboravi.

Datum Goritiae 4. Aprilis 1716.

(L. S.)

Joannes Balthasar Vogl
Ballistarius manu propriâ

IV. Alius Marianus Cliens ex Carinthia in die Pentecostes Anno 1724. peregrinationis votivae gratia, hanc Sacram Virginis visitavit Aedem, misericordiamque ejus reus voti factus super omnia palam exaltavit: invocata siquidem toto cordis affectu Materna ejusdem pietate, manum, quam infortunio sclopi explosi in partes divisi confractam ferme amiserat, pendulam adhuc solo cutis adminiculo, Physicorumque, atque periti chyrurgi consilio ex toto praescindendam potius, quam humana virtute amplius curabilem, auxiliari tamen à Gratiarum Matre porrecta manu, integram recepit, relicto duntaxat in loco consolidatae partis aliquali confracturae vestigio, ut memor accepti beneficii suam curatricem laudare nunquam desineret.

V. Anno 1733. die 31. Maji quaedam persona Margarita nomine ex Parochia S. Joannis de Duino annis octo integris alterutro nutabat pede, neque sine fulcimentis incedere valebat, Sacrum tamen statuit in corde suo hoc scandere jugum ad impetrandam à B^{ma} Virgine claudicantium pedum firmitatem, quam etiam, dum ad medietatem Montis pervenisset, clementer adipiscitur: abjectis siquidem fulcimentis, expedite ambulare coepit, et usque ad verticem ejus pari facilitate (quam deinceps constanter retinuit) proficiscitur, ubi votivis laudibus magnitudinem beneficii à perenni curationum fonte Maria obtenti celebravit.

VI. Anno 1734. Permoesta sat longo tempore infestabatur aegritudine in Monasterio Michelstadiensi situato in Superiori Carniolia Ordinis Sancti Domini Religiosa Domina Maria nata Comes à Liechtenberg Vicaria ejusdem Sacri Coenobii, ita, ut sensim omnibus prorsus destituta sensibus, extrema jam unctione delibuta animam ageret. Videns igitur Reverendissima ipsius, et loci Superior nulum amplius contra vim lethalis hujus morbi in humanis reperiri antidotum, idcirco divina erga sororem suam agonizantem inflammata charitate ad sinum beatissimae Virginis Montis Sancti (quam noverat miraculorum fama percelebrem) deprecabunda recurrit, adpromittens votivam per substitutam personam Sanctae Aedis suae peregrinationem, si ab apertissimo mortis discrimine eriperetur. Et ecce! paulo post infirma, quae mortua ferme credebatur, continuo coepit ad vitam respirare, claraque vocem superiorem ad se advocat velut testem subitaneae convalescentiae: sicut ergo eventus iste admirabilis cor ejusdem Superioris, totiusque illius monastici coetus mira laetitia repleverat, ita laudes Deiparae una cum exacta voti satisfactione festivis plausibus omnes una voce celebrârunt.

VII. Anno 1735. Marina Fiegl ex communitate S. Mauri prope Salcanum praegnantem gestabat uterum, paucisque ab editione partus distabat diebus. Mane surgens è strato inquietum pecudis sentit tumultum, cujus rei causa ad stabulum sese contulit, janua ejus aperit licet non absque deplorabili suo detrimento; quandoquidem subito ferox taurus adeo vehementi in eam impetu prosiliit, ut clausum in utero infantem peremerit. Pluribus diebus matris uterus vivum enecatæ prolis extitit sepulchrum, nec ulli prorsus funesti hujus excidii causam patefacere voluit inani timore perculsa, donec in gravem incidit morbum, qui omnem recuperandæ spem sanitatis è medio sustulit. Advocatur proinde loci Curatus R'ndus Dominus Petrus Pinter, qui eam consuetis Ecclesiae Sacramentis jam refectam pia exhortatione induxit, ut spem firmam erga Magnam Gratiarum Matrem Montis Sancti erigeret. Paret misella, tenerrimoque affectu ejusdem Sanctissimum Nomen invocans voto peregrinationis sese obstrinxit, ast paulo post in extremum incidit deliquium, ita ut nullum amplius vitae signum ederet, et consequenter è vivis sublata omnino crederetur. Quare brevi de more peracta oratione pro animæ refrigerio Spiritualis Minister domum revertitur, sed vix dum ad limina ejusdem appropinquâsset, audit clamantem obstetricem: Domine puerpera infantem mortuum ea facilitate, qua vivum enixa est per intercessionem Magnæ Divinae Gratiae Matris Montis Sancti. Accurrit Curatus, et Matrem ad vitam revocatam intuetur, quæ promissionis suæ haud immemor concomitantibus prae laetitia lachrymarum rivulis eam adimplevit, seriemque hujusmodi portentosi eventus juramento firmavit. Recensitus verò reverendus Dominus ad perennem ejusdem Thaumaturgae gloriam testatam esse voluit propriae manus subscriptione, et attestatione tenoris sequentis.

Affirmo fide Sacerdotali

Presbyter Petrus Pinter Curatus
manu propria.

VIII. Anno 1737. Joannes Puechpaver Bavarus natione voti compos effectus accessit hanc Gratiarum Sedem, Sacrisque jam refectus Sacramentis, sequentem Patri suo Spirituali recensuit, portentosum eventum, utque **in Regesto fastorum Mariani hujus Sanctuarii** adnotaretur, ferventer exposulavit: Pater (inquit ille) dum ego sub regimine mei Generalis Clomenero militiae operam dabam, et annonae bellicae Custos fuisset constitutus, inopinate fama **percreb[r]uit**,⁴³⁸ praenominatum herum meum unâ cum Principe Ludovico à Wirtemberg lethali vulnere accepto sub Urbe Guastalla in postremo Italiae conflictu non solum vitam cum morte commutâsse, verum et quod pars exercitus Gallici incunctanter sese conferat ad totam suppellectilem nostram, et annonam auferendam. Angustiae me obinde premebant undique, et sollicitus de vita salvanda Deo inspirante sub grandiori curru annona recensita onusto

me collocavi: libellum precatorium (quo utebar quotidie) ex sacco extraxi, in quo reperi imaginem hujus prodigiosae Virginis Montis Sancti mihi transeunti per Urbem Goritiensem à quodam amico dono datam: hanc instantè exoravi, ut saltem animam meam, quam è corpore jamjam emigraturam violenta morte arbitrabar, commendatam habere dignaretur. Accessit ergo copiosa cohors Gallorum militem: hi currus hinc inde vertunt, et evertunt, annonam abripiunt, me verò sub eodem curru pluribus horis delitescens non animadvertunt, sicque illis fugam cum praeda capientibus, manus eorum evasi, et ad exercitum nostrum ut confugere valerem, mihi desuper concessum fuit: hodie autem (dies erat infra Octavam Pentecostes) veni protectrici huic Deiparae acturus, cui unicè praeservationem meam in acceptis refero. Haec ille aequivalentibus patrio suo idiomate protulit, et exposuit verbis.

IX. Est et aliud anno 1741. factum miraculum, quod Divina Bonitas per aliam chartaceam Imaginem B. V. Montis Sancti operari dignata est. Contigit namque, ut Flumine combusta tota Domo chartacea imago Virginis Montis Sancti ab igne illaesa perservaretur, ut sequens **Chronographicum symbolum** indicat

FLVMine In CIVitate LIBVrnIae ChartaCea

ICon VirgInIs SaCrosanCtae ab Igne praeserVatVr.

Hoc miraculum recognovit, et authenticum declaravit Reverendissimum **Officium Archidiaconale** Civitatis Fluminensis sequenti **testimonio**:

Nicolaus Andreas Tudorovich Ss. Theologiae
Doctor, Protonotarius Apostolicus, Regius Beneficiatus in Stain, nec non Regius Archidiaconus
Fluminensis, et in Spiritualibus Vicarius Dioecesis Polensis ex P. A. V.

Universis, et singulis fidem facimus, et testamur, qualiter 30. Aprilis anno 1741. nocturno tempore in vico Sancti Sebastiani hujus Civitatis exorto incendio tota domus Antonii Paulinich penitus combusta fuerit, unica illaesa remanente Icone ex charta Beatissimae Virginis de Monte Sancto supra Goritiam, licet ex omni parte flamma incesserit, et cuncta, quae in domo erant, in cineres redegerit. Quae omnia **ex juratis depositionibus testium** nobis constiterunt, et constant, imo nos ipsi oculis nostris conspeximus, admirantes Omnipotentis Dei virtutem, qui imaginem Matris suae, quae naturaliter comburi debuit, intactam (ut semper fuit) praeservaverit. In quorum fidem etc.

Datum Flumine die 3. Nov. 1745.

Nicolaus Andreas	(L. S.)	Franc. Xav. de Marpurg,
Tudorovich		Cancell ^{tius} Archidiaconalis
Archidiaconus m'ppa		m'ppa

X. Anno 1743. 24. Januarii Stephanus Pirnat natione Carniolus, origine Labacensis Heri sui mandato absque sufficienti, ut praeferebatur, causa compedibus ferreis colligatus, et carceribus mancipatus fuit. His ex omni parte pressus, et circumdatus angustiis, non cessabat totis praecordiis indies causae suae caelesti huic, et communi Advocatae totius generis humani commendare negotium, ab eaque patrociniū, et sublevamen identidem deposcere, emissio etiam voto ejusdem Sancti Templi limina adeundi. Clientis sui suspiria exaudiens Caelorum Regina, et Mundi Domina jussit, ut catenae de manibus, ac pedibus compediti caderent, cui et de ergastulo exeunti adstantibus etsi excubiis, sed (ut series prodigii manifestior evaderet) nil eorum, quae agebantur, percipientibus, liberam discedendi facultatem ita praebuit, ut nonnisi jam passibus circiter centum à loco Custodiae distantem, primò profugum minus agnoverint, quemque insequi omnino decreverunt, verum (en novum prodigium!) tandiu in loco Custodiae haeserunt immobiles, donec avulsus ab excubiarum oculis liber evasit. Ut tam insoliti die 2. Februarii percepti beneficii perennis haberetur memoria, die prima Martii ad Montem Sanctum convolvavit, ubi post praemissam prodigii expositionem, votum conceptum cum aliis pietatis exercitiis persolvit, plenoque ore ubique liberatricis suae depraedicaavit Omnipotentiam.

XI. Eodem anno 1743. Mulier quaedam post amissam per judicis sententiam causam, quam longo sat tempore litigiosa contentione, et sumptibus sustentare nitebatur, ut ad maximam cum sua familia devenisset egestatem, gravissimo animi dolore correpta, saevire usque ad desperationis barathrum coeperat, utque perversam hanc animi sui voluntatem opere etiam externo consumaret, ad praeconcep- tum fluvium se contulit, ubi modum aptiorem, quo se in illum occulte immitteret, et praefocaretur aquis, exploravit. Verum mox sonum quemdam de vicina arbore velut humanae vocis sibi dicentis audivit: *Quid agis? desiste à malo proposito, ne animam perdas, et vade ad B. Virginem Montis Sancti, cujus confraternitati es inscripta.* His auditis toto corpore contremiscens haesit attonita, quaerit authorem hujus vocis, sed non invenit. Gravi ergo metu concussa destitit à tam nefando opere. Inde ad Montem Sanctum, quo caelitus vocabatur, contendit, ubi ad detergendam piis paenitentiae lachrymis, et vindicandam tanti sceleris ignominiam, sicut omnem impendit conatum, ita divinis refecta Sacramentis pari pietatis ardore Coronatae Deiparae, cujus indubie patrociniū aeternam evaserat damnationem, studuit tam profundam ultro sibi oblatam magnificare pietatem.

XII. Nec minoris sane admirationis, et ponderis censi debet instantaneum illud curationis donum, quod altissima ejusdem Coronatae Matris benignitate collatum dignoscitur Superioribus annis Margaritae Marussizh Parochiae S. Joannis à Duino.

[Nb. Hac gratia jam posita esse videtur supra N. V. unde aut hic aut ibi ommittas, ne eadem bis repetatur.]⁴³⁹

Haec namque septem annis integris nonnisi fulcimentis adjuta incedere poterat. Clauda licet igitur, et viribus debilitata, toto tamen animi fervore votum concipit adeundi Augustam hanc Virginis Aedem: fulcimentis itaque suis innixa è domo fortitudine fidei confortata egreditur, prima die Goritiam usque profecta: Salcanum altera, tertia tandem abjectis fulcimentis pedetentim, quamvis non cum omnimoda facilitate ad verticem Montis appulit, ferventer hic Nomen Virginis imploravit, et preces fudit, ut se Matrem in tam longa, ac luctuosa calamitate sibi demonstraret. Exaudivit Domina pro sua misericordia vocem ejus, eidemque protinus restituit expeditum ambulandi deinceps exercitium: cujus rei manifestum argumentum sunt fulcimenta ipsa etiamnum in hac Ecclesia pendentia.

XIII. Anno 1745. Maria Mechenzhou oppidana Haidoviensis per semestre unius oculi visum amisit, quare ardenti curationis accensa desiderio Virginis hujus Basilicam invisit, moxque in ingressu ad Mariam Divinae charitatis promptuarium oculos sustulit, et ecce, dum inter Vesperarum solemnia miraculosa Imago copiosissimo populo 23. Augusti veneranda revelatur, Alma Mater caecutienti oculo suspirantis famulae lumen vultus sui benigne infudit, sanumque illo momento recepit cum ingenti stupore, et gaudio adstantium Christi fidelium laudantium, et benedictorum mirabilia opera ejus.

XIV. Sunt quamplurimae gratiae in hoc Gratiarum Monte intercessione B. V. Mariae à diversis Marianis clientibus obtentae, quas brevitatis gratiâ ommitto; ex recensitis enim cuilibet luculenter patet, gloriosissimam semper Virginem factae Ursulae Ferligoinizae promissioni: *Dic populo, ut aedificet mihi hic domum, et petat gratias*, semper stetisse, et etiamnum stare, vix namque reperire est aliquem, qui à suo desiderio frustratus ab hoc Gratiarum monte discederet. Quapropter ingens quotannis ad hunc gratiarum fontem accurrit populorum multitudo certis anni festivitatibus, inter quas praecipuae sunt festa Pentecostalia, Ss. Jacobi, et Annae, festum Magnae Indulgentiae Portiuncula nuncupatae, festum S. Bartholomaei Apostoli, ac Nativitatis B. V. Mariae, quo die Patrocinium ejusdem Ecclesiae celebratur: In his enim festivitatibus ad 13. millia hominum ex Comitatu Goritiensi, ex Forojulio Veneto, Carniolia, et Carinthia convenire inventa sunt. Licet autem à festo omnium Sanctorum, usque ad Pascha admodum pauci peregrini ob hyemis rigorem, et borealem ventum, qui solito vehementior in his partibus est, apricum hunc montem ascendant, tamen eorum, qui depositis peccatorum suorum sarcinis Sacra reficiuntur synaxi, numerus se ad 30700. circiter extendit, ut ex distributis, et consecratis particulis colligitur.

XV. Praeter innumeram hominum multitudinem, qui quotannis Thaumaturgam Virginem veneraturi, ab eaque gratias recepturi conveniunt, sunt etiam plurimae Parochiae, quae annuè processionaliter gratiarum Matrem in hoc Sacro Monte salutant. Et quidem populus Parochiae Salcanensis, in cujus ambitu Mons Sanctus situs est, bina vice in anno suam Protectricem processionaliter veneratur primò feria 2^{da} Paschatis, secundo in festo

Assumptionis ejusdem Beatissimae Virginis Mariae. 2^{do} Processio ex Parochia *Zherniza* advenit Dominica proxima post festum S. Georgii Martyris. 3^{tio} Parochia *S. Petri* sub Goritia venit in festo S. Floriani die 4. Maji. 4^{to} Ex Vicinitate *Gargarensi* advenit in Vigilia Sanctissimae Trinitatis de mane. Item 5^{to} eodem die Vesperis advenit Processio ex Parochia *Tomay*. 6^{to} die 1.^{ma} Maji in festo Sanctorum Philippi, et Jacobi Apostolorum denuo advenit Processio ex Parochia *Zherniza*. 7^{mo} Dominica 3^{tia} post Pentecosten, in quam incidit anniversaria dies Coronationis B. V. Mariae Montis Sancti solemnis accedit Processio ex Parochia *Canalensi*. 8^{vo} In Vigilia S. Jacobi Apostoli adveniunt duarum Parochiarum Processiones videlicet *Vipacensis*, et ex *Camine*. 9^{mo} In Vigilia Portiunculae veniunt plures Processiones ex *Collibus*. 10^{mo} In festo S. Mariae ad Nives die 5. Augusti adest Processio ex Parochia *Comen*. 11^{mo} die 24. Augusti in festo S. Bartholomaei Apostoli altera pars Parochiae *Vipacensis* accurrit. 12^{mo} die 8. Septembris in festo Nativitatis B. V. Mariae advenit Processio Parochiae *Tolminensis*. 13^{io} Dominica quatuor temporum Septembris ex Parochia *Hyperlabacensi*. 14^{to} die 29. Septembris in festo S. Michaelis Archangeli Processio Parochiae *Scherou* nuncupatae Superioris Carnioliae venit. 15^{to} die 25. Novembris S. Catharinae Virgini, et Martyri Sacra advenit processio ex vicinitate *Deskla*. Quamvis verò nunc post inhibitionem, ne Processiones ad loca dissita, si populus uno, eodemque die ire, et redire nequit, instituantur, omnes recensitae Processiones non amplius adveniant, populus tamen in magno numero semper accurrere solet.

Caput IX.

De Solemni Deiparae Montis Sancti Coronatione

§ I.

De facultate coronandi coronis aureis Imaginem B. V. Mariae Montis Sancti

I. Excitatus recenti exemplo Patrum Tersactensium, quorum opera et studio ibidem Icon gloriosissimae Virginis Mariae gratis clarens die 8. Septembris 1715 aurea corona ritu vaticano sollemniter redimita fuit, A. R. P. Romualdus Sitter Mariani cultus propagationis eximius zelator, nulli non pepercit labori, ut pari honore cum Virgine Tersactensi etiam Montis Sancti, cum non minoribus fulgeat miraculorum splendoribus, B^{mae} Mariae Icon condecoraretur. Eapropter, ne Capitulo Vaticano nimis molestus esset, sua, qua insigniter pollebat, dexteritate conquisivit, et auspiciatissima sorte ab Ill^{ma} Domina Catharina à Schellenburg (cujus in hancce nostram Provinciam merita, ejusque dilectissimi Consortis Jacobi valde insignia sunt, nulla unquam oblivione delenda, ut supra jam ostensum est, dum de Conventu Labacen-

si egissem, et magis ostendetur, dum historiam Conventus Camnicensis contexero) munificentissimo dono accepit binas coronas puri auri octo unciarum contextas 30. Margaritis, 13. adamantibus et lapillis pretiosis 25.

II. Obtentis Coronis pro coronanda B^{mae} V. Gratiarum Icone libellum supplicem ad R^{mum} Vaticanum Capitulum dedit: supplex libellus remissus fuit pro informatione ad Ill^{mum}, et R^{mum} D. Patriarcham Aquilejensem cum sequenti **Re-scripto**: *Pro informatione All' Illustrissimo, e Reverendissimo Monsignor Patriarca d' Aquileja, nel Capitolo sotto 21. Giugno 1715. Pietro Francesco Bussi Canonico Segretario.* Acceptis Vaticani Capituli litteris devotissimus Magnae nostrae Gratiarum Matri, ac Seraphicae Religioni addictissimus Dionysius Delphinus Patriarcha Aquilejensis sine mora ad D. Josephum Antonium Baronem Delmestri suum ex parte Imperii Archidiaconum Cormonii habitantem litteras dedit, ut citius, ac fieri poterit de antiquitate, sanctitate, ac miraculis dictae Imaginis processum exactissime faciat, factumque sibi transmittat. Illo 8. Augusti 1716 confecto, sibi transmissa, Patriarcha R^{mo} Capitulo Vaticano 11. ejusdem mensis, et anni per litteras testatus est, ea omnia, quae Fratres Minores de Monte Sancto in Memoriali suo adduxere, veritati apprime consona esse inventa. Decretum insuper reddit, coronas aureas ad petitus à Patribus Montis Sancti effectum esse paratas, ac Capituli Vaticani Insignia praeferentes juxta praescriptam formam esse confectas, nec aliam pro dicta Imagine, et Ecclesia coronam ex auro reperiri.

III. Visa Aquilejensis Patriarchae veridica relatione, et attestazione, R^{mum} Capitulum Vaticanum confestim in Patrum Montis Sancti consensit petitionem, ipsumque Patriarcham ad peragenda Coronationis solemniam delegavit, cum facultate alium subdelegandi litteris sequentis tenoris:

Ill^{mo} e Revd^{ss}mo Sig^{re} é Pro^{ne} Col^{mo}:

Rimanendo Noi pianamente assicurati del gentilissimo foglio d' V. S. Ill^{ma}, avere l' Image di Maria Vergine detta di Monte Santo sopra Gorizia tutti li requisiti necessari per la Coronazione d'oro, abbiamo subito decretata la Coronazione di detta miracolosa Image, che potrà assequirsi, quando à V. S. Ill^{ma} piacerà, mentre viene ella da Noi pregata, e destinata nell' istesso tempo per tale solemne funtione con facoltà di poter sostituire in sua vece altra persona in dignitata constituta, quando così le torni comodo. Per diretione poi di chi dourà essequire tal funzione faremo capitare quanto prima à V. S. Ill^{ma} un foglio istruttivo, che dourà stendersi da uno dei nostri Maestri di ceremonie. E qui per fine le bagiamo devotamente le mani.

Di V. S. Ill^{ma}, e R^{ma}

Roma 5. X^{mbre} 1716.
Devot^{ss}^{mi}, ed Obligat^{ss}^{mi} Ser. Il Cap^{lo}
e Canonici di S. Pietro
Pietro Francesco Bussi Canonico
Secretario.

IV. Instructio â R'mo Capitulo Vaticano submissa continens ritum, quo coronanda erat Imago miraculosa B'mae Virginis Mariae Montis Sancti hujus est tenoris:

ORDO

In tradendis coronis aureis, quae donantur â Capitulo Sancti Petri ex legato Domini Comitatis Alexandri Sfortiae ad coronandas Imagines miraculosas Deiparae Virginis, et Jesuli Unigeniti Filii Sui servatus etiam in solemnibus secuta coronatione beatae Virginis Montis Sancti. Admoneantur opportune Superiores loci, seu Ecclesiae in qua est Imago, de hora, et tempore, quo facienda est traditio, et impositio Coronae: Canonicus, cui demandatum est hoc munus cum Notario Capituli se conferat ad dictam Ecclesiam, et convocatis Superioribus loci in Sacratio, seu in Choro praesente, ac stipulante Notario, et vocatis testibus tradat illis, et consignet coronam, facta per illos obligatione de perpetuo retinenda dicta Corona supra Caput Virginis juxta formam legati. Deinde accensis candelis super Altare, in quo servatur Imago miraculosa per Artificem bene firmetur, et applicetur dicta Corona in Capite Imaginis. Quo facto genibus flexis devote cum cantu recitetur Hymnus: *Ave maris stella*, et in fine dicantur versus sequentes:

Versus: Corona aurea Super Caput ejus.

Responsum: Coronasti eam Domine et constituisti super opera manuum tuarum.

Oremus

Famulorum tuorum quaesumus Domine delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessionem salvemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum etc.

Qua dicta immediate recitetur sine cantu Psalmus *De profundis* etc. pro anima legatoris, et in fine sequens Oratio

Oremus

Deus veniae largitor, et humanae Salutis amator, quaesumus Clementiam tuam, ut animae nostri benefactoris Alexandri, qui ex hoc saeculo transiit, beata Maria semper Virgine intercedente ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per eundem Dominum nostrum etc.

dein sequitur formularium exhibitum â R'mo Capitulo Vaticano in hunc modum:

In Nomine Domini Amen.

Praesenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter, et notum sit, quod Anno etc. in mei Notarii publici testiumque infrascriptorum praesentia ad haec omnia praesens et personaliter existens Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus N. N. Canonicus Sacrosanctae Basilicae Principis Apostolorum Almae Urbis, et ab Illustrissimo, et Reverendissi-

mo Capitolo ejusdem Basilicae pro infrascripto effectu specialiter deputatus, qui ad formam piaae dispositionis bonae memoriae Domini Alexandri Sfortiae Placentini vice, et nomine ejusdem Illustrissimi, et Reverendissimi Capituli dat, donat, et concedit Beatissimae Virgini N. N. et pro ea N. N. praesenti, et acceptanti et recipienti tam pro se quam etc. Coronam auream ab eodem Illustrissimo Capitulo etc. et ad hanc Civitatem de mandato illius delatam, quae est ponderis etc. Auri non comprehensa Artificis factura etc. ad effectum cum ea coronandi Sacram Imaginem in Ecclesia etc. ad hujusmodi finem, et effectum delatam, et magna fidelium multitudinem populi utriusque sexûs astante, sicuti postea coram eisdem coronata fuit, et promisit idem N. N. seque obligavit tam pro se, quam pro ejus successoribus eandem Coronam in Capite Beatissimae Virginis semper, et in perpetuum retineri, et conservari facere omni meliori modo etc. Pro quibus omnibus observandis etc. obligavit se et suos Successores etiam in forma Camerae Apostolicae cum solitis etc. Datum etc.

Post dicto: *Requiescat in pace*, submissa voce dicatur *Pater noster*, et *Ave Maria* etc. pro Capitulo, et canonicis S. Petri, et in fine: *Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter Nomen tuum vitam aeternam*.

V. Quia verò Mons S. situatus est sub ditione Austriaca, ad quam partem Patriarchae Aquilejensi, utpote Utini sub dominio Veneto residenti ob politicas rationes venire non licuit, subdelegavit virtute datae sibi à R^{mo} Capitulo Vaticano facultatis pro Coronanda Virginis Montis Sancti Imagine Ill^{mo} et R^{mo} D. D. Franciscum Xaverium de Marroti Episcopum Petinensem, Praepositum Rudolphswerntensem, per Carnioliam inferiorem, et Marchiam Sclavonicam Archidiaconum S. C. M. Consiliarij^{um},⁴⁴⁰ quod munus eidem etiam delatum fuit ab Ill^{mo}, et R^{mo} D. Nuntio Apostolico Georgio Spinula, ut infra videbitur. Litterae subdelegationis Patriarchae Aquilejensis sic sonant:

Ill^{mo}, e R^{mo} Sig^{re} Sig^{re} Oss^{mo}

Prevalendomi della facoltà impartitami con lettere del R^{mo} Capitolo di S. Pietro di Roma, viene V. S. Ill^{ma} da me pregata, e suddelegata per la solenne funzione da farsi nella coronazione decretata dal medesimo Capitolo della miracolosa Imagine di Maria Vergine detta di Monte Santo sopra Gorizia, à qual effetto se le spedisce con le presenti la facoltà di poter esercitar li Pontificali in quella parte di mia Diocesi, ed assieme l'istruzione trasmessa dallo stesso Capitolo, secondo la quale aurà à farsi la predetta fonzione. Sodisfo con piacere alla presente incombenza, perché so, che aurà tutti i suoi numeri la mia suddelegazione, e desiderando ancor io la sorte di poterla servire, le bacio divotamente le mani.

Di V. S. Ill^{ma}, e R^{ma}

Udine 28. Febraro 1717.

Devot^{mo} Obligats^{mo} Ser^{re}

Dionisio Patriarca d' Aquileja

VI. His interea omni cum solitudine sic dispositis, et ornatis, Patres Montis Sancti maturê consilia conferre coeperunt quae dies desideratissimae solennitati opportunior determinanda esset, et mensis Junii dies 6. illius occurrerat, quae pro illo tempore accommodatissima videbatur. Eapropter A. R. P. Romualdus Sitter tum loci Guardianus humanissimas ad Ill'mum, et R'mum D. D. Georgium Franciscum Xaverium de Marotti Episcopum Petinensem litteras dedit, quibus eidem praefixam omnium votis concupitae Coronationis diem renuntiavit, instantissimas adyciendo preces, is provinciam annuente Capitulo Vaticano nedum ab Aquilejensi Patriarcha, sed et â Nuntio Apostolico Georgio Spinula datam sine mora capere vellet, et quemadmodum Tersactensem Magnam Matrem Vaticano ritu non adeo pridem redimivit, sic prodigiosam B. Virginis Iconem Montis Sancti Pontificali apparatu statuta die Goritiae coronandam veniret. Annuit â vestigio Antistes Petinensis precibus P. Guardiani, et statuto die se Goritiam venturum adpromisit. Interpellati insuper fuêre, ut suis insignibus Pontificialem apparatus augerent ac Coronanti Antistiti adsisterent R^{mi} D. D. Joannes Fattori ad S. Jacobum in Insula Hungariae super Dannubium Abbas S. C. M. Capellanus, Protonotarius Apostolicus, et ex parte Imperii in Spiritualibus Vicarius Parentinus, et Thomas Gorzar Abbas, Praepositus de Senablin infulatus, et Parochus oppidi Vincentini.

VII. Ut autem praefinita solemnissimae Coronationis Deiparae Montis Sancti dies omnibus, et singulis innotesceret et divulgaretur tam per haereditarias Domus Austriae Ditiones, quam per exterarum Provincias, et loca, Circulares invitatoriae ê Suggestibus per Ecclesiarum Administratores publicandae amandatae, et distributae fuerunt tenoris sequentis:

INVITATIO

PRO

CORONANDA VIRGINE DEIPARA ADMIRABILI GRATIARUM MATRE

Conventus Montis Sancti

In Inclyto, et principali Comitatu Goritiensi supra Salcanum
Situati

Et â Fratribus Minoribus S. P. Francisci Reformatae Pro-
vinciae Sanctae Crucis Croatiae, et Carnioliae
Officiatae

Ubi secundo jam saeculo innumeris indies clarescit prodigiis
magnoque fidelium concursu jugiter invisitur,
atque honoratur

Cujusque miraculosissima IMAGO de Summi Pontificis
Clementissima approbatione

Et Ill'mi, et R'mi Capituli Vaticani Sancti Petri in Urbe
 speciali consensu
 Duabus Coronis ex auro obryzo conflatis, gemmisque
 exornatis una cum Divino Filio secunda
 extra Italiam
 celeberrimo ritu, et apparatu
 Die sexta mensis Junii coronabitur
 Anno MDCCXVII.

Cum plurimi utriusque sexus clari nominis Mariani clientes exemplo Coronatae Tersactanae Virginis aemulo pietatis studio illecti consimili honore hanc adeo miraculosam MARIAE ICONEM condecorandam piis, tenerrimisque identidem urgerent precibus, et calentibus suspirarent votis, eapropter ad Ill'mum, et R'mum Urbis, et Orbis Vaticanum Capitulum ea, qua par est, demississima animi veneratione humilis, et devota facta fuit supplicatio, quatenus attentam fidei, ac circumstantionata sibi exhibita relatione de portentosa Origine, et progressu celebris hujus Sanctuarii totius latae patriae desideriis gratiosum praebere indultum.

Quare ponderatis cunctis hujus Sanctuarii Magnalibus, quae per ejusdem Thaumaturgae Virginis intercessionem operari dignatus est Dominus, et comperta prius per authenticum, et formalem processum Miraculosa ejusdem Imaginis veritate, et supernae Virtutis efficacia, tandem sicut justis supplicantium petitionibus ad perpetuam tam excellentis operis memoriam annuere placuit, ita ad majorem Dei gloriam, atque ter admirabilis, et Immaculatae Matris Suae honorem conclusum, firmiterque stabilitum fuit, ut ab Ill'mo, et R'mo D. D. Georgio Francisco Xaverio de Marotti Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopo Petinensi Sac. Caes. et Cath. Maj. Consiliario Praeposito Rudolphswertensi, Archidiacono per Carnioliam inferiorem, et Marchiam Sclavonicam ad hujus modi solemnis Coronationis actum publicum juxta methodum sibi ab albedicto Capitulo praescriptam die 6. Junii currentis anni 1717. omnino procedatur, et Pontificali ritu executioni detur, et quidem cum Indulgentia concessa per specialem Bullam feliciter regnantis Pontificis Clementis XI. omnibus utriusque sexus Christifidelibus integro octiduo duratura.

Ad hanc porro solemnitatem confertissimo coram populo late undique concursuro coronandae cum Jesulo à mitratis Praesulibus Augustissimae, et gloriosissimae Coelorum Reginae, ut Marianum hoc Victricis Virginis trophaeum Austriacum Romano-Catholicae Majestatis repleat orbem, perhumaniter, ac perdemisse invitantur Incltyti status, et Ordines haereditariorum Provinciarum Styriae nempe, Carinthiae, Carnioliae, et Comitatus Goritiensis, clerus demum, et populus, omnesque Christifideles circumvicinarum etiam partium Serenissimae Reipublicae Venetae.

Ut verò dies praefixus singularis hujusmodi celebritatis circumfusus regionibus sufficienter pateat, Excellentissimi,

Illustrissimi, et Reverendissimi Domini, Domini Dioecesani, et locorum Ordinarii, eorumdemque Vicarii Generales, Praepositi, Archidiaconi, Decanei foranei, Ecclesiarum demum Rectores, et Regularium Praelati, ad quos hae pervenerint, instantissimeque rogantur, ut praenominatum diem per subalternos suos Dominos Parochos, Vicarios, Curatos, et Concionatores Sacris è suggestibus fidelibus promulgare dignarentur, populumque concreditum omni possibili efficacia adhortati, quatenus unanimi devotionis zelo ad triumphalem Divinae Matris, ejusdemque Filii coronationem accedere, saluberrimamque hanc suscipere, et absolvere velint peregrinationem, ut sic eò nobilius, et excellentius isthic gloriosissimus Magnae Dominae Coeli, et terrae triumphus condignis laudibus, et encomiis celebretur, quo à majori populorum confluentia coronabitur. Quotquot enim devoti accedent, Virginem coronabunt vices relaturi cum universis, et singulis Mariae consodalibus, ejusdem siquidem titulari suffragio praemia decernentur meritorum, et distribuetur corona gloriae, quam repromisit Deus, qui teste divo Bernardo Serm. de Nativ. *Totum nos habere voluit per Mariam.* Datum in Monte Sancto supra Salcanum die 1. Maji 1717.

Fr' Romualdus Sitter
p. t. Guardianus, et Religiosi
ejusdem Conventus.

§. II.

De totius Ecclesiae apparatu praemisso ad Solemnem Sanctae Dei Genitricis Coronationem.

I. Quandoquidem nil pulchrius, splendidius nihil esse possit coram Oculis Divinae Majestati, quae per fidem charitate formatam adoratur in terris, quam ipsius Ecclesiae Sanctae Dei in qua specialem sibi vendicat praesentiam, congruae dispositionis apparatus. Operae pretium proinde erat, ut quemadmodum Sanctae Dei Genitricis gloriosissimus Coronationis triumphus supremis exigebat pro regali sua dignitate honoribus cumulari, ita pariter condecens videbatur, ut sacrosancta ejus Basilica, et Sedes Divinarum gratiarum congruenti Sacrae supplectilis et symbolico elogiorum micaret ornatu in hoc praesenti Sacrae Solemnitatis, et laetitiae octiduo.

II. Omnium igitur primo: ante ingressum, et valvas hujus Ecclesiae prospiciebatur in altum sublata insignis architecturae porta triumphalis, in cujus summitate locata constitebat in curru exultationis Divinum in brachio dextero gestans Filiolum Virgo beatissima redimita coronis, variisque elegantis penicilli coloribus, et splendoribus irradiata, hancque tribus actam columbis veluti symbolis purissimae Maternitatis praecedebat Angelus tuba gloriam ejus, et famam personabat

adjecto lemmate

CORONATA TRIUMPHAT

Sap. 4. subterque legebatur **scriptum sequens chronographicum**

SaCraTvs Coronatae DeIparae triVMphVs

III. Aliquantulum infra super epistyliis hinc, et hinc distributis adstabant quatuor principales Prophetæ adaptato quisque Sacrae historiae textu alludens ad coronationem, et merita Virginis Mariae sub quorum dextero latere stantes quoque cernebatur Summus Pontifex, Vaticanum, et Religio Seraphica: sinistra verò Carolus VI. Imperator, item Carolus Archidux Austriae, qui Sacrum hunc Montem curae, et vigilantiae Fratrum Minorum concredidit, et Civitas Goritiensis cum suis respectivis elogiis (de quibus paulo infra) unumquodque optime ad rem, et personas ipsas faciens. In superliminari praeterea ejusdem portae lemmatis loco sequens à duobus Angelis sustentatur **c[h]ronographicum**⁴⁴¹

InDVLgentIa pLenarIa

SaCra oCtIDVana CeLebrItate Coronatae

CoeLI RegInae

IV. Ad extremas praeterea partes ejusdem triumphalis machinae super aliis distinctis epistyliis innixae repraesentabantur quatuor orbis partes Coronas, et Sceptra Regnorum demississima apotheosi Magnae Coelorum Reginae offerentes. Has stipabant Angeli duo gloriosa vexilla gestantes, **in** quorum **uno lateris** nempe **dextri chronographicum hoc** legebatur **epiphonema**

ECCE refVgIVM aDest VenIte

in altero verò

HVIC VIrGInI ChrIstI parentI honoreM Date.

Ad artificiosam denique hujusmodi **machinae basim suffixa** erat haec **scriptio**: *Porta triumphalis ante Sancti-Montani Templi frontispicium erecta anno MDCC. VII. Sexta Junii, quo portentosa Imago Virginis una cum Divino Filio ad normam Vaticani ritus solemnissime fuit coronata Goritiae.*

V. Exterior similiter, sicut et interior Ecclesiae ornatus singularem quamdam undequaque spirabat magnificentiam, et venustatem. Parietes ejus, atque intermediae collaterales columnae instructae erant symbolis ovalis figurae in tela depictis Marianae gloriae connotativis. Numerabantur haec triginta sex cum respectivis lemmatibus, et versibus ad eundem finem eleganter accomodatis, à P. Athanasio Haffner Ord. Min. Reform. Sacerdote, et hujus Provinciae alumno scriptis. Totum demum Sacrosanctum Delubrum undique aulaeis pretiosis, aliave possibili Ecclesiastica supellectile

vestiebatur, mirumque in modum refulgebat: tacitis hic aliis ad eundem ornatum minutatim pertinentibus pomposa potissimum illuminatione ducentarum, et octoginta quatuor candelarum non comprehensis quadraginta gravioris ponderis ad cultum solius Virgineae Arae, et Capellae specialiter deputatis, neque aliis pluribus, quae ad celebrationem Missarum, et Divinorum Officiorum ministerium ordinabantur.

VI. Extra hanc ipsam Sacram Aediculam pannis sericeis auro et argento contextis amictam, aliove caeteroquin praediviti decore exornatam ad dextram videlicet ejus et contiguum Sanctuarium latus paratus videbatur Thronus, et Faldistorium cum pendente [Baldachino]⁴⁴² pro Coronatore Antistite cum hoc appenso Summae gratitudinis ergo à Conventu Montis Sancti **elogio**

ANTISTITEM

Georgium Franciscum Xaverium

de Marotti

quem Liburnia genuit

Ast ad capescenda quaeque grandia

Urbis, et Orbis

Hic lege Mariane Viator

ibi Ille

omnem artem Virtuti vectigalem efficere

acceptam lucem ita diffundere in caeteros

ut in se non minuere, sed augere videatur,

altissime addidicit

Ibi

Ad Infulas, et Tiaras non incessit, sed volavit

alas, quas aetas necdum formare poterat

Morum gravitas

Vitae Candor

Virtutum Charites

perfectissimas efformavêre

Inde

ut Urbe Sancta

Mitratus Consecratus

Dignis latis, vel aureo saeculo dotibus

ornatus

ut sacratissimae Triadis vices agat

ad Montem Sanctum

destinatur.

Haec namque in Coelis

gloriosissime

coronat

MARIAM

ille in terris

In Monte Sancto

Sexta Junii, qua Sacerdos, Episcopus
 Praepositus creatus
 Eandem
 (obstupescere mysterium)
 solemnissime meruit coronare.
 Immortalitate itaque Illustrissime, et
 Reverendissime Praesul
 donetur dextera tua
 Tantam digna coronare Reginam
 Indubie hanc tibi gloriam caelestes
 inviderent Spiritus
 Si terris invidia excedere posset
 Interim Sexta Junii
 Quae tibi ad Salutem hucusque exitit
 ut sit etiam
 sed non nisi post Saeculum
 Tuae in Coelis coronationis Praeco
DeVoVet CoetVs MontIs SanCtI.

VII. Collaterales denique januae ejusdem Ecclesiae tegebantur afforis triumphalibus valvis minoris quidem mollis materialis, sed non jam virtutis, et artis. Super unamquamque illarum positum erat symbolum unum industriosa pictoris manu adumbratum, in quorum primo, quod respiciebat ad Orientem, et pagum Gargarensem, ubi natales suos traxit Ursula Ferligoinizza Mariani miraculi nuntia artificiosa haec ad propositum historicae praesentis opellae valde appropriata carmina legebantur:

Ad Genitricem Agni vocat armentaria Virgo
 Vis lac, aut lanam? donat utrumvis ovis.
 ô lac, ô lanam! quid caelum? terra quid ultra
 (imo quid ipse Deus gratius optet) habent?

In secundo verò ad occidentem, et portam Conventus collocato videre erant sequentia:

Hic fore propitiam voce viva Virgo spopondit
 quae verum genuit, non nisi vera promit.
 Tu tamen huc veniens fors non potiere petitis
 qui sine corde petit, non sine corbe redit.

Tandem in alio distincto Symbolo appenso ad Capellam Sancti Patris S. Francisci in summitate scalarum tota series mysteriosae ejusdem opellae praefigurabatur his quatuor versibus:

Summus apex Thronus, desertum Regia factum est
 mulcet Reginae fulva corona caput
 Quisquis eges, fidenter adi! Stabit illa promissis
 ut nullus timeat, rustica virgo monet.

VIII. Elogia, quae occasione hujus solemnitatis affixa cernebantur, jam enumeranda veniunt. Ad portam itaque scalarum immediate ante introitum ad ipsum Coemeterium positum erat quadrum sat amplum complectens primum Elogium, quo devoti Peregrini invitabantur ad Coronationis celebritatem hujus tenoris

Firma Viator gressum
Patriam aggressurus in terra
E qua
Propior pateat ad astra via
Sancta est
errare non potest
Tuus
quem liquisse putabas
Incolatus
Exile est exilium, si non exitium
Ibi
Tuae mentis sint aedes, ubi Matris est sedes
Si Filius es, Domi es.
Libera te
â calceamentis demissae Mentis
liberius iturus in alta
ut terrenis nudatus affectibus
gravissimo animae negotio
serius occurras
Vis particeps esse gloriae coronandae Matris
Accede ut filius
(Servi enim anathemata ferant, non
Diademata)
Ut et tu aliquando
â Matre, et Filio merearis
Coronari.
AsCenDe peregrIne eXpeCtat te VIrgo
Mater

IX. Ad pedes dein graduum prope Capellam secundam in descendendo aliud extabat Elogium, cujus tenore Mariae Viatores salutabantur, simulque disponebantur ad consequendos Caelestium gratiarum thesauros

Ave
Mariane Viator
Votorum tuorum metam attigisti
imo justitiae, et sanctitatis apicem
dum comitibus pietate, et devotione

MONTEM SANCTUM
 non ut speculator
 sed ut Sanctitatis Zelotes
 conscenderis.
 Certe fides docet
 cum Sancto Sanctum fieri
 quidni in Monte Sancto
 In quo Deo beneplacitum est habitare
 ut qui Sanctus est, Santificetur adhuc
 et qui non est, fiat.
 Sanctum te fore ambigas?
 absit
 Pulchritudo justitiae Mons Sanctus
 Testatur Propheta
 non nisi
 Dulcedinem
 Imo lac, et mel stillat
 quibus gustatis utique
 sciet reprobare malum,
 et eligere bonum
 quid sanctius?
 Te nunc pro tunc
 ad hunc Montem Sanctum
 ante centum septuaginta octo annos
 ipsa Coeli, terraeque Regina
 (Dum Ursulae Ferligoinizae comparens
 dixerit
 ut hic petat gratias)
 solemnissime invitavit
 quaeris causalem?
 Leva in circuitu oculos tuos, et vide
 Omnes isti congregati sunt, et venerunt
 ut celebrent diem solemnitatis ejus.
 Licet enim ante saecula in Coelis
 coronata triumphet
 FILIUS
 Deus Deorum Dominus
 etiam
 In Monte Sancto
 hodie coronatam habere voluit,
 qua Matri duplicandos honores
 decrevit.
 Ascende igitur

In hanc Regiam
Te jam Coelestes Ministri expectant.
Cave, ne oculos tantae Majestatis offendas.
Excute pulveres de pedibus tuis
Et vide, si via iniquitatis in te est.

Coronatio Reginae Sanctorum
 Jure exigit Ministros, et spectatores Sanctos
 omnia praestare poteris,
 fac ergo
 coronaberis.

X. Ad dexterum successive latus ejusdem portae triumphalis Summo Pontifici Clementi undecimo sequens consecratum prostabat Elogium

Tibi Pontifex
 usque, et usque maxime
 Petri, quos spondes,
 auguramur annos
 Dignus tantum, et amplius vivere,
 et hinc, ut candide dicam
 ALBANUS es
 Mauros odis
 Urbinas es, vel ideo Urbanus
 Incarnatus noster Seraphim
 a
 Matre Joannes audiit
 Franciscus à Patre
 utrumque
 In Orbem, et Urbem tulisti nomen
 quid me prohibet
 Te Seraphim dicere
 Joannes Franciscus Assisias Minor
 Clericus esto Maximi Sacerdotis
 Tu proinde
 Pontifex Maxime
 fove, et fave Minoribus
 O Clemens pia Clementem servato Maria
 Pontifex iste
 O Plenipotentia thesaurorum Dei
 passim auro te redimit!
 redde vicissim
CLeMentI XI soLVenDo es

XI. Ad sinistrum autem dictarum valvarum sequebatur aliud Carolo tertio Hispaniarum Regi, et Sexto Romanorum Imperatori Augustissimo dedicatum elogium hujus tenoris

Carolo bis tertio quia Sexto
 Alteri Quinto
 Suppari Primo
 Nulli Secundo
 Imperatori, Monarchae, Regi
 Romano, Catholico, Apostolico

Gloriosissimo, Augustissimo, Optimo
 Orientis Hespero
 Occidentis Phosphoro
 Europaei blandimento Decoris
 Exotico Asiae terrori
 Uni propemodum famae negotio
 Hujus Excelsi Sanctuarii Celsissimo Domino
 Ob prodigiosam nostram Gratiarum Matrem
 Aureis cum Filio coronis
 Vaticano ritu inauguratam
 demississima reverentia
Tibi Caesar perenniter a **VgVsto DICant MInores**
 et applaudunt
 Anno
 † qVo
 praeCeptore **EVgenIo aLba graeCa LatIne**
DIDICIt, et **eCCLesIae aLbo Inserta est.**

Hoc anno 16. Augusti Belgradum à Turcarum tyrannide Caesaris armis vindicatum, et Ecclesiae Romanae restitutum.

XII. His pariter accesserunt quatuor alia per Ordinem distributa Elogia Caroli nempe Archiducis Austriae, Illustrissimi, et Reverendissimi Vaticani Capituli Sancti Petri, Inclyti Comitatus Goritiensis, et Seraphicae Religionis. Primum Carolo Archiduci dicatum sic sonabat:

CAROLO
 Austriae quondam
 Archi-duci, et Luci
 Mariani partem trophaei
 ex debito sacramus
 Felicem, et in cinere Principem
 cujus in dominio
 Universi Domina
 Gratiarum sibi elegit Sedem.
 Ô te felicem locatricem
 pientissime Carole
 qui sterilem fundum
 tam sollicitae cultrici meliorandum elocasti
 quem Marianorum Clientum myriades
 affatim, et perpetim colunt
 beneficiorum imbribus
Ex CONDUCTO
 permissum
 hinc

secundo jam saeculo
In excelso hoc Sacri Montis jugo
juges vernant gratiarum flores

fructus innumeros ubertim afferentes
 Rectè proin conjecturaverimus
 Magnam hanc Gratiarum Matrem
 quae in tua hodie ditione
 indicibili Jubilo
 innumero inspectante populo
 coronatur
 Comparticipem accidentalis gloriae te futurum
 quippe
 qui coronandae Sedem Virgini
 Tua munificentia mutuâsti
 Augustissimae Domus Tuae
 non fide, sed Religione
 Minores posuère

XIII. Alterum Elogium Illustrissimo, et Reverendissimo Vaticano Capitulo consecratum hunc continebat sensum:

Tibi omnimodis Illustrissimo
 Vaticani Capitulo
 laudes debemus, et gratias
 Biennium inter
 nostra in Provincia
 bis Virginem coronasti.
 Tu Canonica es, cui Papa Episcopus
 satis
 et abunde dixi
 Tuo datum est arbitratui
 ex alto decernere
 quae
 MARIANA ICON
 qua
 Thaumaturga prodigiorum
 aureis mereatur coronis insigniri
 Tu facultatem, tribuit Catharina coronas
 reddet utrimque vices, hinc Deus, inde
 parens
 si quoties
 Virginem Coronasti
 toties
 â Virgine Coroneris
 obryzo perfusa imbre
 â tua propemodum gloria
 opprimeris.
 Erro

Caput habes, quod mundo succollat
infinitis quasi coronis
ferendo est
Retribuere dignare Domina
Tibi, nobisque

tanta facientibus
 post mortalem diu, feliciterque protractam
 vitam aeternam.
ConserVa VatICanVM DeIpara

XIV. Tertium Elogium honoribus Inclytorum statuum Comitatus Goritensis oblatum sic sonabat:

Excelsi Comitatus
 Goritensis
 Inclyti status, et Ordines
 congratulamur vobis de vestra, nostraque
 Deipara
 â Deo praeservata, â vobis conservata.
 Nobilitas, et Aevum
 Vestro de primatu contendunt
 Magnum illud humanae celsitudinis prodigium
 Julius Caesar
 Suum te forum elegit
 ter geminam Charitum
 prae universis
 quibus dominabatur Mundi plagis
 Suo te Nomine dignatus
 et incolatu
 Si tantus
 Orbis, et Urbis Arbiter
 Septicolli Dominae
 Te
 potiolem habuit
 non est cui amplius compareris
 nulli recte comitatui cedes!
 quippe
 Qui tot clari Sanguinis S. R. I. Comitibus
 abundas
 Bis plane Comites, quia Comes
 Barones
 non tam liberi, quam liberales
 Comes in Matrem
 liberales in Fratres
 benignissimi Patres
 propensissimi in Dominam
 in Servos profusi.
 Vos
 Sacri Montis hujus culmen, et columen

vestra pietate, et munificentia
altius evexistis
Sanctuarii devotionem exemplo
propagastis
manutentioniam largitate

ita fulgore Virtutum
 ut claritate Natalium
 populo praelucentes.
 Pergite
 Patriae Patres fovere Fratres
 Qui pro Vobis Filiis vigilant apud Matrem
 quae
 Vere Mater gLorIa saLVs patrIae
 et aDVoCata est

XV. Quartum denique Elogium Seraphicae Religionis his conceptum erat verbis

Hos quisquis offendis apices
 cilium in arcum age!
 Spreto jam argento
 tractant Minores aurum
 et quibus coronati prohibentur
 coronas ambiunt.
 Suspende Viator scandalum
 cave, dicas:
 Ô malam rem!
 Hi quippe
 in ima sese dejecti
 Summae Genitricis gloriam
 toto Marte promovent
 ut unum eis diceret Mariae gloriae
 negotium.
 Absit invidia
 Matrem in Filio, in Matre Filium
 contra torrentes tutati sunt,
 sequentur imposterum
 quae
 eos ante, et saecula
 immaculata fuit
 illos per, et saecula
 immaculata firmata est.
 Hinc
 quia maxima semper Regina fuit
 et nunquam
 (licet se Ancillam dixerit)
 alteri Domino serviit
 â Servis suis Minoribus
 qui pro ejus gloria certantes
 Victores
 non semel evaserunt

iterum coronatur
DeVoVerVnt se CapeLLanI Minores

XVI. Alia denique gemina Elogia pro Peregrinis è loco Sancto isto, et sede divinarum gratiarum Mariaeque Coronationis discessuris, quaeque pro monitorio, utilique eorum argumento apprime consonabant, exposita erant. Unum juxta Capellam ejusdem Sancti Patris, aliud ad praedictarum Scalarum limina primi tenor talis est:

A nobis recessuri
ad vos redite
Viatores
Fructum, quem in hoc Sanctuario legistis
hic iterum lecturi
duo vos oportet facere:
hinc domum ire, et hinc nunquam recedere
non vecordes hinc abituri
hic si corda sineritis
et nunquid
Tota vobis ad gratiam composita videbatur
Gratiarum Mater?
Nolite immaculatam ejus pulchritudinem
in rugas cogere
per peccati deformitatem.
Haec Superna, et Suprema Domina
terribilis, ut castrorum acies ordinata
tutabitur vos à legionibus inferis:
si Superis legibus obaudientes fueritis,
ab ea tamen offensa non defendemini.
Semper hic prostant gratiae,
ni obstant demerita
Reddite .. si .. accepistis
sin minus
Redite!
Ite
Benedicti à Matre
à Filio audituri:
Venite Benedicti!
Spectabilissimi Mariae triumphi
Admiratores fuistis, et testes in Via
majora videbitis in patria
QVan**D**o Coronata **M**ag**I**s prop**I**nq**V**e
Cernet**V**r.

XVII. Alterius Elogii ad eosdem abeuntes Peregrinos sonantis ad scalarum limina expositi hic est tenor:

Siste paulisper gradum
Mariane Viator.

Scito non satis esse Sanctum
ex Monte Sancto
discedere
Justus Judex
perseveranti dumtaxat usque in finem
dare Coronam gloriae
decrevit.

quare
 hinc totus ne migres
 Cor hic pro anathemate linque,
 nec tamen vel vecors, vel excors abiturus
 Patrem superni gaudii praegustati in terris
 cujus pulchritudine Coeli gloriantur
 Dum
 totius Universi Reginam
 dudum in Coelis coronatam
 Hic
 intuitus es iterum coronari.
 Sospes itaque ad te, tuosque redi,
 et si tu aliquando coronari desideras
 esto fidelis usque ad mortem
 legitime certa
 Mariam semper invoca
 cole, et venerare
 et non deerit tibi corona gloriae
 quia Deus
 Omnia nos habere voluit per Mariam.
 reCeDIto ItaqVe pIe peregrIne In
 VIaM paCIis

XVIII. Praeter specificata Elogia triginta sex numerabantur symbola ad ornatum Sanctuarii, et Ecclesiae Montis Sancti occasione hujus Sacrae Solemnitatis, et triumphalis laetitiae hunc inde exposita ordine, ut sequitur, cum suis lemmatibus, et versibus.

I.

Depicta fuit in Sanctuario Templi cum aurea circumcirca Corona Arca testamenti, per quam praefigurabatur Beatissima Virgo Coronata Montis Sancti.

Lemma. Faciesque supra Coronam auream. *Exod. 25.*

Distichon

Te contra, et Natum conspirant agmina Tracum
 da tecum stamus foederis arca manus.

II.

In hoc Symbolo secundo pictum ostenditur Altare incensi circumdatum aurea corona, per quod ex Sanctis Patribus datur intelligi Mater Sanctissima velut animarum ipsius Altissimi Altare cum hoc lemmate, et carminica allusione ad ipsius coronationem.

Lemma. Facies ei coronam aureolam. *Exod. 30.*

Distichon

Altare incensum factus es, quin et hostia mystes
 Scilicet hanc Aram prima Corona decet.

III.

In florido quodam vireto, atque fonte aquae limpidae repraesentabatur Maria Virgo Sacerrimus omnium gratiarum fons.

Lemma. Omnes sitientes venite ad aquas *Isaj. 55*

Distichon

Ô qualis unda replet regalem limpida concham
Saucie cervae cito currito! Servat aqua.

IV.

Maria Virgo Regali cincta corona et sceptro Mundi, Mortis, et Daemonis triumphatrix apparet.

Lemma. Coronata triumphat *Sap. 4.*

Distichon

Daemonis et mundi, ac mortis redimita triumphat
Hinc Spes nostra viget, fit quoque firma Salus.

V.

Medius leonem inter, et hydrum, aliave monstra positus erat homo viator cum periculo vitam amittendi: Quamobrem Caelestis Nuntius ab alto advolans animabat eum, manuque signum Virginis in zodiaco ostendens, innuere per hoc intendebat, quod mortalibus in periculis etiam positus non sit timendum, dum devoto mentis oculo Virginem Deiparam contemplatur.

Lemma. Frustra hac praesente minatur

Distichon

En tutus pergit, frustra quoque monstra minantur
Praesens Virgo cui est, non timet ulla mala.

VI.

Stat cignus sub arbore lauri tempore quo Coelum fulmina vibrat, sub cuius protectionis ramis immunis ab eorum ictibus praeservatur. Hieroglyphicon hoc est Virginis Mariae, sub cuius validissimae protectionis pallio vivimus undequaque securi.

Lemma. Nil fulgura terreant

Distichon

Fulgura si metuas Nati venerare Parentem
Haec tibi nam praesens fulmina nulla cadent.

VII.

In hoc symbolo Mons magnae proceritatis videtur sicut et in ejus summitate tecta nubibus palma ad instar arboris collocata, et dum super ramis hujus aquila quiescit, â latere Montis ejus fracta in terram illabitur luna. Sicque fit comparatio ad partam contra Turchas quinta Augusti anno 1717. â Carolo VI. Caesare Augusto in festo D. Virginis ad Nives victoriam.

Lemma. Ex Nivibus orta

Distichon

Non mirum quod fracta fleat sua cornua luna
Nam Virgo ad Nives Caesaris arma tulit.

VIII.

Dum Sodoma, et Gomorrha arderent, et igne caelesti sceleris ultore consummare decreverat Deus, ostendit Angelus Loth Montem, in quo salvaretur: per quem mystice describitur Mons Sanctus, in quo Salus, et dona gratiae Mariae Virginis affatim, et perpetim inveniuntur.

Lemma. In Monte Salvum te fac *Gen. 19.*

Distichon

Quo fugies tantum, ut valeas vitare periculum
Hoc in Monte Salus, Angelus ecce docet.

IX.

Horologium cum sua campanula, malleo, sphaera, et indice pactum, significabat nullam esse horam, in qua non perciperetur sonus gratiae, et Marianae protectionis.

Lemma. Quaelibet aurea

Distichon

Aurea pro nobis, dum pulsas, quaelibet extat
Pulsus namque tuus Numen, et astra movet.

X.

Beatissimam Virginem in throno gloriae Pater aeternus coronat, Filius amplectitur, et Spiritus Sanctus eam sibi in sponsam selegit: hinc merito Beatam dicunt omnes generationes.

Lemma. Ex hoc beatam me dicent omnes generationes *Luc. 1*

Distichon

Ô Felix Virgo amplexu digna Tonantis
Et cui tota Trias tempora Sacra tegit.

XI.

Stella maris circumdata Ursa minore, cujus ministerio Naucleri navigium ventis committunt, et moderantur: symbolum est Coronatae nostrae Reginae, quae in procellosis mundi fluctibus classim illorum dirigit, qui ad eam fiducialiter recurrunt.

Lemma. Qui me non aspicit, errat.

Distichon.

Sint Nauclere tibi, quae percupis astra patroni
Una Maria mihi sit cynosura satis.

XII.

Simulacra trium Montium repraesentantur, Alverniae nempe in quo S. Franciscus Sacra Stigmata recepit, Montis Sancti et Tersactensis, qui curae, et vigilantiae Seraphicae Religionis singulari providentia commissi dignoscuntur, et devotorum Peregrinorum frequentia jugiter recoluntur.

Lemma. Trinum perfectum

Distichon

Montibus in Sanctis tribus micat Ordo Minorum
Trinum hoc perfectum tu venerare pius.

XIII.

Maria super nubes acta â Sanctissima Triade ab Exercitu Angelorum famulantium in triumphum gloriae Caelestis deportatur.

Lemma. Fecit mihi magna, qui potens est. *Luc. 1*

Distichon

Impendit se tota Trias, quo maxima fias

Regina, et Sponsa es. Angele, flecte genu.

XIV.

Christus iratus contra genus humanum apparet una cum columba in rostro ramum olivae deferente, et per aerem volante. Praefigurabatur in hoc mysterio Regina Caelorum, et caelestis columba puritatis, quae velut beata pacis nuntia placat Divini Numinis iram.

Lemma. Divina Nuntia pacis

Distichon

Cur Deus iratus nunc clemens pandat amorem

Nam tu Divinae Nuntia pacis ades.

XV.

Esther genuflexa coram Rege Assuero Regio Diademate Capiti imposito decoratur. Symbolum est Mariae Caeli, terraeque Reginae ab ipso Altissimo Coronatae.

Lemma. Et posuit Diadema in Capite ejus. *Esther 3.*

Distichon

Quae consors Regni facta est, conregnat amanti

Divisumque decus alter et alter habet.

XVI.

Exprimitur Mons Horeb, in cuius vertice Dominus olim Moysi in flamma ignis ardentis de medio rubi apparuit, ex quo divinali facto alluditur apposite ad Montem hunc Sanctum, in cuius cacumine Regina, et Domina totius universi apparere dignata fuit, ut dispensaret gratias.

Lemma. Locus, in quo stas, terra sancta est. *Exod. 3.*

Distichon

Hoc in Monte Dei Sacro rubus ardet amore

Vae tibi si tanto frigus ab igne refers.

XVII.

Abigail provoluta ante Regem David ad Regale solium sublimari meruit. Maria autem, quia se Ancillam Altissimi esse profitebatur, Unigenitus Dei Filius eam sibi praelegit in Matrem.

Lemma. Audivi vocem tuam, et honoravi faciem tuam *lib. 1. Reg. 25.*

Distichon

Omnipotens cum Sermo tuus queat omnia Virgo

Interpone preces: Orbis, aut orbus erit.

XVIII.

Manus cernebatur nubibus obducta, et calamo supra librum apertum innixa, per quam designabatur manus ipsa Virginis Sacratissimae fideliter conscribentis in libro vitae opera bona Marianorum Clientum, et adventantium peregrinorum.

Lemma. Vicaria Verbi

Distichon

Nil timeant fati fatalia jura Clientis
Virginis illa suos exarat alma polis.

XIX.

In artificiosi cujusdam viridarii semita Pavo tuetur parvulos sub alis in Symplegade â furore Patris videntis eos sibi dissimiles. Proprietas est Mariae, quae sub pallio misericordiae suae degeneres per culpam â lege Divina filios â justissima Dei indignatione defendit.

Lemma. TVetVr DoneC patrIs paCabIt fVroreM

Distichon

Degenerem pudeat! Vellem conformis haberi
Et Matri, atque Patri, quis mihi utrumque dabit?

XX.

Superficies Templi Salomonis coronis aureis exornata denotat Mariam Coronatam esse verum Templum Dei.

Lemma. Ornaverunt faciem Templi Coronis aureis. 1. Machab. 4

Distichon.

Frustra multiplicas Salomon tua in Aede coronas
Virginis in Templo est una, superque satis.

XXI.

Rex Salomon sedens in throno stabat ad sinistram, dum Mater ejus Bersabea dexteram occupabat, significat Mariam Virginem sedentem in solio caelesti ad dexteram Divini Filii.

Lemma. Sedit ad dexteram ejus. lib. 3. Reg. 2.

Distichon

Hinc Mater dextram natus tenet inde sinistram
Vel dextram subeas, hic mediumque tenet.

XXII.

Arca Noe super Montes Armeniae post diluvium remansit. Per hanc indicatur Beatissima Virgo animata Arca Dei viventis, unde prodivit Salus totius generis humani: obinde etiam in hoc Sacro Monte apparere, et consistere placuit.

Lemma. Requievit Arca. Gen. 8.

Distichon.

Ecce vides miserè, quam mundus mergitur omnis
In Sancto Monte hoc Arca Salutis adest.

XXIII.

In hoc symbolo repraesentatur Salutatio Angelica hieroglyphicis characteribus insculpta in quadro lapide divinitus â saeculis celata, et inventa ab operariis, dum impacto in eum ligone pro solo aequando, et extruenda hac Mariana Aede operam impenderent, ex quo arcano mysterio aperte colligitur, quod Mons isthic ab aeterno â Deo praeordinatus sit ad magnificandam gloriam Sanctissimae suae Genitricis.

Lemma. Praeparans montes in virtute tua. *Psal. 64.*

Distichon.

Mons est iste meus, in quo me et saxa salutant
littera sculpta manet, Advena facta canet.

XXIV.

Beatam Virginem micantibus rosis et florum decore circumdatam Spiritus Sanctus e nube lucida eam velut dilectam Sponsam suam invitat dicens: *Veni coronaberis.*

Lemma: Veni coronaberis *Cant. 4.*

Distichon.

Filia, Sponsa veni, Triadis cingenda corona
Nam Pater, et Natus, Sanctus et Ardor avet.

XXV.

Aquila duobus capitibus praedita per aera ferebatur. Haec insignia Sacrae Religionis Seraphicae firmiter apprehensa recurvis gestabat unguibus, et ad verticem Montis cujusdam desilire concessit. Quamobrem super dextero ejus capite loco Coronae expressum Nomen Jesu cernebatur, in sinistro vero Mariae. In hoc symbolo latens argumentum perpulchre refertur ad Augustissimam domum Austriacam, quae inclyto flagrans amore erga Deiparae cultum, et honorem hunc Sacrum Montem, et locum Fratribus Minoribus S. Francisci pia munificentia excolendum tradidit.

Lemma. Evolat immobilis.

Distichon.

Affectu remanet, fugiensque Minoribus offert
Ut major ex minimis cedat utrique decor.

XXVI.

In quadam peramoena valle Mons admodum praecelsus capite super nubes emicabat, per quem metaphorice explicabatur celsitudo Mariae elevata super omnes creaturas.

Lemma. Propinquiora magis.

Distichon.

Altior et cunctis magis hinc tu lumina carpis
Solem justitiae, sic decet esse probum.

XXVII.

Sub frondosae arboris Fraxinae umbra viatores plures quiescebant, et quidem securi, et indemnes ab omni serpentium lateralium cominus adstantium venenoso afflatu, et lethali morsu, ita sub ineffabili Mariae tutela pertimescendum haud est ab Averni furiis, et infernali Dracone.

Lemma. Hic tuti

Distichon.

Haec arbor vitae est, Aspis, basilisce, Dracones
Hinc fugite, aut rursus conteret illa caput.

XXVIII.

In altissima turri Pharos apud Aegyptios alias dicta pendebat lucerna ardens, quae splendore suo navigantium cursum regebat, ut ad portum appellerent. Figura est Mariae, cujus gratiae fulgore collustratae mortalium animae ad portum vitae, et Salustis aeternae sospites felicissime perducuntur.

Lemma. Hac lucente Salus.

Distichon.

Nec mare, nec venti, nec fluctus damna parabunt
cunctis viva Pharus, quando Maria nitet.

XXIX.

Fratres, et Sorores magnae Confraternitatis Beatae Virginis Montis Sancti oculis, et animis in Deiparam coronatam intenti effinguntur, hancque ex iisdem duo provolutis in terram genibus venerantur, et offerunt Coronam duodenario cordium numero instructam. Hoc symbolo Sodalitatis ejusdem alumni accomodate circumscribuntur, qui perpetuis temporibus pio devotionis affectu coronas cordium suorum eidem dicant, consecrantque.

Lemma. Duplici digna Corona.

Distichon.

Aurea nunc Regina tibi est donata corona
cordibus ast melius tu redimita manes.

XXX.

Stabat depictum in mari conchilium cum inclusa Margarita praetiosa, huic proxima erat columba, et Sol in Coelo, qui suis radiis illuminabat coronam quamdam illabentem super idem conchilium. Per hunc piscem connotabatur Sancta Anna Mater Mariae, per Margaritam autem Virgo Sacratissima per Columbam Spiritus Sanctus, et per Solem Dei Filius.

Lemma. Digniori

Distichon.

Quamvis sim Mater, hanc vero cedo coronam
Nam tu digna Dei, non ego Mater eras.

XXXI.

Plaustra triumphalia solis, et lunae ab equis aequaliter acta continet hoc symbolum, quo argumento dantur intelligi Sanctissima Nomina Jesus, et Maria, quae suis prae-rogativis, et dotibus supernaturalibus Divini sui Filii charismata aemulatur.

Lemma. DeCore eXIstet aeMVL a soLIis.

Distichon.

Tu nocti praees, lucis quae Mater habetis
e tenebris natos ducere Matris erit.

XXXII.

Venusta Ulmus patulis opaca ramis, sub cuius umbra nobilissimae plantae virescebant. Allusio fit ad Mariam, sub cuius umbra Materni patrocinii faecundae omnium virtutum plantae florescunt.

Lemma. HoC, qVoD operIt nVtrICat VMbra.

Distichon.

Plantula ne timeas! Ulmus frondosa Maria est
Hujus namque reget splendor, et umbra teget.

XXXIII.

Pingitur Aurora prima lucis suae crepuscula in Orbem vibrans. Maria revera aurora fuit consurgens pulchra, ut luna, electa ut Sol, de cuius sacratissimo utero egressa est lux vera, Christus Jesus Dominus noster.

Lemma. Genitrix primae lucis.

Distichon.

Aurora es. Primae Genitrix clarissima lucis:
Qui sequitur te non ambulat in tenebris.

XXXIV.

In hoc symbolo expressa videbatur Esther coram throno Regis Assueri prostrata, et implorans vitam populi sui. Similitudo est Mariae supplicantis Unigenitum suum, ut dimittat, et tollat peccata Mundi.

Lemma. Dona populum meum, pro quo obsecro. *Esther 7.*

Distichon.

Tu flectendo pedem, flectis pulcherrima Regem.
Teutone, plecte Tracem, praeferat illa pacem.

XXXV.

Rex Assuerus in delicioso viridario consistens Magnates Imperii ad lautum, et solemne invitabat Convivium. A latere Regina Vasti in Regio Palatio paribus epulis faeminas excipiebat, et ambo in Capite mensae assidentes conspiciebantur. Hac figura demonstratur Sacrum Convivium à Filio Dei, et Sanctissima ejus Matre praeparatum in hoc gratiarum Monte devotis advenis in Sacris Coronationis ipsius Solemniis.

Lemma. Faciet Dominus omnibus populis in Monte hoc Convivium. *Isaj. 25*

Distichon.

Caelicolae invitant, cibaria lauta ministrant.
Hac dape posse frui, cura sit una tui.

XXXVI.

Extensum detegebatur Mare Magnum, e quo nubes aquis faecundata ascendebat placide, et velut in pluvias argenteas resolvebatur. Hac mystica inventione Mariam denique Virginem esse immensum gratiarum Pelagum ostenditur, unde favores, et dona Caelestia in devotos Clientes misericorditer dimanant, et rapido quodam caelestium aquarum impetu in uberem Mariophilorum utilitatem dilatantur.

Lemma. Sic omnibus, ac suis distribuit.

Distichon.

Ô charum Pelagus! me mergito dulce profundum.
Naufragus esse volo, vel Palinurus ero.

§. III.

De Solemni Octiduo Coronationis B^{mae} Virginis Mariae Montis Sancti.

I. Dispositis omnibus, quae ad maiorem Solemnitatem tantae festivitatis disponenda videbantur, ac praesentibus Ill^{mis}, et R^{mis} D. D. Episcopo Coronatore, et Praelatis infulatis, deventum est ad Solemnem Virginis gloriosissimae Coronationem. Quare ad avertenda omnium primo pericula et inconvenientia prudenter praevisa, aliave incommoda, quae occurrere poterant, attenta, potissimum Sanctuarii hujus angustia relata ad innumerabilem ferme concursuri populi multitudinem, provide fuit institutum, accedente plurimorum Magnatorum instantia, ac totius Senatus ferventissimis precibus quatenus pro Summa sui dignitate in ipsa Civitate Goritensi, et foro sat vasto *Traunik* dicto, et ad intentum valde accomodato Coronatio gloriosissimae Caelorum Reginae perficeretur.

II. Quem porro in finem excelsus protinus arcus triumphalis fuit constructus super epistyliis eminentis, et spatiosi jam praeparati theatri aptati fundo, et frontispicio Palatii Excellentissimae familiae Dominorum Comitum à Turri, super quo prospiciebatur elaboratum Altare augustae Majestatis, et artificiosae architecturae opulenter exornatum, pretiosissimisque ornamentis, nec non abundatissima candelarum illuminatione provisum, cujus proceritas dignoscebatur esse ejusdem aequalitatis, cum ea, quae praeseferebat, recensita paulo ante Regia Turriana tantundem magnifice instructa. Et quidem, quod haec largo aeris suffragio Excellentissimi, et Illustrissimi Domini S. R. I. Comitis Hieronymi à Turri Inclytae Patriae Mareschalli facta sint, denotat subscriptio ad Machinae ejusdem basim affixa, quam hic appono:

**VI. IVnII Coronatae DeIparae MontIs
SanCtI**

Hieronymus de Turri, et Valsassina etc. etc.

S. R. I. C.

Hanc Sacram surrexit molem
suis sub aedibus solemniter redimitae:
quam gentilitiis assertam armis
Turrim suam voluit.

III. Elevatur itaque hora quarta matutina ejusdem diei sexta videlicet Junii sub mortariorum, et Campanarum clangore miraculosissima Imago tenerrima omnium adstantium exultatione ex Sacrosanctae Suae Aedis gratiarum Sede, et collocata prius reverenter in portabili throno panno aureo circumornata deportatur processionaliter à quatuor Sacerdotibus Ordinis Seraphici Levitico ornatu decenter indutis, atque indicibili associantium devotorum numero à vertice nempe Sacri Montis usque ad radices ejus. Praesto hic in obsequium venerabundus aderat Reverendissimus Dominus Joannes Fattori Abbas Infulatus, et Praepositus Pisinensis ad suscipiendam nimirum humani generis Advocatam, et pietatis Reginam una cum levitis assistantibus, pleroque Clero Saeculari, et populo Salcanensis Parochiae in diversas classes distributo unà cum Confraternitatibus, crucibus, et sacris vexillis, ut hoc festivo Comitatu ad limina usque Aedium Goritiensium deduceretur. Quamobrem eodem in Oppido eminebant geminae portae triumphales in distinctis locis plantatae, per quas devotissima processio cum caelesti Deitatis thesauro pertransibat, rectoque procedebat Ordine tubarum, et canticorum Spiritualium symphonia sociata, et antequam contiguos Civitatis ejusdem attigisset Lares, e loco diametrali *Castagnavicensis* Monasterii R. R. P. P. Ordinis Carmelitarum novo Immaculata Dei parens copiosorum mortariorum extitit condecorata fragore.

IV. Dum verò miraculosum hujus Prototypon ad primas Suburbii valvas appulisset, maxima, qua fieri poterat, animi submissione, ac pietate sub praedivite Baldachino excipitur ab Illustrissimo, et Reverendissimo Domino, Domino Episcopo Petinensi Francisco Xaverio de Marotti, qui in occursum ejus festinanter processerat, atque duobus stipatus Abbatibus Infula, et Pedit insignitis cum copiosissimo fidelium utriusque sexus Coetu ad praedictas valvas ter exoptatum, terque faustum ejus praestolabatur accessum. Magnificus plane in harum valvarum superliminari prostabat arcus triumphalis, et usque dum Arca vitae, et Domina Regum praetergrederetur, omnes fortalitii machinae bellicae pyreo onustae pulvere caelesti simulacro iterum, iterumve homagium praestiterunt.

V. Mox deinde ordinatim procedebant inclytae Societatis Jesu, utriusque Sodalitatis studiosi, Congregationum item aliarumve Confraternitatum Ordines Caesarea vallati militia: Cives pariter armis, et militaribus insignibus instructi.

Post hos incedebat universus Clerus Regularis, et Saecularis cum altedicto Ill'mo, et R'mo Episcopo, cujus dextrum latus ambiebat Mitra, Padoque ornatus praerecensitus R'mus Abbas Fattori, sinistrum verò R'mus Dominus Thomas Gorzer Praepositus à *Seneblin*, et Parochus Oppidi *Vicentini*: Quos tandem sequebatur Illustrissimus, et Excellentissimus Dominus Sac. Rom. Imp. Joannes Josephus à Wildenstein Capitaneus Comitatus Goritiensis, exinde Illustrissimi, et Excellentissimi Domini Comites Leopoldus Adamus à Strassoldo ejusdem Urbis locumtenens et Franciscus Antonius de Lanthieri Vice-Dominus Excelsi Ducatus Carnioliae, caeterique alii omnes inclytorum Statuum et Ordinum Comites, liberi Barones, Patricii, tota denique utriusque sexus Nobilitatis Cohors ornatissima, numerusque copiosus gentium, et nationum, quae ex remotioribus partibus affatim accurrerant, ita ut compertum, approbatumque fuerit eadem die triginta circiter hominum millia affluxisse ad adorandam Genitricem factoris Mundi, et Templum Divinae gloriae ornatissimum, sicque tandem continuo tormentorum, ac mortariorum boatu, summa cum pompa, et illuminatione, hodie sacra et animata Arca Dei viventis circa octavam matutinam ad destinatum Coronationis suae locum pervenit ibidemque in Ara, ut supra memini, affabre composita à Coronatore Antistite honorificentissime fuit collocata.

VI. Quibus decenter gestis incunctanter ad normam Vaticani Capituli de Urbe illacrymantibus prae gaudio, et devotionis teneritudine universis Christi fidelibus tam cominus adstantibus, quam eminus dispersis per totum late patens forum, fenestras, et tecta ipsa domorum, *Concessionis, delegationis, et Coronationis instrumenta* (quae supra §. 1. adduxi, et in fine hujus adducam) per Caesareum publica auctoritate Notarium promulgata fuere: quorum ingenti cum plausu intellecto tenore Hymnum *Veni Creator Spiritus* etc. Episcopus intonuit, quo (succinente Clero) absoluto, recitatisque pontificaliter certis orationibus juxta leges ejusdem instituti Vaticani Sanctissimo ter amabilis Matris Dei Capiti coronam auream gemmis pretiosis exornatam idem Fortunatissimus Antistes Summa cum religione adaptavit, alteram verò minorem, Jesulo unigenito Filio, hacque functione terminata, confestim sub renovato Bellicarum machinarum clangore, et musicalium Instrumentorum concentu in gratiarum actionem tanti, tamque insoliti beneficii à Patre luminum concessi *Te Deum laudamus* etc. cantabatur.

VII. Solemne ex post Sacrum fuit inchoatum, et decantatum ab Antistite Coronatore, in quo singularia musicae facultatis, et virtutis argumenta praebuerunt Cantores, et Musici à proposito e Ditionibus Vicinae Reipublicae Venetae conductis, et convocatis ad ter faustum hunc Solemnitatis diem, totamque successive octavam ritu magnifico conjuncti, cum Patriis constanter absolvendam. Missarum autem inter Solemnia eru-

ditissimam Panegyrim in honorem Virginis Coronatae universali cum applausu protulit A. R. P. Ludovicus Maria ... Vedova Ordinis Minorum Observantium Sancti Francisci Provinciae Sancti Antonii Venetiarum lector Jubilatus, Praedicator Clarissimus, Examinator Cleri Patriarchalis Aquilejensis, et Consultor Sancti Officii: absolutoque tandem Sacro sub multiplicata martialium bombardarum exhibitione, eodem Ordine processionali supra expresso ad Ecclesiam Parochialem deventum fuit, et Throno admodum conspicuo ad hunc effectum in ea praeparato Sacrosancta Imago ad communem venerationem, et spirituale solamen omnium fidelium exposita remansit.

VIII. Praeterea ea ipsa die hora â meridie competente Vesperis tam solemniter celebratis secundam Panegyrim in honorem ejusdem Gratiarum Matris pronuntiavit alius ejusdem Instituti Seraphici, et Provinciae celebris Orator, nempe Rev. Pater Bartholomaeus Cagioli â Venetiis, et reassumpto post hunc eodem processionalis ordine, ad Templum Reverendarum Religiosarum Dominarum Sanctae Ursulae deferitur, ubi elogiali cantico, atque variorum instrumentorum devoto modulamine ab iisdem Deo Sacratis Virginibus suscipitur, et salutatur, inde ad Ecclesiam Reverendarum Matrum Ordinis Sanctae Clarae et tandem ab hinc ad eundem transfertur locum, et Aram, in qua matutino tempore concelebrata fuere Sacra Coronationis Solemnia, quibus denique junctum fuit supremum omnium gaudium, ortum videlicet ex Sanctissima ejusdem Virginis benedictione exhibita â praeaudato Ill^{mo}, et R^{mo} Episcopo de Marotti ejulanti prae laetitia populo, popliteque venerabundo in terram provoluto, atque jugiter imploranti fructus perennes Maternae suae Clementiae. Aequali cum magnificentia, et hominum confluxu ad serum ejusdem diei reportatur ad Oppidum Salcanense, et inibi in spectabili reposita solio enixe efflagitatam â devoto populo â ter amabili Matre benedictionem elargitus est Reverendissimus Abbas Fattori, et ad Ecclesiam Regularis Hospitii Salcanensis R. R. P. P. Franciscanorum sequitur beata translatio, ibidemque â piis Clientibus per noctem integram assiduis precibus colebatur.

IX. Mox die sequenti valde diluculo Marianae phalanges mortariorum strepitu, et campanarum sonitu convocatae, quamprimum ante fores ejusdem delubri intererant, et ad instar castrorum acies rite ordinatae per vicos conspiciebantur, sicque sensim cum Divino pignore ad Sacrum Montem perrexerunt, ubi ipsa die Octavarium hujus Solemnitatis faustissimum sumpsit exordium. Adeo verò copiosus per ejusdem decursum indies cernebatur conscendentium Peregrinorum numerus, ut centum triginta tria, dico 100033. [133000.]⁴⁴³ hominum millia confluisse probatum est, ducto calculo â totidem particulis prius enumeratis, postea consecratis, et demum intervallo ejusdem Octidui fidelibus Sacra Synaxi refectis, distributis.

X. Diebus singulis insuper Missa Solemnis â Praelatis saecularibus, aut Regularibus Altissimo offerebatur cum Vesperis, et litanis Lauretanis, cantatis interveniente, ut dictum,

eodem musicali concentu, et concertatione: â Praedictoribus verò Evangelicis partim Ordinis Seraphici, partim extraneis Parochis nimirum Curatis, aliisque Regularibus in dies ter, aut bis saltem è suggestu Deiparae Coronatae praeconia et magnalia Apostolico referebantur fervore. Septimali infra Octavam die Excellentissimus, et Illustrissimus Dominus Comes â Wildenstein cum integra Comitatus Nobilitate, Magnifico Senatu, et Civium Coetu, Summae gratitudinis ergo ad hanc ipsam Sedem gratiarum proficiscuntur, et ad venerandam Vaticano diademate Neo-redimitam Sacratissimam universitatis Reginam.

XI. Octavo denique die terminatis jam Divinis Vesperarum, et litaniarum laudibus ter almae huic Solemnitati gloriosissimam coronidem imposuit celebris processio, et post Hymnum Ambrosianum Magnae Dei Genitricis postrema benedictio. Cujus miraculosissima tandem Imago magno cum jubilo ad pristinum locum, et tabernaculum reponitur, sicque Mariani Viatores Spiritu devotionis repleti, et consolati recenserunt, et processerunt in viam pacis cum fide inconcussa, et spe firma obtinendi praeterea â Deo exercituum exoptatam cum intimis suspiriis coronam gloriae in patria. Et ut hujus Solemnitatis Augustissimae sempiterna perseveret memoria, quotannis Dominica tertia post Pentecosten anniversaria celebritate magno populorum concursu, praesertim verò solemnii Parochiae Canalensis processione recolitur.

XII. Instrumentum de peracta coronatione, legitima coronandi facultate, cum attestazione, et promissione P. Guardiani semper in Saepe dicta Imagine Virginis Gloriosae conservandi coronas aureas publici Notarii manu confectum hujus est tenoris:

In Nomine Domini Amen.

Praesenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter et notum sit, quod anno ab ejus Nativitate millesimo septingentesimo decimo septimo, Indictione decima, die 6. mensis Junii Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Clementis XI. Divina providentia Papae Anno XVII. Regnante Augustissimo Carolo VI. Romanorum Imperatore, Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Boemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Rege etc. Comite Tyroli, et Goritiae, in Civitate Goritensi in foro-julio, et in Platea majori appellata *Traunich* ante Palatium Illustrissimi Domini Hieronymi Sac. Rom. Imp. Comitis â Turri, et Valsassina etc. ubi Altare, et Theatrum structum cernitur, et quo Sacra Miraculosa Imago Beatae Virginis Mariae Montis Sancti processionaliter delata fuit ad infrascriptum effectum. In praesentia Illustrissimi, ac Excellentissimi Domini Joannis Josephi Sac. Rom. Imp. Comitis de Wildenstein lib. Bar. de Wilpach, et Kaltsdorff, Domini in Schakenturn, et Libboch Suae Sac. Caes. et Cath. Regiae Majestatis Cubicularii effectivi, intimi

Consiliarii, Capitanei in Illustrissimo principali Comitatu Goritiae, ac Capitanei [et] Administratoris Gradiscae, et Aquilejae etc. nec non Illustrissimi, et Excellentissimi Domini Leopoldi Adami Sac. Rom. Imp. Comitis â Strasoldo, lib. Bar. de Villanova, Domini in Strassoldo etc. Sac. Caes. Reg. et Cath. Majestatis Cubicularii effectivi, et intimi Consiliarii, haereditarii Supremi Venatorum Praefecti, et Caesarei locumtenentis Goritiae etc. Illustrissimi, et Excellentissimi Domini Francisci Antonii Sac. Rom. Imp. Comitis de Lantheriis, et â Paratico, lib. Bar. in Schenaus, Domini Vippaci etc. Sac. Caes. Reg. et Cath. Majestatis Cubicularii effectivi, intimi Consiliarii, haereditarii Pincernae in Ill^{mo} principali Comitatu Goritiae, ac vice-Domini Inelyti Ducatus Carnioliae, ac Illustrissimi Domini Josephi Sac. Rom. Imp. Comitis â Turri, et Valsassina, Domini Duini, Cormontii, ac Peuma etc. Nec non mei Antonii Mattaloni de Cosoli J. U. Doctoris, et Syndici Apostolici venerandi Conventus Montis Sancti. Praesens et personaliter existens Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Georgius Franciscus Xaverius de Marotti Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Petinensis Suae Sac. Caes. et Cath. Majestatis Consiliarius, Praepositus Rudolphswertensis, Archidiaconus per Carnioliam inferiorem, et Marcham Sclavonicam ab Illustrissima, et Reverendissima Nuntiatura Apostolica Viennensi pro infra scripto effectu specialiter deputatus, uti ex patentibus T. I. Georgius Spinula Dei, et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Caesareae, Ss. Domini Nostri D. Clementis Divina providentia Papae XI. Praelatus domesticus, et Assistens, ac S. Sedis Apostolicae apud Sac. Caes. Majestatem Carolum VI. in Imperatorem electum, nec non per Germaniam, Hungariam, Boemiam, Croatiam, Austriam, Styriam, Carinthiam, universumque Rom. Imperii districtum cum facultate de latere Nuntius.

Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Georgio Xaverio Marotti Episcopo Petinensi salutem in Domino sempiternam. Attentis facultatibus ab Illustrissimo, et Reverendissimo Capitulo S. Petri de Urbe datis Illustrissimam, et Reverendissimam Dominationem Vestram ad Solemnem coronationem Miraculosae Imaginis de Monte Sancto nuncupatae supra Goritiam ab eodem Capitulo decretatam deputamus, ac subdelegamus. Hujusmodi itaque actum juxta instructionem â supra nominato Capitulo transmissam adimplebit. Dantes Illustrissimae, et Reverendissimae Dominationi vestrae ad hunc effectum licentiam exercendi in illis partibus Pontificalia. Datum Viennae hac die 6. Aprilis Anni MDCCVII.

G. S. Archiepiscopus Caesareae Nuntius Apostolicus

V. Petrucius Auditor Gen. et Canon.

Qui utique Ill'mus, et R'mus Dominus Episcopus Petinensis ad formam piaie dispositionis bon. mem. D. Alexandri Sfortiae Placentini vice, et nomine ejusdem Ill'mi, et R'mi Domini Nuntii Apostolici binis coronis puri auri unicarum octo contextis 30. Margaritis, 13. Adamantibus, et lapillis pretiosis 25. non comprehensa Aurificis factura (pie, ac generosè donatis ab Ill'ma Domina Anna Catharina de Schellenburg Labacensi ad infrascriptum effectum) quibus acceptatis, et receptis ab Ad'm R'ndo P. Romualdo Sitter Ex-Provinciali, et Guardiano Venerandi Conventus Montis Sancti supra Goritiam R. R. P. P. Reformatorum S. Francisci pro se, et suis Successoribus. Ill'mus inquam et R'mus D. Episcopus praesentibus, ut supra, et me Syndico, ac magna fidelium multitudine utriusque sexus astante, dictam Sacram, ac Miraculosam Imaginem Beatae Mariae Virginis Montis Sancti cum Jesulo actu coronavit juxta ritum etc. imponendo quippe majorem Coronam Capiti Beatissimae Virginis Mariae, et minorem Capiti Jesuli, quae illico per peritum Aurificem Sacrae Imagini adaptatae, et affixae fuerunt. Qua coronatione utique peracta praedictus Ad'm R'ndus P. Guardianus pro se et Successoribus suis promisit, et se obligavit easdem Coronas in Capite illius Beatissimae, et Immaculatae Virginis, ac Jesu Christi semper, et in perpetuum retineri, et conservari facere omni meliori modo etc. pro quibus omnibus observandis etc. se obligavit, et suos Successores etiam in forma Camerae Apostolicae cum solitis etc. seseque subscripsit appposito sigillo Conventus. Datum Goritiae die, Mense, et Anno ut supra.

- (L. S.) Fr. Romualdus Sitter Ex-Provincialis, et Guardianus praedicti Conventus Montis Sancti nomine meo omniumque Successorum confirmo ut supra.
- (L. S.) Joannes Josephus Comes à Wildenstein Capitaneus.
- (L. S.) Leopoldus Adamus Comes à Strassoldo locumtenens.
- (L. S.) Franciscus Antonius Comes de Lantheriis Vice Dominus Ducatus Carnioliae.
- (L. S.) Joannes Josephus Comes à Turri.
- (L. S.) Antonius Mattaloni Juris utriusque Doctor, et Syndicus Apostolicus Venerandi Conventus Montis Sancti.

Praemissum Instrumentum publicum cum suscriptionibus Ill'morum et Excell'morum D. D. Testium, nec non Ad'm R'ndi Patris Guardiani, ac Excel'mi Domini Antonii Mattaloni J. U. Doctoris, et Syndici Apostolici Venerandi Conventus Montis Sancti cum suis sigillis mihi optime notis requisitus Antonius Milost Publicus Imperialis Notarius authenticavi appposito mei tabellionatus signo.

(L. S.) Deus misereatur nostri, et benedicat nobis.

Nos Joannes Josephus S. R. I. Comes à Wildenstein lib. Bar. de Wilpach, et Koltsdorff,⁴⁴⁴ Dominus in Schakenthurn, et Libboch S. C. M. Cubicularius intimus, actualis Consiliarius, Capitaneus in Illustrissimo principali Comitatu Goritiae, nec non Capitaneus, et Admi-

nistrator Gradiscae, et Aquilejae etc. fidem facimus, et attestamur suprascriptum Dominum Antonium Milost esse Publicum Imperialem Notarium, cujus publicis, et authenticis Scripturis hic plena adhibetur fides, et ubique locorum merito adhibenda venit. In quorum fidem etc.

Goritiae 9. Junii 1717.

Casparus Valentinzig Actuarius Jur^{ts}
Cancellariae Nobilium.

XIII. Ut autem Coronationis gloriosissimae Virginis Mariae Montis Sancti Sacra Solemnitas perpetuo in fidelium Clientum cordibus fixa maneat, quidam Mariophilus mox adducendam Cantilenam composuit, quae in Choro à Patribus terminatis Lauretanis litaniis semper ad excitandam in fidelibus Coronationis memoriam decantatur.

Coronata Mater Dei
Tu Solamen cordis mei
Spes es, et refugium
Hic in Sede gratiarum
monstra nobis pignus charum
Jesum tuum Filium.
Huc in Montem advenisti
Sedem quoque hic elegisti
Regina clementiae
Populus iste devotus
et amore tui motus
erexit Ecclesiam
Ursulae apparuisti
Opem ferre promisisti
Ad te properantibus.
Nobis inde gratulamur
Digni, quod hic habeamur
Maternae praesentiae

Hic est Mons hilaritatum
Culmen Virgini Sacratum
Ab Authore Saeculi
Tot portentis decorata
Grandi fastu coronata
Suis ditat gratiis.
Vere Mons Sanctus vocatur,
Qui à te sanctificatur
Mater Clementissima
Tu ad Coelum certe via
Omnes pia ô Maria
Tuum duc ad Filium
Quae hic Coronata sedes
Ante tuos flexi pedes
Adoramus Filium
Dum tenellum sinu lactas
Tunc pro nobis preces jactas
Triadis Triclinium.

Caput X.

De anno jubilaee, seu bis centesimo Apparitionis gloriosissimae Virginis MARIAE.

I. Qua solemnitate primum saeculum ab apparitione Virginis Mariae facta anno 1539. videlicet anno 1639. quo anno P. Franciscus Glavinich Guardianatus officio fungebatur, celebratum fuerit, nulla reperiuntur loci monumenta, quae id vel leviter insinuarent. Alterum saeculum sub locali gubernio P. Alexandri Bresciak Anno 1739. recurrebat, quod opera ARP. Caspari Pasconi Provinciae Patris, et

Custodis actualis singulari apparatu, et communi jubilo sanctificatum, et celebratum fuit, ut constans, atque perpetua admirabilis hujus, totique orbi faustissimae Apparitionis excitaretur memoria, et corda fidelium erga Matris hujus amantissimae cultum magis, magisque accenderentur. Siquidem praedictus P. Pasconi prae-habito maturo consilio, et deliberatione, atque accedente legitimae Superioritatis consensu, implorata quoque per litteras assistentia

Ill'mi, et R'mi D'ni D'ni Danielis Delfini Patriarchae Aquilejensis sub cujus Dioecetano territorio Sanctuarium Montisanctanum reperitur, et mediante etiam coope-
ratione, et opera A. R. P. pro tempore Procuratoris Generalis Cismontanae Reforma-
tae Familiae Michaelis Angeli â Gallipoli ad Summum Pontificem Clementem
XII. humillimas dedit preces, quatenus is ad majorem Dei gloriam, magisque pro-
movendum cultum erga Sacratissimam Virginem Mariam occasione hujus Jubilaei
plenariam Indulgentiam ab omnibus Christi fidelibus utriusque sexus praedictam
Sacram Aedem devote, et pie visitantibus per integrum Octiduum quotidie lucrifa-
ciendam benignè concederet.

II. Visis justis, et piis postulationibus Fratrum Minorum Clemens XII.
Pontifex Maximus benignissime concessit petitam Indulgentiam plenariam per in-
tegrum ab Ordinario designandum Octiduum ab unoquoque Christi fidei quotidie,
et semel tantum lucrandam, ut id ex ipsius litteris luculenter desumitur, quae ita
sonant:

CLEMENS P. P. XII.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem, et Aposto-
licam benedictionem. Ad augendam Christi fidelium religionem, et animarum sa-
lutem Caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus
Christi fidelibus verè paenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis,
qui Ecclesiam Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformato-
rum nuncupatorum Montis Sancti â Goritia Aquilejensis Dioecesis in octo diebus
continuis per Ordinarium designandis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum
Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exalta-
tione pias ad Deum preces effuderint, plenariam spatio praedicti Octidui per unum-
quemque Christi fidelem semel tantum lucrificandam omnium peccatorum suorum
indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus
pro unica vice valituris. Volumus autem, ut si praesentium aliquid vel minimum
detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint. Datum Romae apud
Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VIII. Maji MDCCXXXIX.
Pontificatus nostri anno nono.

Gratis pro Deo, et Sc'ra

Fr. Cardinalis Passioneus.

Cormonii die 28. Junii 1739. visae, lectae, ac ea, qua decet, reverentia recepta, et
admissae, atque **cum Originali** concordēs assignatis octo continuis diebus pro In-
dulgentia acquirenda, videlicet â festo Assumptionis B. V. Mariae usque ad illius
diem Octavam inclusive pro executione publicentur. In quorum fidem etc.

Joannes Leonardus Bositius de Turnberg
et Jungenegg Cancellarius Archidiaconalis.

III. Obtentis octiduanis Indulgentiis, et assignato ab Ordinario octiduo huius solemnitatis, necessum erat, ut ad augendum cultum erga Deum, ac Sanctissimam ejus Matrem notitia huius singularis Ecclesiae thesauri devolveretur ad Aures omnium Marianorum Clientium, et hinc ad omnia loca circumadjacentia, nimirum ad *Carinthiam Villacum* ad Ill'mum, et R'mum Dominum Comitem Portia Archidiaconum ex parte Imperii, aliasque Parochias, et Vicarias sibi subjectas. Ill'mum, et R'mum Dominum Abbatem Benedictinum in Arnoldstain, et alias quatuor Parochias suas. Ad *Carnioliam* ad Ill'mum, et R'mum D. Vicarium Generalem Jacobum Schiling, et ad interiores Carnioliae Parochias, ad quas P. P. et F. F. Collectores Montis Sancti tantum ad quaestuantum solent ire: *Tergestum* ad R'mum D. Vicarium Generalem Franciscum Brandulini, et alias Parochias Episcopatus Tergestino subjectas. *Flumen* ad R'mum D. Archidiaconum Nicolaum Andream Tudorovich. *Tolminum* ad R'mum D. Archidiaconum Andream Foromiti, et omnes Parochias Archi-Diaconatus subjectas. *Vipacum* ad Ad'm R'ndum Dominum Parochum N. Repitsch, et omnes Vicarias, et Cooperaturas sibi subjectas: *Gradiscam* ad Ad'm R'ndum D. Parochum, et singillatim ad omnes Parochias, et Vicarias Comitatus Gradiscensis. *Goritiam* Ad Ill'mum, et R'mum Dominum Comitem Josephum Coronini Parochum Civitatis, et alias omnes Parochias, Vicarias, et Capellanas totius Comitatus Goritensis Encyclicae Invitatoriae Labaci impressae obligata fuere.

IV. Porro tenor Epistolae invitatoriae erat sequens:

InVItatIo PopVLI

aD

LaVDes gLorIosae CoeLI

OrbIs RegInae sIgnIs

GratIIs CLare, aC speCIaLIter

Veneratae

In Celeberrimo Sanctuario Montis Sancti à R. R. P. P.

Franciscanis Reformatae Provinciae S. Crucis

Croatiae Carnioliae officiato

Quod

In Monte supra Salcanum prope Goritiam in principali Comitatu Goritensi situm ob admirabilem, ac universo orbi faustissimam apparitionem Ursulae Ferligoinizae à Beatissima Dei Genitrici factam, atque ob stupenda portenta, ac multiplices gratias ab eadem ad haec usque tempora dispensari solitas magno populorum concursu, ac pietate colitur jam in Saecundum

Saeculum.

Proinde

Cum annus currens sit anniversarius dictae solemnisi apparitionis, seu ultimus secundi saeculi, memoria ejus in honorem Augustissimae Coeli Reginae, ac in gratiarum actionem pro tantis beneficiis toti orbi collatis, omni, qua par est, solemnitate celebrabitur octo continuis diebus ordiendo à die 14. Mensis Augusti usque ad diem 22. inclusivè. Quem in finem feliciter regnans Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa XII. ad augendam fidelium devotionem singulis octo diebus Indulgentias plenarias misericorditer indulsit.

Ut solemnitatis futurae in honorem Sacratissimae Dei Genitricis instituen-
dae amplior, et distinctior ab omnibus, et singulis Christifidelibus habeatur notitia,
id, quod jam luce meridiana clarius, et toties è suggestibus depraedicatum, iterum
ob oculos proponere libuit, videlicet Montem Sanctum (qui prius *Aquarius*, aut
vulgo *Skauniza* dictus, *Sancti* nomen voce populi ob varias obtentas gratias accepit)
supra Salcanum prope Goritiam situm Anno Dominicae Incarnationis 1539. admi-
rabili, totique Mundo faustissima fuisse illustratum apparitione facta à Beatissima
Virgine Ursulae Ferligoinizae Gargarensi, quod est oppidum ex altera parte dicti
Montis in valle jacens.

Cum enim dicta Ursula pascendis gregibus invigilaret, orationibusque
ferventibus solito die quodam Sabbathino, ut traditio fert, esset intenta, adfuit ei
Sacratissima Coeli Regina, cujus opem ardentibus efflagitarat precibus, manifes-
tavitque inibi à se electum locum dispensandarum, pro materna ergo clientes suos
pietate gratiarum, simulque mandatum dedit nuntiandi populo, ut Sacrum in eodem
loco delubrum, cujus etiam formam exhibuit, erigeret, et gratias dein plena cum
fiducia exposceret, sequentibus verè plenariae munificentiae verbis:

DIC POPULO, UT AEDIFICET MIHI HIC
DOMUM, ET PETAT GRATIAS.

Relatione verò ab ea Goritiensibus, caeterisque locis adjacentibus facta,
Ursula, quo certior rei veritas elucescat, detinetur in Custodia, verum Oratricis suae
benignissima Virgo non oblita eam protinus pristinae libertati restituit, eamdem-
que populus in vertice dicti Montis orationibus vacantem reperit, quo prodigio viso
communi consensu Aedes sacra erigitur, prout et erecta conspicitur tota ex lapide
quadro consurgens. Dum verò solo aequando impenderetur opera asperrimisque
cautibus apricissimis rupibus rescindendis desudaretur, inventus est lapis flavi quo-
dammodo coloris cum salutatione Angelica hieroglyphicis litteris incisa, ut vel ex
hoc colligi possit locum praelaudatum semper speciali fuisse munitum Beatissimae
Virginis protectione

cujus salutatio velut quoddam pignus gratiarum in eodem conservabatur.

Consummatis igitur laboribus Ecclesiae construendae, ingens illico ex omnibus Orbis partibus coepit esse populi affluxus, cujus rei fama audita Eminen-
tissimus Dominus Dominus Marcus [Narinus]⁴⁴⁵ Grimani Dei et Apostolicae Sedis gratia pro eo tempore Patriarcha Aquilejensis, et S. R. E. Cardinalis pictam in tabu-
la Divae Virginis suum in ulnis gestantis Unigenitum â dextro latere S. Joachimo, â sinistro verò divo Joanne Baptista depictis misit Iconem, quae in majori Ara Anno 1544. honorifice reposita, summa omnium fidelium veneratione, ac pietate colitur ob tam multiplices, ac stupendas gratias, quas eadem Sacratissima Virgo juxta promissum suum indies fideliter dispensat, prout indubiam praestant fidem tot, tantaque innumera vota, quae sunt manifesta signa obtentarum â Christifidelibus Gratiarum.

Et quia effigies haec gloriosissimae Dei Matris frequentia populorum, et miraculorum munificentia celeberrima claret, ut memoratum est, jam ab anno 1539. hunc Supremus Ecclesiae Pastor sollicite invigilans honoribus caelitibus deferendis, efformato prius voluminoso processu super celebritate loci, et prodigiorum numerosa serie sancivit, ut Vaticano ritu coronari valeat, et verè Thaumaturga declarari, prout etiam innumerabili hominum interveniente concursu mirabiliter evenit Anno 1717. 6. Junii.

Quia ergo ab illa omnibus auspicatissima apparitione jam secundum saeculum anno praesenti completur, dignissimum juxta, ac justissimum visum est, ut annus hic toti sit Mundo sollemnis, omnique, qua par est solemnitate celebretur, in quem finem solemnitatis hujus stabilita est dies juxta oraculum feliciter regnantis Pontificis, ut videre licet in Bulla ejus ad magis firmanda de rei veritate sincera corda fidelium ab Ordinario loci dies 14. mensis Augusti, quae incidit in Vigiliam Mariae Virginis in Coelos Assumptae â primis Vesperis anni currentis 1739. durabitque per integros octo dies nempe usque ad secundas Vesperas inclusive Octavae ejusdem gloriosissimae solemnitatis cum plenaria Indulgentia concurrentium.

Quare, ut haec omnia excellentiori applausu, ampliorique Jubilo pertractentur, omnes utriusque sexus Christi fideles ad hanc solemnitatem in honorem Augustissimae Coelorum Reginae instituendam, quam humanissimè, quam humillimè invitantur, roganturque demississime omnes locorum Ordinarii, Praelati etiam Regulares, Conventuum Superiores, Domini, Domini Parochi, quatenus per eorum subalternos Vicarios, Curatos, et Concionatores concreditos sibi populos ad has Magnae Matris laudes decantandas è suggestibus efficacissime dignentur exhortari, ut hanc Sacram peregrinationem, quo par est, et fieri potest, unanimi zelo, ac pietate suscipiant, ut haec solemnitas universali plausu, et devotione ita in via celebretur, ut per intercessionem Sacratissimae Virginis omnes, et singuli in Patria ad Angelorum Solemnitatem

pervenire valeant.

Guardianus, et Patres Conventus
Montis S. Minores Reformati

V. Cum autem non inanis rumor, et timor pestis grassantis in Hungaria, et Croatiae partibus finitimis ad Austriam, Styriam, Carnioliam, Segniam, Buccarim, et Flumen deferretur, constituti Provisores sanitatis Inclytis statibus Comitatus Goritiensis opportunam praedicti morbi contagiosi transcripserunt notitiam. Quamobrem necessarium, vel maxime Primatibus, ac Nobilibus Goritiensibus videbatur, consultissimumque, ut octiduum solemnitis hujusmodi ad salubriora magisque propitia tempora devolveret. Quam in finem Patres Montis Sancti populo per Praedicatores divulgaverant ac per litteras revocatorias insinuaverant transferendam esse solemnitem praedictam ob metum luis contagiosae in aliud salubrius tempus. Propterea A. R. P. Casparus Pasconi Ex-Minister, et Custos actualis promotor illius praecipuus demum ad Ill'mum et Rndss'mum Dominum loci Ordinarium supplicem porrexit pro designatione destinati Octidui alio tempore ejusdem tamen anni anniversariae apparitionis, in quo vigeat gratia Sanctae Sedis instituendi, quod et indilate obtinuit, siquidem ad mentem supplicantis Idem Ill'mus Ordinarius Decretum tulit, ut nullo amplius interveniente obstaculo, neque suspicione contagiosae luis, atque accedente etiam consensu Excell^{mi} Capitanei, et Inclytorum Statuum isthaec solemnitas cum omnibus gratiis, et privilegiis à Sancta Sede concessis institueretur, et inchoaretur 17. Octobris 1739 perduraretque usque ad 25. ejusdem mensis inclusive. Atque adeo, ut omnia rectum tenerent Ordinem, omnium primo Epistolae invitatoriae ad cuncta penitus supra recensita loca iterato mutatis mutandis expeditae fuerunt.

VI. Cessante itaque metu contagiosae luis, dicta solemnitas die 17. Octobris suum sumpsit initium, quae ut majori cum pompa perageretur, in medio Arae S. Annae in ipso Templi meditullio paulo supra Tabernaculum collocata extabat nova Imago picta Apparitionis B^{ae} Virginis veluti principale fundamentum hujus anniversariae celebritatis, ex superiori parte, et inferiori alterius lateris devota Oratrix adgeniculato poplite, et erectis ad Deiparam manibus media inter frondes, arboresque, et animalia velut symbola illorum, quorum olim in solitaria devote orans curam in pascuis, custodiamque gerebat, atque pecorariam agebat cum **sequenti subscriptione**

EffIgIes gLorIosae VirgInIs, aC CoeLI
regInae
QVae pIae VrsVLae FerLIgoInIzae hoC In Monte
ApparVIIt

Origo, et Progressus Sanctuarii Montis Sancti
octo carminibus graphice comprehensus

Cernis in effigie Natum cum Matre stupescis
Ecce tibi hic visae Matris imago patet.
Viderat hanc simplex: ipsaque iubente puella
Nuntiat, ut populi hic coelica dona petant.
Ecce petunt: quanta accipiunt: donata corona
Testatur, Populi, quam fabricavit amor.
Ô cunctis celebris lux, hic qua exorta Maria est!
Digna piaie semper gentis amore coli.

VII. Circumlatim verò ad hanc apparitionis depictam effigiem proeminebant in superiori parte praedictae Arae symbola tria, et quatuor collateralia, et sunt sequentia:

Symbolum I.

Repraesentans Ursulam populo voluntatem Beatissimae Virgini promulgantem.

Lemma. Coelestis Nuntia Mentis

Sacer textus. Praecepit, ut aedificaret ei Domum *1 Esdra 2*

Distichon.

Praedicat auditam populis mox Ursula vocem
Virgini in excelso hoc Monte placere domum.

II.

Repraesentans Ursulam incarceratam et ê carcere ope Beatissimae Virginis liberatam.

Lemma. Virtus reclusa nitescit.

Textus. Ducet me in lucem. *Mich. 7. 8. 9.*

Distichon

Creditur haud miserae, firmatur carcere, verum
sistitur in primum, Matre favente locum.

III.

Repraesentans aedificium Ecclesiae, et salutationem Angelicam in lapide incisam, et inventam.

Lemma. Laudant saxa Mariam

Textus: Quadratis lapidibus aedificabimus *Isaj. 9.*

Distichon

Quam Mons hic Sanctus, suffossam consule petram,
Angelicum releges, quod tibi monstrat, Ave.

IV.

Repraesentans fiduciam populi ad erectam Ecclesiam Virginis Beatissimae.

Lemma: Spes firma Mundo.

Textus. In Monte salvum te fac. *Gen. 9.*

Distichon.

Iam fama humanos repulit de pectore sensus.
En spirant Matrem singula corda Dei.

V.

Repraesentans prodigia, et miracula, ac gratias intercessione Beatissimae Virginis patrata et impetratas.

Lemma: Dulcis medella misellis

Textus: Curans omnem languorem. *Matth. c. 9.*

Distichon

Si quaeris portenta! Vide, quam mira Maria
Perpetrat et juveni, et magnificanda seni.

VI.

Repraesentans singularissimam munificentiam Serenissimi Archiducis Austriae Caroli felicissimae memoriae, qui Anno 1565. gratiosissime introduxit in Custodiam, ac vigilantiam Fratres Minores de Observantia nuncupatos Reformatos Provinciae S. Crucis Croatiae, et Carnioliae Mariani hujus loci Montis Sancti titulo donationis, et foundationis.

Lemma: Induxit eos in Montem Sanctum. *Psal. 77. V. 59.*

Distichon.

Austria Francisco cernens laterana nitere
Templa, novam extemplo suggerit illa Domum.

VII.

Repraesentans Beatissimae Virginis solemnem ritu Vaticano Coronationem.

Lemma: Dant portenta Coronam.

Textus: Posuit Diadema Regni in capite ejus. *Esth. 2.*

Distichon.

Aurea Reginae est, ob tot nova signa corona
Facta tibi aurea, eam tu pietate cole.

VIII. Eadem pariter Ara Aulaeis sericeis hinc inde arduo simul, ac artificioso labore, sicut et vasculis florum artificialium undequaque extitit mirum in modum exornat et praeter figuras pyramidales 14. columnas ligneas manu Arcularii, ac Pictoris ante, et retro debite elaboratas complectebatur. Super Tabernaculo positum erat celebre baldachinum inauratum Sanctimonialium Ursularum medium inter duas statuas Angelorum, nempe Gabrielis, et Raphaelis, in quo integro octiduo publicae venerationi expositum erat Venerabile Sacramentum, atque pro illuminatione speciosa ejusdem exposita erant sexaginta sex candelabra cum suis respective candelis ex alba cera, quae dum arderent vel in illuminatione Vespertina ante, ac retro dictam Aram, maximopere luminosam reddebant Ecclesiam, et luminis claritate adstantium oculos summè recreabant.

IX. A In simili Altare quoque Majus Divae Virginis Gratiarum singulari ornatu, ac candelis ex cera Alba pro identica

illuminatione abunde instructum fuit, sicut et caetera respective Altaria Ecclesiae, adeo, quod in univsum integro octiduo 126. candelae cereae numerabantur. Pro dicta illuminatione alioque ornatu Ecclesiae Carolus VI. glor. mem. Romanorum Imperator sub die 15. Aug. Neostadii Austriae 1739. contribui curavit fl. 100. Praeterea Excelsum Consilium bellicum assignavit centum pulveris pondo ex armamentario Caesareo Goritiae subministranda pro explodendis tempore dictae solemnitate mortariis ad hunc effectum ex eadem arce commodatis, Excelsa verò Camera Graecensis subministravit loco pulverum imploratorum fl. 20. Insuper Inclyti Status principalis Comitatus Goritiensis pro subsidio dictae sollemnitate contribuerunt fl. 100. ac Magnificus Civitatis ejusdem Magistratus fl. 25. Etiam Urbs Tergestina partim in cera, partim in eleemosyna pecuniaria contribuit fl. 50. circiter.

X. Omnibus tandem praeparandis piorum eleemosynis praeparatis felicissimum suum sumpsit exordium sollemnitas isthaec 17. Octobris Anno, ut dictum, 1739. à primis Vesperis, quae festivo ritu inchoata, ac celebrata fuere ab A. R. P. Casparo Pasconi Ex-Ministro, et Custode Provinciae, et decantatae à Saecularibus Musicis Civitatis, et Parochiae Goritiensis, ex professo ad hunc effectum invitatis pro prima, et ultima diei hujus octidui. Terminatis verò Vesperis mox litaniae Lauretanae eodem musicali cantu absolutae fuerunt, ac tandem sollemnis Venerabilis Sacramenti secuta benedictio, sub qua, sicut sub prima eodem cum Sanctissimo data copioso adstanti populo benedictione, in signum etiam inchoatae celebritatis D. Franciscus Falligum librator tormentarius mortaria 24. duodecim scilicet qualibet vice explosit sollemni cum boatu.

XI. Prima dein die, hoc est 18. 8'bris, quae inciderat in diem Dominicum, eadem possibili pompa, illuminatione, ac musicali concentu Sacrum decantavit Ad'm R'ndus Pater Antonius Sporeno Inclytae Societatis Jesu olim Universitatis Graecensis Supremus Cancellarius, et Collegii Goritiensis Rector actualis, qui similiter secundas Vesperas, ac litanias sollemnizavit, primumque clausit diem sub sonitu pireo 36. mortariorum. Simili modo secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, et septima ejusdem Octavae dies pari festivo plausu concelebratae fuerunt, et singulis his diebus Sacrum fuit decantatum partim ab extraneis, partim à Domesticis ad Aram B. Virginis Mariae principalissimae, et munificentissimae Advocatae, et Patronae tantae sollemnitate originatae ab admirabili apparitionis suae Sanctae mysterio, in ejus honorem, et gloriam, ac superlativam gratiarum actionem, litaniae verò Lauretanae semper iisdem quoque diebus circa solis occasum cantabantur ad Aram in meditullio Templi cum plena illuminatione, sicut prima die.

XII. Qualibet pariter die totius Octavae concurrebat continuus ex omni parte populorum concursus ad venerandam hanc gratiarum Matrem, atque ad lucrandos Indulgentiarum thesauros

praevia Sacra peccatorum confessione, ac communione, quem in finem summo mane omnes Patres Confessarii ad Confessionalia constanter accesserunt, ut hac ratione sicut sensim, ac sensim homines confluere solebant, ita ampliori successiva facilitate absolverentur, ac consolati dimitterentur. Ultima tandem die inexplicabilis, et innumerabilis erat hominum utriusque sexus concursus adeo, ut nec Ecclesia, nec Conventus (ê cujus cellis omnes Religiosi recedere debuerunt ad locum pro nocturna quiete hospitibus, ac benefactoribus omnis conditionis, et status concedenda, sicque totam noctem potissimum insomnem ducere necessum erat) neque vasta, et amplissima alias saecularis forestaria, neque denique totus circuitus, et locus hujus Sacri Montis ab intra, et ab extra sufficiens erat pro debito, et ut clamorosis undique ab hominibus vocibus, ac precibus desiderabatur, ad comprehendendam maximam illorum turbam, quam dinumerare nemo sane poterat.

XIII. Octava tandem die comparuere ad hunc Sacrum Montem ad complementum tantae solemnitis processionaliter omnes Civitatis Goritiensis Confraternitates, quibus singulari cum exemplaritate totius Urbis, ac devotione erga Thaumaturgam Virginem comitativam dedit peditando usque ad Montem ipsum Ill'mus, et R'mus D. Josephus S. R. I. Comes â Coronini Parochus loci cum toto Clero sibi subjecto, qui solemne Sacrum ad Aram ejusdem B^{mae} Virginis omni cum festivo apparatu, et musicali symphonia decantavit, atque inter Missarum Solemnia concionem Italicam habuit ad populum, vel maxime Goritiensem, pro quo potissimum instituta erat M. V. P. Franciscus Suppanzhizh hujus Conventus incola. Etiam hac ultima die ad Montem Sanctum venit Ill'mus D. Comes Antonius â Rabatta Capitaneus, Ill'mus Principalis Comitatus Goritiensis pluribus aliis Comitibus, Baronibus, et Nobilibus Inclyti Comitatus stipatus. Detulit haec processio singulare donum huic Gratiarum Matri videlicet duodecim praegrandes faces, ac quadraginta unius ponderis candelas ex cera alba. Circa quartam pomeridianam solemnes Vesperae, ut in primis Vesperis inchoatae Solemnitatis cum plena Saecularium Musicorum symphonia, eodemque apparatu ab A. R. P. Casparo Pasconi concelebratae fuerunt, postmodum litaniae, et post has *Te Deum laudamus*, sub quo, sicut et sub solemni ultima Venerabilis Sacramenti data populo benedictione continui emittebantur, et solvebantur mortariorum boatus. Et taliter terminata erat haec anniversaria Apparationis B^{mae} Virginis octiduana solemnitas.

Caput XI.

De concessione Officii, et Missae in honorem Apparitionis, sive Coronationis, vel festivitatis S. MARIAE V. Montis Sancti.

I. Ut Montem Sanctum celebriorem redderet, ac devotionem erga gloriosissimam Gratiarum Matrem magis, magisque promoveret A. R. P. Casparus Pasconi olim hujus Provinciae Minister

Provincialis eximius Mariani cultûs Zelator, ſtatuit in corde ſuo ſupplicare Sanctiſſimo Domino Benedicto XIV. Summo Pontifici, quatenus Miſſam, et Officium pro anniverſaria die Coronationis, Dominica ſcilicet 3^{tia} poſt Pentecoſten benignè concedere dignaretur, utque urgentiores ſuae evaderent preces, Goritiennes Archidiaconum, Parochum, Clerum, et Senatum Civicum in partem adjuvaminis advocavit, enixius autem Eminentiſſimo Patriarchae Aquilejenſi Danieli Delfino tum loci Ordinario gratiſſimo, ſupplicando, valiſſimum ab eodem ſuſcepti negotii patrocinium impetravit. Quapropter tam Archidiaconus, Parochus, ac Magiſtratus Goritiennis ſuis particularibus ſupplicibus comitati ſunt ſupplicem P. Caſpari Paſconi Sacrae Rituum Congregationi mense Majo 1747. porrectum.

II. Quia verò P. Paſconi tantum generalia miraculoſae videlicet apparitionis, coronationis ritu vaticano peracta, ac miraculorum interceſſione Virginis Montis Sancti enarrationis generatim ſuo inſeruit ſupplici praeter ſpem favorable minime tulit Decretum, ſed jussus erat à prima Audientia, ut novis, magisque ſpecificis documentis recurſum ad hunc effectum pro ſecunda manutenenda audientia faciat. Quamobrem evoluto ferme anno propter ſuam abſentiam (Viennae quippe morabatur D'ni Auguſtini Codelli Baronis à Fanenfeld ratione Archiepiſcopatus Goritiennis foundationis ad Aulam Caesaream ablegatus) 27. Martii 1748. conquiſita iterum nova illa, et quoad fieri potuit, magis ſpecifica à S. R. Congregatione deſiderata documenta Romam ad Curiae Reformatorum Procuratorem tranſmiſit in **Memoriale facti** coordinanda. Adjecit ſuam ſupplicationem in 6. foliis extenſam, et **hſtoriam Apparitionis Beatiffimae Virginis Montis Sancti cum ſuis circumſtantiis plene referentem.**

III. Ad iteratam inſtantiam, et humillimas preces Sacrae Rituum Congregationi à praememorato P. Caſparo Paſconi porrectas, Eadem **Sacra Congregatio ſequens edidit Decretum:**

– Aquilejen. –

Porrectis Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIV. per Patrem Fratrem Gaſparem Paſconum olim Provinciale, et iterato Custodem actualem Reformatae provinciae Sanctae Crucis Croatiae, et Carnioliae nomine etiam univerſi Cleri Saeularis et Regularis Comitatus Goritiennis, ac totius memoratae Provinciae Reformatae Sanctae Crucis humillimis precibus pro conceſſione Officii, et Miſſae Beatiffimae Virginis prout in feſto die Apparitionis, ſive Coronationis, vel feſtivitatis ejusdem Beatae Mariae Virginis Montis Sancti ſupra Goritiam Aquilejenſis Dioeciſis recolendo Dominica tertia poſt Pentecoſten in Conventu, et Eccleſia Sanctae Mariae Gratiarum Montis Sancti eorundem Patrum Reformatorum, illiſque à Sanctitate ſua ad Sacram Rituum Congregationem remiſſis, atque ab Eminentiſſimo, et Reverendiſſimo Domino Cardinali Tanario relatis Sacra eadem Congregatio ad fovendam devotionem in praedicta Eccleſia erga Beatam Mariam Virginem Officium ſub ritu Duplicis Majoris prout in feſto ad Nives ſumptis lectionibus ſecundi Nocturni ex feria 5^{ta} infra Octavam Nativitatis Sanctae Mariae Virginis à Religioſis praefatae Eccleſiae tantum recitari: Miſſam

verò ejusdem festi et ab ipsis, et à caeteris Sacerdotibus ad eandem Ecclesiam confluentibus celebrari posse Dominica tertia post Pentecosten indulsit, atque concessit die 7. Septembris.

(L. S.)

D. F. Card. Tamburinus Praefectus
T. Patriarcha Hierosolymitanus
Secretarius.

IV. Quoniam verò S. R. Congregatio laudato pro Ecclesia tantum Decreto, flagrantissimo Oratoris P. Pasconi zelo non plenè satisfactum fuit, Orator amplissima ab Emin^{mo} Patriarcha Aquilejensi per litteras, et à S. R. Congr. Praefecto Cardinale Tamburino, Promotore item fidei P. Ludovico Valenti per Procuratorem Curiae nostrae Generalem plenae, quod ipse petiit, obtinendae gratiae facta sibi spe, suae causae Promotori, et Reformatae Curiae Advocato Carolo Xaverio Sisto commisit die 25. Septembris 1748. ut apud S. R. Congr. importunius instet, ut obtenta gratia ac facultas recitandi Officii, et Missae in Ecclesia Montis Sancti tantum ad universum Clerum tam Saecularem, quam Regularem Comitatus Goritiae, et Gradiscae extenderetur. Memoriali Facti iterum composito edoctus Orator per Procuratorem Gn'lem ad desideratum effectum certo, et infallibiliter consequendum una E'mi, et R'mi Patriarchae Aquilejensis, utpote loci Ordinarii commendatitias plurimum collaturas, is extemplò humillimas ad Patriarcham Daniele Delphinum 16. Januarii 1749. dedit litteras, ut gratiam Missae, Officiiue pro Ecclesia tantum obtentam, quam suo patrocínio in acceptis refert, repetita sua commendatione apud S. Congregationem ad desideratissimam insuper extensionem, quoad utrumque Clerum Comitatum Goritiae, et Gradiscae consequendam prosequi velit. Libenter annuit E'mus, et Mariano huic adfectissimus Antistes, eas extemplo ad S. Congr. confici curavit **commendati**[ti]as⁴⁴⁶ litteras.

V. Recitatis coram S. R. Congregatione E'mi, et R'mi D'ni Danielis Delphini Cardinalis, et Patriarchae Aquilejensis precibus eadem juxta petita extensionem Missae, et Officii in honorem Apparitionis, sive Coronationis pro Ecclesia, et Conventu Montis Sancti concessi tam pro Clero Saeculari, quam Regulari Comitatum Goritiae, et Gradiscae benignè indulsit **sequenti Decreto**.

– Aquilejen. –

Enixis precibus Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Patriarchae Aquilejensis, nec non Cleri Saecularis, et Regularis illius Civitatis, et Dioecesis, ac universae Provinciae Reformatae Sanctae Crucis Croatiae, et Carnioliae Sacrae Rituum Congregationi porrectis pro extensione Officii, et Missae beatae Mariae Virginis Gratiarum ad Clerum Saecularem, et Regularem praefatae Civitatis, et Dioecesis, ac Comitatus Goritiae, et Gradiscae, nec non ad supradictam Reformatam

Provinciam Croatiae, et Carnioliae ad formam Concessionis die septima Septembris 1748. factae Religiosis Patribus Reformatis Conventus Montis Sancti supra Goritiam, Sacra eadem Congregatio benignè inclinata gratiam juxta petita benignè indulsit, atque concessit. Hac die 20. Septembris 1749.

(L. S.)

D. F. Card. Tamburinus Praefectus

T. Patriarcha Hierosolymitanus Secret^{trius}

VI. Denique Anno 1764. pientissimus Carolus Michael ex Comitibus de Attems primus, et Religiosissimus Archiepiscopus Goritiensis, ut singularem suam devotionem, qua Ss^{mae} Deiparae, et Almae huic Virginis Gratiarum Basilicae tenerime afficiebatur, argumento quodam contestaretur, gratiam Missae, et Officii ab utroque Clero Saeculari, et Regulari in Comitatibus Goritiae, et Gradiscae dicendi 20. Septembris concessam 1749. ad reliquam suae Dioecesis partem, quae extra praedictos Comitatus amplissime est diffusa extendi Sacrae Rituum Congregationi humillimè supplicavit, et petitam extensionem ad relationem ejusdem S. Congregationis Secretario S. Burghesio factam 7. Aprilis 1764 obtinuit. Obtentam verò per legalem ejusdem copiam à Curiae suae Notario transmissam Guardiano Montis Sancti tunc M.V.P. Corbiniano Perz renunciari fecit, cujus tenor talis est:

Goritien.

Ad servandam uniformitatem in recitatione Divini Officii in tota Dioecesi Goritensi R'mus Archiepiscopus pro extensione Officii, et Missae Beatae Mariae Virginis, prout in festo Sanctae Mariae ad Nives, in festivitate ejusdem Beatae Mariae Virginis sub titulo Gratiarum ad formam concessionis diei 20. Septembris 1749. Comitatus Goritiae, et Gradiscae factae, ad reliquam suae Dioecesis partem, quae extra praedictum Comitatum sita est, Sacrorum Rituum Congregationi humillimè supplicavit. Et Sacra Congregatio, ad relationem per me infrascriptum Secretarium factam, ut recitatio Officii una eademque die uniformis sit in praedicta Dioecesi Goritensi Oratoris instantiae juxta petita benignè annuit die 7. Aprili 1764.

(L. S.)

Joseph M^a Card. Ferrari Praefectus.

S. Burghesius S. R. C. Secretarius.

Ex Originali in authentica forma in Archiepiscopali Goritensi Archivio asservato ego infrascriptus extraxi, prout etc. et apposito dictae Curiae sigillo, me in fidem subscripsi etc. Datum Goritiae 22. Maji 1764.

Antonius Gostisse Curiae Not^{us}

VII. Antequam ex hoc Sacro discedam Monte binas metricas descriptiones hujus celeberrimi Sanctuarii, in quibus praecipua Virginis Montis Sancti encomia continentur, produ-

cere statui, quorum prima sic sonat:

Hic est Mons hilaritatum, culmen gratiis sacratum

Crimen est non credere

Ursula minando gregem, videns cum Regina Regem

Talibus percellitur

Linque protinus armenta, Potestati te praesenta

Exequi compellitur

Nuntia sis tuae gentis, quod sit sensus meae Mentis

Domum hic surrigere

In qua possit Coeli dona, et quaecumque petat bona

Protinus exigere

Dum descendit, et obedit, Nuntianti Nemo credit.

Maceratur carcere

Compede bis liberata, rursus est in vincula data

Virgo cogit parcere

Credit Judex, et Puella ducitur ex arcta cella

cedit vexa gratiae

Ursula monstrante viam, Montem scandunt, et Mariam

cernit illa facie

Visione jam firmata, atque Domo designata

Spatium eruitur

Sed Reginae tam benignae fit Capella minus digna

Coelitus destruitur

Dumque terram ligo tentat, quadra petra se praesentat

En Dei Magnalia

In qua litteris aeternis Gabrielis dicta cernis

Quisnam vidit talia

Altera mox ampliatur, sed cum rei finis datur

En portenta crescere

Nam concursus dum non capit partem horum⁴⁴⁷

Visum est accrescere

De consensu Dynastarum plebe non plaudente parum

Templum hoc extruitur

pro quo facta sunt expensae, dicere vix non immensae

laudat quisquis fruitur

Quisquis cernis mente pia, quam formosa sit Maria

Tot clarens miraculis

Quantum nobis est amanda, orco tantum formidanda

Quem non semel perculit

Integram haec legionem, vide vota, quid te monem?

Una vice expulit

Ô Maria Mater pia, es ad Coelum recta via

Tuum duc ad Filium

Pelle famem, fuga Tracem, doma bellum, redde pacem
benedicta Domina
Fac tibi decedentum rite, in felici libro vitae⁴⁴⁸
Scripta sint, ut nomina
Peregrine non mireris recepturus in quod quaeris
Non arctatur spatiiis

SI portentIs DeCorata grandI fastV Coronata

DItet sVIs gratIIIs

VIII. Alia metrica relatio ortus, et progressus Sanctuarii Montis Sancti sic

sonat:

Si Cupis Historiam Sancti pervolvere Montis

Objectam tibi nunc perlege lector habes.

Ursula Virgo gregem dum supra hunc pascere Montem

DVX erat obstVpVIIt RegInae NVMIne VIso

Virginis interea vox haec auditur ab ore

I celer, et populis mea tu sic dicta reportes

Aedificent in Monte Domum pro Virgine Matre

Hic flagitent, cupiunt, si quando praemia vitae

Non tulit illa moras surgens de vertice Montis

Goritiam properat populis oracula pandit

Haec dum dicta refert, concurrunt undique cives.

Atque aliquis gravior morum, si talibus, inquit

Creditur, et nimiis turgent mendacia monstis;

Tunc magis intento studium censore laborat,

Raptores properant innectunt colla catenis.

Illa iter ingratum, vanos deflere labores

Incipit, et quaestus fundens ad nubila dicit

Exitio succurre meo compesce furentes,

Comprime ferrales Virgo Maria manus.

Annuat optanti rutilans per aera Virgo,

Desine funestis animum non Ursula curis

Et vano vexare metu, meliora videbis:

Sic ait: et fortes fecit procumbere muros

Terque jubet missae ferratas pandere portas.

Omnibus attonitis, dum cernunt talia facta,

Tentarunt munire vias properante caterva:

Sed caret eventu nimius furor, improba jussa,

Nam Virgo ad Montem sustulit hancce suum.

Postquam vera fides cunctis vulgavit eventum,

Incipit, et magnae crevit reverentia Matri,

Unanimes cives juncti stipante Senatu

Salcani occurrunt tota de plebe Ministri;

Turba canit factum centeno lumine cinctum,

Flexit amor cunctos, scandunt praecordia Montem

Diversos ducunt animos, secumque volutant

Certa requirentes, qui tandem tale sequetur?

Conveniunt Proceres, tunc haec sententia fertur:

Aedificare domum decet hic pro Virgine Matre:

Tunc cito pervigiles sumunt exordia Templi

Nullus erat populi procerum, qui ferre negaret
Vectigal Matri ductus ratione perenni.
Tum graviora cedunt medio de vertice Montis
concurrunt, ornant, templi confinia signant:
Mane resurgentes cum lux detexerat ortum,

En prostrata jacent sic tunc prostrata relinquunt,
 Mutavêre situm bis, jam confinia rumpunt,
 Artifices sumunt, properant, quantusque sequendi
 Ardor erat, quantis flagrabant pectora votis?
 Concutit objectum lapidem lapicida moratur
 Apparet magnae signatus nomine Matris
 Fortunate lapis? primus tu detegis ortum,
 Te monstrante locum, Domus hoc in Monte paratur,
 Tu sine voce canis, Matrem dum carmine scandis,
 Mons dudum sterilis varios mutatur in artus
 Aspectuque suo vicinam recreat Urbem.
 Aspice quam subito Montem Victoria vertit?
 Quam rarum populo referat jam Virgo ligamen?
 Clarior haud hominum votis optatior unquam
 Contigit eventus, crescunt miracula votis.
 Antistes Marcus Grimani ad Virginis Aedem
 Effigiem misit quam saepius ipse colebat,
 Quae populi magno semper veneratur honore.
 Assurgit pietas, celeri jam fama volatu
 Personat, huc miseros ad gaudia concitat omnes,
 Virginis urget amor, concurrunt undique gentes
 Concordes varii certant pro Virginis Aede.
 Presbyteri curam Templi tenuere per annos
 Viginti postquam sibi Virgo elegerat ortum.
 Austria mota bonis, quae praestitit Ordo Minorum
 Ecclesiis: denuo hanc Francisci tradit Alumnis.
 Pergite securi dicens: vis nulla tenorem
 Separet hunc nostrum, famulabitur Austria votis,
 Hos decuit certe tantâ pro Virginis Aede
 Esse lares, nullisque magis se colle potestas
 Aestimat, et magni sentit privilegia juris,
 Exemplis populos ducunt terrore remoto.
 Saecula jam rursus formant meliora Minores
 Ferrea Virgineis molescunt corda sagittis
 Publicus hinc ardescit amor cum moribus aequis
 Hic nunquam Patrum conticuêre Chori.
 Frigora saeva pati gravibus non cedere nimbis
 Aestivum tolerare jubar, mox scandere Montes:
 Virginis in templo Vigiles producere noctes.
 Quis verò insignem tantâ pro Virgine curam
 Respuat; en meritis nostris meliora patebunt
 Praemia, dum Virgo Fratres amplexa Minores
 Assurget, fractis armis ut lugeat hostis,

non igitur metuas, Orci cum proelia sentis

Ad Matrem properes, haec tibi certa Salus.

Haec sunt, quae primis populus miratur in annis

Sed postquam Virgo haec mortalibus edere fata

Non cessat, semperque novos crevisse triumphos

Viderat: obstupuit Sacro de Vertice Mundus;

Gemmiferis cupit hanc Matrem vincere coronis.

Undecimus CLEMENS illo regnavit in anno,
 Is facultatem; sed dat Catharina Coronas,
 Quam faciat dignam Coelesti Virgo Corona
 Moxque parabantur pompae simulacra futurae.
 In nova Goritiae vestigia torqueat annus,
 Prospera dum fractis sperantur tempore rebus
 Carmina sparguntur, decorantur templa figuris,
 Indiget istud opus, splendescant omnia festis.
 Quod superest unum precibus purissima Virgo
 Adde meis, Urbique tuum largire parumper.
 Quem rogat, adventum, peragat tibi Virgo trophaeum,
 Portatur Patrum cervicibus Aurea Sedes,
 Ornatuque novo, variis haec Virgo figuris.
 Spirat, mox laetus sonuit clamore Senatus
 Majestate gravi fertur, longoque morantur
 Ordine, testantur geminato gaudia plausu,
 Inclyta Nobilitas, Urbs ipsa recessit ab Urbe,
 Exceptura venit matrem, ductura per Urbem
 Illius adventu sunt omnia plena trophaeo,
 Concinnuere Chori generoso carmine pleni.
 Tunc populos sublime caput maestissima nubes
 Asperat, horrendae riget inclementia formae.
 Sed mox cum solita Patres hanc voce levassent,
 Nubila dissolvit, perlustrant astra Mariam,
 Apparet Phoebus, populus caligine liber:
 Goritiae lux Virgo fuit, praesagus obibat
 Cuncta nitor, visitque suo natura sereno,
 Et dudum taciti modulantur carmina Cives
 Antistes Diadema tuo cum pignore nato
IMposVIt CapItI; CernIt, GorItIa gaVDet
 Civibus, et toto te cingit Virgo Senatu
 Insoliti subito rupere silentia cantus.
 Inde triumphantem resplendens gloria Matrem
 Excipit, et totus late circumsonat Orbis
 Grata Coronatae peragit memoranda trophaea
 Reginam resonant tympana mixta choris.
 Quam laetus Matrem post hoc suscepit Aether,
 Virgineo qualis crevit reverentia Monti,
 Frustra multiplicas victrices Roma coronas
 Excedit cunctas, Unica Virgo sua!
 Ô Decus aethereum terrarum gloria Virgo!
 Tu Requiem latura venis te iudice sontes
 Improbata cogentur vitae commissa fateri.

Ut Domus exceperit reducem, Mons ipse triumphat,
Quisque suâ te voce canit, submissus adorat,
Imploratque tuum supplex, purissima, Nomen.
Est via difficilis cave dicas scandere Montem
 Tristi: sed facilis redditur illa bonis.
Huc igitur veniens modicum requiesce Viator
Excute sollicitus, si quae sunt crimina vitae
Coelorum Dominam multum miraberis hospes,
Corde petas puro, sic coelica dona tenebis

Inde tuum felix carpe refectus iter;
 Nam Mons, quem calcas, Sacer est, et flagrat amore:
 saxeae corda geris: si caelica fercula spernis
 A tanto pudor est igne referre gelu.
 Te celebrem cuperem graviori carmine Virgo
 Sed mea musa gemit tantâ perterrita pompa
 Ista tamen sumas laeto jam carmina vultu,
 Teque precor supplex, hîc quae redimita triumphas,
 Suscipe vota, preces, miseris succurre rogata;
 sis praesens nobis, neque nos pia desere Mater,
 Dum miseros luctus, constringent proelia mortis.
 Si mihi non credis, quae dixi candide lector
 Virginis Annales, in templo consule vota.

Caput XII.

Catalogus Fratrum (quorum notitia haberi potuit) in hoc Conventu, aut hospitio Salca- nensi piè in Domino defunctorum.

1640. A. R. P. Bonaventura Sbona, olim ter Minister Provincialis, hujus Conven-
 tus primus Restaurator et promotor Ann. Rel. 48.
 1650. 10. April. V. P. Didacus Bresgar Gorit. Ann. Rel. 17.
 1651. 14. Decemb. V. P. Felix Pullinus Goritiens. Ann. Rel. 36.
 1652. 29. Decemb. Rel. Fr' Stephanus â Gargario laic. An. Rel. 42.
 1653. 11. Septemb. Rel. Fr' Felix Tertij laic. Venetus An. Rel. 1.
 1654. 11. Aug. Rel. Fr' Thomas Paulovich Clericus Diaconus Ann. Rel. 4.
 1655. In Augusto Rel. Fr' Pacificus Höller laic. Carinth. an. R. 25.
 1659. 13. Jul. Rel. Fr' Humilis Gullin in Campanili orationi intentus fulmine tactus
 Ann. Rel. 38.
 1660. 7. Octob. A. V. P. Franciscus Cenda post secunditias prope Nonagenarius,
 olim Diff'or Provinciae obiit plenus meritis, Relig. 41.
 1661. 6. Aug. V. P. Augustinus Loygk Ann. Rel. 6.
 1666. 9. Aug. A. V. P. Gregorius Jurgulinchich, olim Provinciae Diff'or., Guard. et
 Confess. Sanctimon. Münkendorff. Ann. Rel. 35.
 1671. 24. Mart. Rel. Fr' Florianus Chumar laic. Ann. Rel. 18.
 1677. 14. Sept. Rel. Fr' Paulus Goriup laic. Ann. 35. Rel.
 1678. 3. Sept. A. V. P. Dominicus Pizzulini, olim ter Prov'iae Diff'or Ann. Rel. 45.
 1679. 24. Octob. Rel. Fr' Innocentius Sagar laic. qui innocentia vitae adeo incla-
 ruit, ut orationi ferventius insistens visione Deiparae recreari meruerit.

- 15. Nov. V. P. Leopoldus Leo Ann. 36. Rel. 16.
1680. 13. Apr. Rel. Fr' Aloysius Haass Labacens. Clericus, profess. Ann. Rel. 2.
..... 18. April. A. V. P. Andreas Romani Ex-Diff'or Ann. 42. R. 23.

1683. 16. Apr. A. R. P. Petrus Seidetti ter Prov. Diff'or, et Ex-Minist. Prov. Ann. Rel. 53.
- 5. Maji M. V. P. Mathias Bassin Con'or G'lis Ann. Rel. 48.
1689. 10. Maji Rel. Fr' Bernardinus Gabria laic. Ann. Rel. 49.
1691. 9. Mart. Rel. Fr' Pompejus Toko laic. Ann. Rel. 8.
- 21. Sept. Rel. Fr' Mathias Chumar laic.
1692. 6. Nov. Rel. Fr' Philippus Mlinar laic. ex Quiska Ann. 55. Rel. 30.
1699. 19. Dec. A. R. P. Casparus Beltram olim Pro-Secret. Gn'lis, ac anno 1672. Prov. Messinensis Commiss. Visit. Gn'lis, ac hujus Minist. Provinc. Ann. Rel. 48.
1704. 22. Martii. A. V. P. Bonifacius Pullin Con'or, Ex-Diff'or Ann. Rel. 54.
- 6. Nov. V. P. Polycarpus Slapar Ann. 47. Rel. 20.
1705. 8. Jan. A. V. P. Philippus Columbichius Con'or, lect. Gener. bis Ex-Diff'or Ann. 54. Rel. 36.
- 27. Aug. V. P. Raphael Sheriou Ann. 26. Rel. 6.
1706. 31. Aug. A. V. P. Hilarion Gorzar Con'or, Prov. Secret. et Ex-Diff'or Ann. Rel. 72.
1708. 28. Dec. Rel. Fr' Carolus Molar laic. Ann. Rel. 35.
1710. 17. Nov. M. V. P. Rudolphus Coronini Ann. Rel. 59.
1711. 19. Julii R. P. Sigismundus Sigonius Con'or, lector Jubilat. Ex-Custos, visitavit Provinciam Bohemiae S. Wenceslai D. et M. anno 1693. Ann. 67. Rel. 50.
1712. 30. Mart. V. P. Martinus Casparin Ann. 31. Rel. 12.
1713. 6. April. V. P. Lazarus Gruden Ann. 33. Rel. 13.
1715. 22. Maji M. V. P. Malachias Persoglia, fuit Vic. et Guard. Ann. 42. Rel. 25.
1717. 13. Nov. V. P. Bartholomaeus Beucig Gorit. Ann. Rel. 7.
1720. 2. Sept. Rel. Fr' Gabriel Prugger laic. Tyrol. Hortul. Ann. Rel. 19.
1721. 29. Julii Rel. Fr' Christophorus Grudin laic. ex Bersina Ann. Rel. 37.
- 16. Octob. Rel. Fr' Gabriel Straucher laic. Ann. Rel. 43.
- 13. Nov. Rel. Fr' Lucas Pizol laic. Ann. Rel. 15.
1723. 6. Jul. Rel. Fr' Gregorius Princig laic. Ann. Rel. 20.
1724. 2. Feb. M. V. P. Fridericus Codelli Vippacens. saepius Vic. et Guard. Ann. 80. Rel. 60.
1725. 20. Mart. A. V. P. Zacharias Battich Con'or, ex Sampass, quater Provinciae Diff'or Ann. 79. Rel. 60.
1727. 29. Dec. A. V. P. Antonius Fanton Salcan. Con'or, Ex-Diff'or Ann. 71. Rel. 54.
1728. 11. Febr. M. V. P. Archangelus Schittenberger Con'or, fuit Secret. Prov. Mag. Nov. Guard. et act. Vic. Ann. Rel. 41.
- 31. Dec. M. V. P. Paulus Mussig Gorit. Conc. egregius fuit Guard. Ann. Rel. 23.
1729. 8. Feb. Rel. Fr' Gratianus Vehoviz cler. Phl'iae studens Ann. 22. Rel. 2.
1730. 27. Apr. Rel. Fr' Nicolaus Sepp Tyrol. laic. Ann. 44. Rel. 21.

1733. 31. Martii A. R. P. Romualdus Sitter ex Roncina Comit. Gorit. Con'or, lect. Emerit. Ex-Diff'or, bis Custos, ac Ex-Minister Provincialis, moderni Conventus restaurator et ampliator Ann. 70. Rel. 49.
- 15. Octob. Rel. Fr' David Egger Suev. Chyrurg. laic. Ann. 33. Rel. 11.
1734. 4. Martii V. P. Antonius Schagnetti Gorit. Ann. 31. Rel. 11.
- 13. Nov. V. P. Carolus Scalletari Ann. Rel. 24.
1735. 9. Sept. A. V. P. Petrus Stibelli Gorit. Con'or, lect. Gn'lis, bis Ex-Diff'or Ann. 78. Rel. 58.
1737. 10. Jan. Rel. Fr' Antonius Moller Tert.
1738. 7. Jan. M. V. P. Joachimus de Gratia saepius Guard. Ann. 77. Rel. 59.
1741. 27. Nov. Rel. Fr' Balthasar Brancovich laic. Ann. Rel. 49.
1744. 18. Jun. Rel. Fr' Maximinus Jessenko Carn. Clericus Phl'iae studens, Juvenis exemplaris vitae, et optimaе spei, fulmine tactus Ann. 19. Rel. 2.
1747. 25. Feb. Rel. Fr' Lucius Magoi cler. Phl'iae studens Ann. 28. Rel. 4.
1750. 13. Mart. M. V. P. Cherubinus Standler Con'or, et Secret. Prov. ann. 42. Rel. 25.
- 27. Dec. Rel. Fr' Valentinus Srebernig laic. Ann. 40. Rel. 17.
1751. 18. Mart. M. V. P. Franciscus Suppanzhizh Gradiscanus Conc. exim. Ann. 63. Rel. 47.
- 6. April. M. V. P. Petrus Pagliaruzzi Venet. Ann. 68. Rel. 50.
- 10. April. V. P. Emanuel Repeti Canal. Ann. 29. Rel. 10.
1753. 8. Nov. Rel. Fr' Franciscus Jager Tert. Ann. 53. Rel. 8.
1754. 15. Mart. A. R. P. Casparus Pasconi Con'or, lect. Emer., Ex-Diff'or, bis Custos, et Ex-Minister Provincialis visitavit anno 1735. Provinciam Bavariae S. Antonii Annor. 67. Rel. 48.
1755. 22. Jul. M. V. P. Joannes Baptista Deperis Belgianens. Ann. 73. Rel. 53.
1761. 18. Mart. Rel. Fr' Leonardus Koppatsch Tert. Ann. 42. Rel. 15.
1762. 9. Nov. Rel. Fr' Martinus Nagode laic. Ann. 75. Rel. 49.
1764. 9. Jun. Rel. Fr' Petrus Marinich ex Collibus laic. Ann. 68. Rel. 45.
1765. 29. Jun. M. V. P. Bonagratia Gollob Gorit. saepius Guard. Ann. 71. Rel. 51.
1766. 15. Jan. M. V. P. Corbinianus Perz Con'or egreg. lect. Gn'lis, et Guard. act. Labac. ann. 47. Rel. 30.
- 4. Jun. Rel. Fr' Christophorus Gomischag laic. Ann. 78. Rel. 55.
1767. 17. Oct. M. V. P. Silverius Vidig Canal. saepius Guard. Vic., et Mag. Ann. 84. Rel. 64.
- 30. Octob. Rel. Fr' Martius Pals Bav. Chyr. laic. Ann. 52. Rel. 29.
1768. 9. April. VP. Ildephonsus Karner Con'or ordin. Ann. 51. Rel. 33.
- 28. April. V. P. Palmatius Smodin Carn. Lab. Ann. 39. Rel. [†].⁴⁴⁹

- 20. Maji M. V. P. Benvenutus Brainig Mission. Apost. Ann. 73. Rel. 57.
 1769. 23. Mart. V. P. Raymundus Coronini Com. Gorit. Jubil. Ann. 70. Rel. 51.
 16. Oct. Rel. Fr' Clemens Raissinger Bav. Arcul. laic. Ann. 47. Rel. 22.
 1771. 9. Nov. V. P. Arnoldus Musina Ann. 26. Rel. 8.
 1773. 21. Jul. Rel. Fr' Dionysius Koberwein Saxo laic. Chyr. Ann. 40. Rel. 6.
 1774. 18. Jun. M. V. P. Felix Rosencranz Labac. Con'or, saepius Guard. Vic. et
 Mag. Ann. 62. Rel. 46.
 1775. 24. Jan. Rel. Fr' Guilielmus Cavallar Carinth. Chyr. Ann. 41. Rel. 21.
 17. Dec. V. P. Gabriel Pachor Conc. Ann. 61. Rel. 38.
 1776. 7. Jan. Rel. Fr' Floribertus Hoffer laic. Ann. 50. Rel. 26.
 1777. 5. Nov. V. P. Valentinus Schagnetti Praesid. Salcan. Ann. 58. Rel. 39.
 1778. 15. Jan. A. V. P. Benignus Gerini Forojul. Con'or, lect. Gn'lis, saep. Guard.
 et bis Ex-Diff'or Ann. 81. Rel. 62.
 1779. 18. Aug. Rel. Fr' Alipius Previdal Canal. Cleric. Jubil. ann. 77. Rel. 59.
 1781.⁴⁵⁰ 29. Oct. VP. Hermannus Jank Conor, Senior Prov. Professus Sacerd. Jub.
 Carn. Tolm. ann. 80. Rel. 62.
 1784. 19. Jan. VP. Justinus Gobbi Goritiensis an. 67. Rel. 50.
 1784. 25. Dec. VP. Xystus Zannutti Gorit. ann. 73. Rel. 50.

Caput XIII.
Elenchus Patrum Guardianorum, quorum
notitia haberi potuit, hujus Montis Sancti
Conventûs.

- M.V.P. Marianus de Bosnia 1569. 1570. 1571. 1572. 1573. 1574. 1578.
M.V.P. Joannes Panthaleon Salomich 1589.
M.V.P. Nicolaus Sercogius 1590.
A.R.P. Bernardinus Luposinich Prov'iae Pater 1591.
M.V.P. Nicolaus Sercogius 1595.
M.V.P. Joannes Baronius de Salerno 1602. 1603.
M.V.P. Mathias Vidoss Praesid. 1604.
M.V.P. Bonaventura Sbona 1605. 1606. 1608. 1610.
M.V.P. Seraphinus Rodar 1613. 1614. 1615.
A.R.P. Bonaventura Sbona Ex-Minist. Prov. 1617. 1618. 1619. 1620. 1621. 1622,
Nb. 1623. 1624. 1625. ut Praesidens, quia erat act. Minist. Provinc.
MVP. Georgius Ugollinus 1626. 2. Maji.
A.R.P. Bonaventura Sbona 1627. 1628.
M.V.P. Georgius Ugollinus 1629.
A.R.P. Bonaventura Sbona Prov. Pat. 1630. 1631. 1632.
A.R.P. Franciscus Glavinich Prov. Pat. et Conc. Apost. 1636. 1637. 1638.
A.R.P. Bonaventura Sbona Prov. Pat. 1639. 1640.
A.R.P. Franciscus Glavinich Prov. Pat. 1640. 9. Jul.
A.V.P. Franciscus Cenda Ex-Diff'or 1641. 1642.
A.R.P. Leo Magliavaz Ex-Diff'or, Ex-Custos, et Prov. Pat. 1643. 1644. 1645. 1646.
A.R.P. Candidus Barbaritius â Pisino Ex-Diff'or, et immediatus Ex-Minist. 1647.
1648. 1649.
A.V.P. Michael Noyse Ex-Diff'or 1650.
A.V.P. Petrus Seidetti iterato Diff'or act. 1651. 1652.
A.R.P. Sigismundus Beltram Ex-Diff'or, Ex-Custos, et immediatus Ex-Minist.
1653. 1654. 1655.
A.V.P. Hilarion Gorzar Ex-Diff'or 1655.
A.R.P. Petrus Seidetti bis Ex-Diff'or, et immed. Ex-Min. Prov. 1656. 1657.
A.V.P. Dominicus Pizzulini Ex-Diff'or 1658.
A.V.P. Joannes Maria Travanus â Goritia Ex-Diff'or 1658.
A.V.P. Hilarion Gorzar Ex-Diff'or 1659. 1660.
A.R.P. Petrus Seidetti lect. gener. Ex-Diff'or, Prov. Pat. 1661. 1662. 1663.

A.V.P. Hilarion Gorzar Ex-Diff'or 1664. 1665.⁴⁵¹
 A.R.P. Petrus Seidetti Con'or, lect. Gn'lis, Prov. Pat. 1666.
 M.V.P. Bartholomaeus Zulliani Con'or, lect. 1667.
 M.V.P. Mathias Bassin 1668. 1669.
 A.R.P. Petrus Seidetti Con'or, lect. gener. Prov. Pat. 1670. 1671.
 R.P. Casparus Beltram lect. Con'or gener. Pro-Secret. Ord. 1672.
 M.V.P. Andreas Romani Con'or 1673.
 M.V.P. Zacharias Battich Con'or 1674.
 M.V.P. Andreas Romani Con'or 1675. 1676. 1677.
 M.V.P. Angelus de Gratia 1678.
 A.V.P. Andreas Romani Con'or, Diff'or act. 1679. 1680.⁴⁵²
 M.V.P. Bonifacius Pullin, Con'or 1681. 1682. 1683.
 M.V.P. Vincentius Lampretich Con'or 1684. 1685. 1686.
 M.V.P. Zacharias Battich Con'or 1687.
 A.R.P. Casparus Beltram lect. Con'or G'lis, Prov. Pat. 1688.
 M.V.P. Vincentius Lampretich Con'or 1689. 1690.
 A.V.P. Zacharias Battich Con'or, Ex-Diff'or 1691. 1692. 1693.
 A.V.P. Philippus Columbichius Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or el. 26. Nov. 1693.
 1694. 1695.
 M.V.P. Felix Chiarpei 1696.
 M.V.P. Fridericus Codelli 1697.
 R.P. Sigismundus Sigonius lect. Jubilat. Ex-Cust. 1698. 1699. 1700.⁴⁵³
 A.V.P. Philippus Columbichius Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or 1701. 1702. 1703.
 A.V.P. Zacharias Battich Con'or, ter Ex-Diff'or 1704.
 M.V.P. Marcus Cragui 1705. 1706.
 R.P. Romualdus Sitter Con'or, lect. Emer. Ex-Diff'or 1707.
 A.V.P. Zacharias Battich Con'or, quater Ex-Diff'or 1708.
 M.V.P. Marcus Cragui 1709. 1710.
 M.V.P. Cyrillus Faganelli Con'or 1711.
 M.V.P. Vitalis Weinman Con'or 1712.
 M.V.P. Alexander Bresciak Con'or 1713.
 A.R.P. Romualdus Sitter Con'or, lect. Emer. Prov. Pat. 1714. 1715. 1716.⁴⁵⁴
 A.V.P. Petrus Stibelli Con'or, lect. Theol. Ex-Diff'or 1717. 1718.
 A. R.P. Romualdus Sitter Con'or, lect. Emer. Prov. Pat. 1719. 1720. 1721.
 M.V.P. Alexander Bresciak Con'or 1722. 1723. 1724.
 M.V.P. Franciscus Suppantschitsch Con'or 1725. 1726. 1727.
 M.V.P. Bonagratia Gollob 1728.
 M.V.P. Silverius Vidig 1729.
 M.V.P. Basilius Battauz Con'or lect. gener. 1730.
 M.V.P. Albertus Cerne Con'or lect. 1731.

738a

- R.P. Casparus Pasconi Con'or, lect. Emer. Ex-Diff'or 1732. 1733. 1734.
M.V.P. Benignus Gerini Con'or, lect. gener. 1735.⁴⁵⁵
M.V.P. Bonagratia Gollob 1736. 1737. 1738.
M.V.P. Alexander Bresciak Con'or 1739. 1740.
A.R.P. Casparus Pasconi Con'or, lect. Emer. Prov. Pat. 1741. 1742.
A.V.P. Albertus Cerne Con'or, lect. Gn'lis, Ex-Diff'or 1743.
A.R.P. Casparus Pasconi Con'or, lect. Emer. Prov. Pat. 1744.
M.V.P. Petrus Moysè Con'or, lect. gener. 1745. 1746. 1747.
A.R.P. Casparus Pasconi Con'or, lect. Em. Prov. Pat. 1748. 1749.
M.V.P. Polycarpus Marchioli, Con'or 1750.
A.V.P. Benignus Gerini Con'or lect. gener. Ex-Diff'or 1750.
A.R.P. Casparus Pasconi Con'or lect. Em. Prov. Pat. 1751.⁴⁵⁶
M.V.P. Amadaeus Praepeluch Con'or 1752. 1753. 1754.
M.V.P. Chrysostomus Pogatschnig Con'or 1755. 1756. 1757.
M.V.P. Theodoricus Paganetto Con'or, lect. gen. 1758. 1759. 1760.
M.V.P. Amadaeus Praepeluch Con'or 1761. 1762.
M.V.P. Constantinus Lakovich Con'or 1763.
MVP. Corbinianus Perz Con'or, lect. gener. 1764. 1765. usque ad 15. Jan. 1766.
quò die obiit.
M.V.P. Norbertus Paccassi Con'or, lect. Gener. 1766. 1767.
M.V.P. Daniel Arzon 1768.
M.V.P. Philippus Pettenegg Con'or lect. Gener. 1769.
M.V.P. Rogatianus Mladenich Con'or, lect. gener. 1770.⁴⁵⁷
M.V.P. Jacobus Wocalitsch Con'or 1771.
M.V.P. Nemesianus Markovig Con'or, lect. gen. 1772. 1773. 1774.
M.V.P. Carolus Novak Con'or, lect. gener. 1775. 1776. 1777.
M.V.P. Colmanus Mulei Con'or, lect. Theol. 1778. 1779. 1780.
MVP. Victor Brattusch Con'or, lect. Gn'lis 1781. 1782.
MVP. Nemesianus Markovig Con'or, lect. Gn'lis 1783.⁴⁵⁸
RP. Deodatus Kamenscheg Con'or, lect. Em. 1784. 1785. 1786.
ARP⁴⁵⁹ Martinus Reppeti Ex-Diff'or 1787. 1788. 1789. 1790. 1791.
ARP. Nemesianus Markovig Con'or, Lector Gn'lis, Ex-Diff'or 1792. 1793. 1794.
1795.
M.V.P. Ildephonsus Hafner Con'r 1796. 1797. 1798. 1799. 1800. 1801. 1802.
M.V.P. Magnus Pober 1803. 1804. 1805. 1806.
A.R.P. Deodatus Kamnscheg Lect. gen. Dftor 1807. 1808. 1809.
M.V.P. Ruffinus Czohar Con'r 1810. 1811. 1812. 1813. 1814. 1815. 1816.

Hi⁴⁶⁰ P. P. Guardiani ab anno 1787–1811. erant Goritiae in Conventu Minoritarum
et anno 1811. Castagnavizzam jam transpositi sunt. Primus Guardianus fuit
M.R.P. Rufinus Czohar
A. 1817 eligebatur M.R.P. Michaël Ellercig 1817. 1818. 1819. 1820. 1821. 1822.
1823.

- A. 1823 A.R.P. Chrysostomus Fogh, Ex-Df'tor, Lect. 1824. 1825. 1826. usque ad Capitulum.
- A. 1826. M.R.P. Ferdinandus Vontscha Theol. Lector 1827. 1828. 1829. usque ad Capitulum.
- A. 1829. A.R.P. Chrysostomus Fogh Ex-Df'tor Lector, 1830. 1831. 1832. usque ad Capitulum.

Sigillum

Conventus Montis Sancti praesefert figuram Coronatae Virginis Mariae in ulnis tenentis Jesulum, ex una parte habet Sanctum Joachimum, et ex altera S. Joannem Baptistam, infra effigiem sunt hae litterae *S. C. M. S.* id est: *Sigillum Conventus Montis Sancti*. Nb: anno 1786. erant Fratres ex hoc Conventu translati Goritiam ad Conventum PP. Minoritarum, qui per alios Con'tus distributi erant, nos simul et Hosp. Salcan. amisimus.⁴⁶¹

22. Apr. 1779.

738b

**Continuatur⁴⁶² series P. P. Guardianorum
Conventus Castagnavizzensis.**

- Anno 1832. M.R.P. Michaël Ellersig 1833. 1834. 1835. 1836. 1837 & 1838 usque ad Capitulum.
- Anno 1838. M.R.P. Salesius Volčič, Lect. Philos. 1839. 1840. 1841. 1842. 1843. 1844. 1845. 1846. 1847. usque ad C.
- Anno 1847. M.R.P. Bartholomaeus Večerina, Lect. Theol. 1848. 1849. 1850. usque ad Capitulum.
- Anno 1850. M.R.P. Clarus Vascotti, Lector Theologiae 1851. 1852. 1853. usque ad Cap. & Def'tor electus.
- Anno 1853. M.V.P. Bartholomaeus Večerina, qui supra, 1854. 1855. 1856. 1857. 1858. 1859. usque ad C.
- Anno 1859. M.R.P. Eustachius Ozimk, Lect. Phil. 1860. 1861. 1862. 1863. 1864. 1865. usque ad Cap. & Def'tor electus.
- Anno 1865. M.R.P. Fridericus Hönigmann, Lect. Philos. 1866. 1867. 1868. usque ad Cap. & Df'tor electus.
- Anno 1868. M.R.P. Pacificus Tister 1869 usque ad Congreg.
- Anno 1869. M.R.P. Bonaventura Sell, Lect. Theologiae 1870. 1871. usque ad Capitulum.
1871. A.R.P. Eustachius Ozimk, Ex-Minister Prov. 1872. 1873. 1874. 1875. 1876. 1877. 1878. 1879.

IV. CONVENTUS

Ad

Sanctum Leonardum Confessorem

Neostadii

Seu

Rudolphswerti

In Carniolia inferiori

Caput I.

De Civitate Rudolphswertensi.

I. Rudolphswertum, Rudolphiwerta, seu Neostadium dicta â germanis *Rudolphswert*, et *Neustädte*, â Carniolis *Novomesto* appellata Civitas est inferioris Carnioliae in leni assurgens clivo ad Gurcam fluvium, in temporalibus Domui Austriacae paret, in Spiritualibus olim erat Dioecesis Aquilejensis, nunc verò Archi-Dioecesis Goritiensis, Labaco orientem versus 8. distat milliaribus. Civitatem hanc fuisse jam exstructam tempore Decii Imperatoris (qui [A. p.]⁴⁶³ C. 249. regnare coepit) desumitur *ex Megisero, qui lib. 3. c. 61.* citans *alios Authores* asserit, quod Cniva Rex Gothorum collecto ad pontum Euxinum, in Valachia et Transilvania copioso milite hanc urbem obsederit, licet non expugnaverit, ait enim loc. cit.: Eben zu der zeit plazte über die Donau in das Römische Reich Chiniva der Gothen König mit andern Teutschen, die um die Donau lagen, und belagerte unter der Sau eine Reichsstadt, hiess die Neüstadt, liegt in Crain gegen Medling hinab, alda etwan, wie Ägippius zeigt, König Dietrich von Bern (nach der zeit nemblich) Hof gehalten hat, kunts aber nicht gewinnen, dan diese stadt war fleissig beschirmt von Gallo Treboniano des Kaysers Decii Obristen, so darnach Landhaubtman in Norico worden. Hucusque *Megiserus*.

II. Hanc Civitatem (quae olim usque ad arcem Hopfenbach protensa fuisse dicitur, ut ait *Valvasorius ex monumentis ejusdem Civitatis*) circa A. C. 451. Attila Hunnorum Rex, flagellum Dei dictus solo aequavit, quae dein nunquam pristinum splendorem induit, hanc tandem A. C. 1365. Rudolphus IV. Arhidux Austriae, non Rudolphus I. aut II. Imperator, prout aliqui perperam asserunt, noviter reaedificari curavit, et â suo nomine *Rudolphswertum* appellari voluit, quae etiam ab aliis ob sui integram restaurationem *Nova Civitas*, seu *Neostadium* nuncupabatur, quod nomen adhuc hodie in usu est. Idem *Rudolphus* huic Civitati magna privilegia elargitus est, ut videre est *in suis litteris privilegialibus datis Vieniae die lunae post Dominicam Palmarum Anno 1365*. Haec Civitas ante aedificatum Carlostadium multum floruit, quia hic conservabatur annona pro militibus confiniariis, multi Officiales

hic habitabant, aliaeque merces ad Croatiam, et Sclavoniam deportandae deponerentur, quibus omnibus pro nunc Civitas carere debet.

III. In Civitate in loco nonnihilo eminentiori est collocata Ecclesia Collegiata S. Nicolao Episcopo sacra. Fuit olim subdita, curata tamen Parochiae S. Canciani in Hönigstein, dein anno 1494. per Alexandrum VI. Pont. Max. erecta in Collegiatam ad instantiam Friderici tertii Imperatoris, Dos subinde specificata per Maximilianum Filium ejus anno 1509. qui pro fundatore habetur; is etenim fundavit, et erexit tredecim Canonicatus, quorum unus est Praepositus infulatus, prima, alius Decanus, secunda dignitas, cum undecim Canonicis, licet nunc pauciores sint, quibus erat usque ad moderna tempora III^{mi} et R^{mi} Domini Martini Jabacin Praepositi Rudolphswertensis, bursa, mensa, et habitatio communis, cum vero anno 1774. defuncto Archiepiscopo Goritiensi Carolo Michaelo ê Comitibus ab Attems S. R. I. Principi, et Praeposito Rudolphswertensi, in Praepositura successisset D. Martinus Jabacin, effecit, ut singulis Canonicis certa tribuatur summa pecuniaria f. videlicet 300. pro victu, et aliis necessariis relictis sola libertate habitandi in domo Capitulari; singulis quippe Canonicis assignatum est unum cubiculum Privilegium Infulae, et Pedit pro se, et suis successoribus procuravit â Sede Apostolica Germanicus S. R. I. Comes â Turre et Vallis-Saxina, qui anno 1666. hic loci Praepositus factus fuit.

IV. Ecclesia Collegiata praeter Altare majus Divo Nicolao Episcopo Myrensi sacrum, et aliud marmoreum in inferiori Ecclesia sub choro situm, numerat et alia sex Altaria seu Capellas, et quidem Ara prima honoribus Beatissimae Virginis Mariae in Coelos Assumptae in Capella Confraternitatis Sacratissimi Rosarii, ad quam anno 1660. Michael Jeschaver fundavit beneficium, sita est ex parte Epistolae, altera Ara erecta est sub titulo S. Barbarae Virginis, et Martyris, ad quam anno 1675. Mathias Castelliz Canonicus Rudolphswertensis unum fundavit beneficium. 3^{ta} Ara est dedicata in honorem S. Jacobi Apostoli: 4^{ta} est Confraternitatis Sanctissimi Corporis Christi ex parte Evangelii: 5^{ta} est sub titulo Sanctorum quatuordecim Auxiliatorum, ad quam D. Jacobus Strauss anno 1522. fundavit unum beneficium. 6^{ta} tandem Ara consecrata est in honorem S. Annae Matris Sanctissimae Dei Genitricis Mariae.

V. Haec Collegiata Rudolphswertensis habet intra muros Civitatis filiales Ecclesias quatuor, inter quas 1^{ma} S. Antonii Abbatis est antiquissima: ad cornu Evangelii in medio extra Ecclesiam habet Capellam S. Floriani Martyris, in qua fundatum est beneficium â Reverendo D'no Joanne â Walneg, Parocho in Superiori Nassenfues, et praeter hanc Capellam, et Altare majus, sunt adhuc alia duo altaria collateralia, ad cornu Evangelii est Altare S. Joannis Baptistae, ad Cornu Epi-

stolae S. Valentini Martyris. Secunda Ecclesia filialis est S. Catharinae Virginis, et Martyris post incendium anno 1664. bene reaedificata cum tribus Altaribus, majus est S. Catharinae, ad cornu Evangelii S. Mariae Magdalenae, et ad cornu Epistolae S. Luciae Virginis, et Martyris. Tertia Ecclesia filialis est S. Georgii Martyris, cum tribus Altaribus; majus est S. Georgii Martyris: ad cornu Evangelii B. Mariae Virginis, ad cornu Epistolae Ss. Fabiani, et Sebastiani Martyrum. Quarta tandem Ecclesia filialis est S. Martini Episcopi penes hospitale, in quo honeste aluntur duodecim pauperes ex redditibus ad hospitale fundatis. Ad hoc Altare duo Domini Tisleri, Canonici fundarunt beneficium anno 1678.

VI. In hac Civitate sunt etiam duo Monasteria virorum utrumque Ordinis S. Francisci Seraphici, unum nempe P. P. Franciscanorum (de quo uberior sermo redibit), aliud Reverendorum Patrum **Capuccinorum**,⁴⁶⁴ quod anno 1660. aedificari coeptum fuit et primò circa annum 1672. completum; quia hoc anno Consecratio Ecclesiae peracta fuit per Illustrissimum, et Reverendissimum D. D. Joannem Smoglianovich Episcopum Segniensem, ut **ex sequenti in choro reperibili inscriptione** patet: *Anno 1672 die 4. Septembris haec Ecclesia ab Illustrissimo Johanne Scnoglyanovich (lege Smoglianovich) Episcopo Segniensi, et Modrusensi ad honorem S. Josephi consecrata est, annua autem dedicatio proxima Dominica ante Nativitatem B. V. M. celebratur.* Fundatum erat hic Cappucinorum Conventus in tantum, ut non haberent necessitatem eleemosynam ostiam quaerendi usque ad annum 1767. circiter, prout ipsusmet observavi. Quid causae intersit? Scrutator causae ad me non pertinentis esse nolim. Fors refriguit charitas multorum.

VII. Saepius haec Civitas sinistris visitata fuit casibus, et obinde multum de pristino splendore amisit. Praeprimis Turcae Christiani Nominis inimici infensissimi eam saepius ad perdendam quaesierunt signanter annis Christi 1469. 1492. et 1547. Quamvis verò ipsam Civitatem nunquam expugnaverint, magna tamen damna vicinis pagis, et oppidis intulerunt ea comburendo, **de vasto [...]**,⁴⁶⁵ homines partim occidendo, nec pueris, nec feminis parcentes, partim ligatis in diram captivitatem abducendo. Non minus damnum saepius perpessa est ab elemento ignis; nam anno 1576. tota ferme conflagravit Civitas ante Bacchanalisticas ferias, in quibus solita gaudia, et tripudia in luctum, et lamentationem convertit. Anno 1583. ignivoma flamma residuum Civitatis, et quod ab ultimo incendio reparatum erat, in cineres redegit. Maxima verò strage affecta fuit anno 1664. ubi tota Civitas una cum nostro Conventu, caeterisque Ecclesiis in favillam abiit. Etiam annis 1578. et 1590. pestis totam ferme Civitatem habitatoribus spoliavit, ita ut platea gramen cresceret, quia non erat, qui tereret eam, non minus 1625. ad 400. homines mortis falce è vivis sublatis erant. Haec sunt strages, quas misericors Deus in futurum benigne avertere dignetur, et clades

quae Civitatem suo splendore privarunt, et ad hunc statum redegerunt.

Caput II. De introductione Fratrum Minorum ad Civitatem Neostadiensem, sive Rudolphswertensem.

§. I.

De occasione, et causa aedificationis Conventus Neostadii pro Fratribus Minoribus S. Francisci.

I. Ex diversis authenticis instrumentis clarè colligitur, ut magis patebit, quod D. D. Georgius, et Casparus fratres à Tschernembl, et Andreas Hochenwarter Capitaneus Metlicensis viri ab officiis bellicis, et politicis clari Conventum pro Fratribus Minoribus Provinciae Austriae penes Arcem Gradecium vulgò Gradez inferioris Carnioliae in Dioecesi Aquilejensi, nunc Goritiensi, et dominio Supremo Domus Austriae sitam, 12. milliaribus germ. Labaco, et uno milliari cum dimidio Metlinga elongatam, à flumine *Lahina* rigatam, in Insula in honorem B. V. Mariae statuerunt aedificare anno 1467. In quem finem etiam **consensum pontificium à Paulo II.** petierunt, et obtinuerunt **Anno 1466. ut ex ejusdem plumbea Bulla**, quae **in originali in Archivio Provinciae** adhuc hodie asservatur manifeste eruitur, quam brevitatis causa, et quia Conventus hic aliunde non amplius extat, huc transumendam non assumo.

II. Obtento Pontificio Consensu praelaudati Domini mox anno sequenti videlicet 1467. Conventus aedificationi initium dederunt, ut **ex litteris fundationalibus**, quae hujus sunt tenoris, patet:

In den Namben der heiligen ungetheilten dreyfaltigkeit, und Mariæ der hochgelobten Königin. Ich Jörg, und Caspar Gebrüeder von Tschernembl, Obrist-Schenken in Crain und an der March, und ich Andree Hochenwarter, die zeit haubtman der Graffschafft Metling, bekennen für Vnß und alle vnser Erben, und thuen kund, allermeniklich den der brieff fürkumbt, die in sehent, hörent, oder lesen, die jetzt seind, oder nach künfftig werdent, dass Wir auge sehen, betracht, und vor augen gehabt haben, das der Jammerthall dieser welt zergenklich ist, und das auch nichts gewissers ist, denn der todt, und nichts ungewissers, wen die zeit des todts, das auch alle zeitliche ding dieser zergengklichen welt zergehen, und ein jeder Mensch anders nit hat[†] wen als vieller guetter werkh durch wüirkung des heiligen Geists fürsendet, damit also mit dem zergenglichen Guet[†] eins rain herzen, und gethreüen willen Christlicher gaab magt gekaufft werden die Khron des ewigen lebens, und darum haben Wür mit wohl bedachten mueth, rechter gewissen[†] uns fürgenumben, und angefangen ein Closter bey Grez

in der herrschafft Metling S. Francisci Orden der Observanz nach laut unsers heiligen Vaters des Pabsts Bull darum außgangen, zu bauen, und zu stiften Gott dem Allmächtigen zu Lob, zu Ehren seiner lieben Muetter Maria der himmlischen Königin, dadurch daselb für uns, und unsern Vorfordern, und Nachkommende, auch aller andere Christen-Menschen, lebendige, und todte das unschuldige Lamb des Fronleichnambs unsers herrn Jesu Christi, Gott dem Vatter, der ihm selbst darin wollgefallend ist, täglich geopfert soll werden. Stifften, und ordnen auch das wesentlich in krafft des brieffs, und uns darzue zu geben verwilligt haben unser jeder vierhundert gueter gulden wollgewogener vngern, und dukhaten in solcher maaß, das wür nun hinfür unser jeder selbs, oder sein Erben Jährlich Zwanzig gulden einen jeden Procurator des benanten Closters zu dem bau, oder ander Nottdurfft des bemelten **hauß** Gottshauß allbeeg geben, und raichen sollen, und wollen, jez zu den nechst kommenden weinachten darzue anfahren, und dan hinfür Jährlich solch obgemelte gelt unser jeder, oder seine Erben allbeeg in Weinacht Feyrtagen die benante Zwanzig Gulden den benanten Procurator geben und darumb seyn quittung nemben biß so lang, das wür, oder unsere Erben genant Summ der 1200 gulden genzlich jeder seines theils außrichten, und bezallen. Wer aber das zwischen uns einer, oder mehr, oder unser Erben solch obgenante Summ gelts seines theils ehe außrichtet, und darum quittung nemb, alß oben gemelt ist, der wär solcher schuld dester ehe müssig, und ledig. Es soll auch ein jeder Procurator des benanten Closters solch gelt Jährlich unser ain, oder wen wür darzue ordnen, sein einnemen, und außgeben verraiten, und darumb zum [†]ministern unser aines Raitbrieff darum nemben. Damit also solch gelt Gott dem allmechtigen zu lob dem benanten **hauß** Gottshauß nuzlich angelegt wird, und darum sollen die brüeder in den benanten Closter für uns, und unsere Vorfordern, und Nachkommen zu ewigen zeiten täglich treülich Gott für uns bitten, und uns alß stüfter in ewiger gedachtnuß haben, und wür, und unsere Erben sollen auch alß Stüfter dem benanten Gottshauß getreüe hilff, und beystand thuen, und sie treülich beschirmen nach allen unsern Vermögen, Wan wür von Ihn darum angelangt werden, so des noth ist, treülich, und ungevährlich. Wers aber, das wür, oder unser Erben die obgenante Summ gelts von datum des brieffs inner zwanzig Jahren nechst aneinander künftig zu den fristen jährlich, alß oben gemelt ist, oder ehe nicht außrichteten, so soll, und mag der landsfürst in Crain, und in der Metling seiner gnaden haubtleüth, oder Verweser daselbst den benanten Procurator von unsern Guett um so viell richten, und wehren, und genzlich begniegig machen, treülich, und ungevährlich, wan er von Ihn darum angelangt werden, und das ist vnser bitt, gunst, und gueter willen. Vnd des zur

Vrkund geben wir diesen offenen brieff unsern bena[n]ten Jörgen, und Caspar gebrüdern von Tschernembl, und Andree Hochenwarter, aller drayer aigen anhangenden Insigl, und zur besserer sicherheit, und zeügnuß der sachen haben wir mit fleiss gebetten den Ehrwürdigen herrn, herrn Ægidi Abt bey unser Frauen brun bey Landstrasß, das er auch sein Insigl auf den brieff gehanget hat, Ihm, und allen seinen Nachkommen ohne schaden darunter Wür uns obgenanter Jörg, und Caspar gebrüder von Tschernembel, und Andree Hochenwarter für uns und unsere Erben verbinden, alles das wahr, und statt zu halten, und genzlich zu vollbringen, das in dem brieff geschrieben steht. Der geben ist nach Christi geburd Vierzehenhundert Jahr, darnach in den Siben, und Sechzigisten Jahr, am Freytag vor unser lieben Frauen tag der schidung.

III. Conventum hunc fuisse eodem anno inchoari coeptum, et Fratres ibidem habitasse eruitur **ex pluribus monumentis**, nam penes Gradez Arcem (cujus hodie possessor est Ill'mus D. Sigismundus L. B. à Guschitsch) adhuc hodie extat Ecclesia B. V. Mariae, dicta *Maria Kloster*, imo et ipsamet rudera existentis olim, et postea destructi Conventus, quae hodie etiamnum visuntur, clare demonstrant. Ast vix, aut ne vix quidem Conventus suam perfectionem attigit, jam vidit suum exitium; etenim post biennium anno scilicet 1469. Turcae vicinas regiones, urbes, oppida, et pagos igne, ferroque devastantes, etiam Conventum hunc solo aequarunt. Unde miseri Fratres mox ad initium hujus incolatus, suo domicilio privati existebant, quapropter fratres locum alium priore securiorem, et à Turcarum incursionibus magis semotum, videlicet in ipsa Civitate Rudolphswerthensi quaesierunt, et mox sequenti anno obtinuerunt de consensu Patriarchae Aquilejensis, Imperatoris Friderici III., et cum annuentia Cleri, et Civium, ut ex sequenti §. magis innotescet. Quare sit

§. II.

De reali Fratrum Minorum ad Civitatem Neostadiensem introductione.

I. Postquam igitur Fratres Minores destructo Conventu B. V. Mariae de insula pulsi nullam haberent domum ad inhabitandum praedictus Andreas Hochenwarter mox eodem anno 1469. supplicuit Imperatori Friderico III. quatenus is Fratribus Minoribus Ecclesiam S. Leonardi in Civitate Rudolphswerthensi donare dignaretur, supplici Andreae Hochenwarter deferre volens Imperator, mox suis litteris interpellavit pro effectiva traditione praedictae Ecclesiae Fratribus Minoribus Ill'mum, et R'mum D. D. Andream Episcopum Ferentinum in Patriarchatu, et Dioecesi Aquilejensi Vicarium Apostolicum, et Gubernatorem tam in Spiritualibus, quam in temporalibus. Andreas Episcopus auditis litteris, quas mandato loco suspiciebat, Friderici Imperatoris illico suum in praesenti negotio Commisarium, cui suas vices delegavit, con-

stituit R'mum, et amplissimum D. D. Aegidium Abbatem Ord. Cisterciensis Monasterii ad Fontes Marianos prope Landstrass, Imperator vero suum Commissarium designavit praedictum D. Andream Hochenwarter.

II. Convenientes itaque praelaudati Commissarii ad Civitatem Neostadiensem coram Notario publico tradiderunt Ecclesiam S. Leonardi die 7. Januarii hora 9. matutina anno 1470. in manus Fratris Antonii, qui eam nomine Provinciae in suam potestatem accepit, ut **ex sequenti authentico, et publico instrumento** clarius patet:

In Nomine Domini Amen.

Praesentis transumpti, seu publici instrumenti serie cunctis, ipsum intuentibus patent evidenter, quod anno ejusdem millesimo quadringentesimo septuagesimo, Indictione tertia, Pontificatus vero S. S. in Christo Patris, et Domini nostri Domini Pauli Divina providentia Pauli II. anno ejus sexto, ipsa die Solis, septima vero die mensis januarii, hora quasi nona ante Missarum Sollemnia in Nova Civitate, alias Rudolphswert Aquilejensis Dioecesis, in mei Notarii publici, testiumque infrascriptorum praesentia personaliter constitutus Nobilis, et strenuus miles Andreas Hochenwart Capitaneus Comitatus in Metlica assignavit per suum executorem Dominum Joannem Plebanum in balneo naturali alias cognomine Rosech, Bullam unam Ss^{mi} in Christo Patris, ac Domini, Domini Andreae Episcopi Ferentini in Patriarchatu, et Dioecesi Aquilejensi Vicarii, et Gubernatoris tam in Spiritualibus, quam temporalibus Generalis cum appendenti sigillo, in cordula rubea, et annotatus Dominus Liecht eam tradidit, in manus gratiosissimo Domino, Domino Aegidio Abbati Fontis Sanctae Mariae prope Landstrass, et ego infrascriptus Notarius eam Bullam, sive litteram praebentem totam fidem dignis personis tam Spiritualibus, quam Saecularibus, ante Fratres S. Leonardi legi, et eam diligenter palpavi, et inspexi, sanam, et integram, non vitiatam, non cancellatam, aut in aliqua sui parte suspectam, sed omni prorsus vitio carentem, cujus tenor hic insertus est, et de verbo ad verbum sequitur, et est talis:

Andreas Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Ferentinus, et pro Sanctissimo Domino nostro in Patriarchatu et Dioecesi Aquilejensi Vicarius, et gubernator in Spiritualibus, et temporalibus. Venerabili, ac Religioso viro Domino Abbati Monasterii Sanctae Mariae de fonte juxta Landstrass, Cisterciensis Ordinis amico, et Commissario nostro dilecto, ad cuncta exequenda per nos personaliter deputato, salutem, et sinceram in Domino charitatem. Quoniam ex litteris Serenissimi Domini Imperatoris nuper ad nos relatis accepimus, Monasterium B. Mariae de Insula prope Metlicam Aquilejensis Dioecesis, in qua nonnulli Fratres S. Francisci de Observantia gratum Deo reddebant in bonis

operibus famulatum, nunc per immanissimos Turcas nostri nominis inimicos incendio misere fuisset vastatum adeo, ut ad inhabitandum habile non existat, Fratresque ipsos propriis sedibus pulsos quamdam Capellam S. Leonardi Confessoris in Oppido Rudolphswert situatam in Oratorium suum de consensu nostro accipere mirum in modum cupere, ibique aliud ad immorandum Coenobium erigere, in quo liberius quieta mente Deo valeant deservire, super quo Invictissimus Caesar, et Illustris Dominus Andreas Consiliarius ejus, et Capitaneus Metlicensis, ut nostrum super tam Sancto opere fiendo assensum praebeamus, suis hortatus in litteris, et quia ipsorum cohortationes praeceptorum loco recipimus, cupiamusque eorum vota tamquam licita et honesta per omnia, quantum in Deo possumus, adimplere, attenta maxime eorum Fratrum integritate, morumque Sanctimonia, et mirabili quodam studio charitatis, quo genus humanum, iniquitatum pondere gravatum diu noctuque diversis precibus, et congruis demum exhortationibus è tenebris in lucem, et à morte in vitam, quae Christus est, eximere conantur. Cum verò ad praemissa exequenda ex locorum distantia, et negotiorum occurrentia personaliter interesse non possimus, Personae tuae de cujus fide, prudentia, integritate, et scientia, singularem in Domino fiduciam obtinemus, vices nostras tamquam bene merito duximus committendas. Quapropter tuae Personae praesentium tenore committimus, imponimus, et mandamus, ut si dicti Fratres aliud Monasterium assumendi, ubicumque voluerint, à Summo Romano Pontifice, licentiam in scriptis obtinuerint, quae in his suae dumtaxat, vel Fratrum interest, de consensu Cleri, et populi istius Oppidi Rudolphswert praefatae Aquilejensis Dioecesis hujusmodi Oratorii susceptio, et Monasterii fundatio admittatur, dummodo de proximi praejudicio non agatur, quia non est nostrae intentionis propter hoc alienis juribus praejudicium fieri, sed commune commodum procurari, et Authoritate nostra Capellam ipsius S. Leonardi in Oratorium assumendi, ibique Monasterium fundandi, erigendi, et cum Divina benedictione perficiendi, nec non et alia quaeque faciendi juxta eorum voluntatem, et requisitionem, favorabilem, et opportunum consensum praebeas, pariter et assensum. Attendas igitur diligenter commissionem hanc, pro cujus expeditione omnes vices nostras tibi libere delegamus, ita prudenter, et accurate assumere, ut etiam executus finis, commune commodum subsequatur, ex quo uno omnium ore possis merito commendari, et Nos in futuro saeculo immortale praemium consequi mereamur, ratum, et firmum perpetuo habituri, quidquid per tuam Personam praemissum, factum, gestum, et executum extiterit, ac si per Nos ipsos personaliter expediretur. In quorum omnium,

et singulorum fidem, et sincerum testimonium praemissorum praesentes fieri fecimus, et cum Pontificalis sigilli jussimus appensione muniri. Datum in Civitate Austriae in Palatio nostrae solitae Residentiae die ultima Octobris, Pontificatus vero sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini Pauli Divina providentia Papae secundi anno sexto.

Et per lectionem praesentis litterae, seu Bullae gratus Pater, ac Dominus, Dominus Abbas obedivit commissionibus, ac mandatis Reverendissimi in Christo Patris, et Domini Andreae Episcopi Ferentini praedictam Capellam S. Leonardi Fratribus S. Francisci de Observantia tradidit, investivit, intronizavit cum cantu solemni *Te Deum laudamus* secundum commissionem R'mi Praesulis absque alicujus praejudicio, imo consensus fuit totius Cleri, et omnium ibidem existentium, et principaliter ipsius Domini Andreae Radonaji Vicarii Parochialis, absque praejudicio plebis, et Cleri, imo et Civium ibidem commorantium, ut de caetero dicti Fratres possint de novo dictum locum construere, fundare, et erigere secundum libitum ipsorum, et cum Dei benedictione cultum Divinum perficere. Super hoc requisivit me infrascriptum Notarium Religiosus, et Deo devotus Frater Antonius, qui praedictam Capellam secundum mandatum sui Superioris, et Fratris dictum locum suscepit, quatenus sibi conficerem unum transumptum, seu publicum Instrumentum, et ob petitionem dicti Fratris praesens transumptum, seu publicum Instrumentum confeci, et conscripsi praesentibus ibidem Religioso viro Domino Hann Commendatore in Metlica, Domino Joanne Liechl Plebano in Rossech, Domino Georgio Capellano Corporis Christi in Rudolphswert, Domino Clemente ibidem Domino Martino de Metlica Presbyteris Aquilejensis Dioecesis. Acta sunt haec in Nova Civitate Rudolphswert, Anno, Indictione, Pontificatu, die, mensis, quibus supra. Et Ego Caspar Fabiani de Metlica Presbyter Aquilejensis Dioecesis Sacra Imperiali auctoritate Notarius, quia praemissis omnibus, et singulis, prout praemittitur, dum sic fierent, et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui, ideo praesens hoc publicum Instrumentum exinde confeci, et conscripsi, et in hanc publicam formam redegi, signo, et nomine solitis, et consuetis assignavi, in fidem, et testimonium omnium, et singulorum rogatus, et requisitus.«

Caspar de Metlica

III. Occasione praedicti Instrumenti quaedam dubia declaranda occurrunt: et praepimis, quia litterae Episcopi Ferentini annum expeditionis signatum non habeant, voluerunt aliqui eas fuisse expeditas ultima Octobris 1468. ast eas fuisse signatas anno 1469. clare desumitur ex eo, quod signatae sint et expeditae **anno sexto**⁴⁶⁶ Pontificatus Pauli II. qui an. 1464. pridie Kalend. Sept. id est 31. Augusti ad dignitatem Papalem assumptus fuit, cujus proinde Pontificatus sextus annus incoepit 31. Aug. anno 1469. ut calculanti patet. Praeterea errore non levi abripi eos, qui **Glavinichium, de orig. Prov. Bosn. Croat. pag. 25. et Valvasorium in Topog. Carn. part. 3. lib. 11. fol. 487.** sequentes reponunt initia Conventus Neosta-

diensis ad annum 1462. et quidem sub Sixto IV. pariter **ex praecitato Instrumento** colligitur; Quis namque dicet Patres Conventum erexisse ante obtentam Ecclesiam S. Leonardi? Praeterea Sixtus IV. non fuit anno 1462. Pontifex, sed electus erat anno 1471. unde quidem verum est, quod Conventus tempore illius Pontificatus aedificatus fuerit, ast falsum est, quod id anno 1462. contigerit. Praeter hunc errorem **P. Glavinich loc. cit.** alios duos commisisse convincitur, primo dicit, quod Civitas ab Imperatore Rudolpho I. reaedificata fuerit, quod tamen à Rudolpho IV. Archiduce factum fuit, ut priori Cap. ostendi. Secundo ait: quod Civitas post perpersum anno 1580. vel 1583. incendium renovata fuerit, et obinde Civitas Nova, seu Neostadium vocitata fuerit, quae tamen jam anno 1470. ut ex praetacto **Instrumento** desumitur, *Civitas Nova* dicta fuit, proinde dicendum, quod hoc nomen Civitas mox post renovationem, et reaedificationem à Rudolpho IV. factam sortita sit.

IV. Mox anno sequenti videlicet 1471. die 21. Februarii idem R'mus D. Andreas Episcopus Ferentinus, ac in Patriarchatu Aquilejensi Vicarius Generalis Fratribus Neostadiensibus praebuit licentiam praedicandi verbum Dei, fidelium confessiones audiendi, et eleemosynam petendi, ac oblata legata recipiendi, in ipsos vero perturbatores, et molestatores Fratrum in suis iuribus, et privilegiis excommunicationis sententiam tulit, et pro pluribus festis 40. dierum Indulgentias elargitus est, quae omnia videre est in ipsius desuper confectis litteris, quae hunc continent sonum:

Nos Andreas Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus
Ferentinus, pro Sanctissimo Domino nostro Papa in Patriarchatu, et Dioecesi Aquilejensi Gubernator,
et locumtenens in Spiritualibus, et temporalibus Generalis etc.

Venerabilibus Religiosis viris, Fratribus Coenobii
S. Leonardi Ord. S. Francisci de Observantia in Nova
Civitate, alias Rudolphswerth Provinciae Carnioliae (.a.)⁴⁶⁷ nobis in Christo dilectissimis salutem in Domino, et sinceræ dilectionis affectum.

Cum nostrae dilectionis fervor erga omnes Christifideles, in quibus aliud Religionis lumen, et odorem Sanctimoniae inesse cognoscimus, applicetur, ferventius tamen, ac specialius ad Ordinem Seraphici Francisci de Observantia, qui sui Patris vestigiis inhaeret, merito semper deditus fuit. Quenam enim extat Religio, quae talem, ac tantum habuerit Authorem, ut hic de qua agitur? Fuit namque Franciscus ille coelicus, et pauper Sacris, dum viveret, Christi stigmatibus mirabiliter in corpore insignitus, quod de nullo alio Sacra testatur pagina evenisse ommittimus praeterea plurimos sanctos viros hujus professionis, qui temporibus, et nostris incredibilia miracula in genus hominum Spiritu Sancto cooperante emisserunt. Praeterire etiam libet, quot, et quanta fides nostra salutis incrementa per hunc Ordinem recipiat: Sub silentio quoque transeat

quae, et quanta sit in eo charitas, bonitas, et rectitudo, ut nunquam diu, noctuque à Christi fidelium in iis, quae ad aeternae felicitatis gloriam promovendam requiruntur, pia exhortatione cessetur. Et quoniam per singula hujus professionis merita discurrere non valemus, ad ea, quae ad ipsius pertinent augmentum, redeamus. Quoniam paulo ante meminimus instante nobiscum Sacratissimo Caesare foundationi praedicti Monasterii Fratrum in Nova Civitate nostrum adhibuisse consensum, ut par erat, cupientes etiam jacta jam fundamenta solidiore Base firmitus erigere, ac levare, ne ventorum turbine, qui saepius contra bonitatem insufflare consuevit, contra justitiam destruantur: Ea propter ad pacem, commodum, quietem, augmentum, et praequillitatem perpetuam dictorum Fratrum, et Conventus, in quo speculum Sanctitatis enitet, benigno animo intendentes, praesentis indulti nostri tenore, quod perpetuis futuris temporibus valitum decernimus, auctoritate ordinaria metropolitana, qua fungimur in hac parte, à Sede Apostolica roborata, exacta animi scientia, et libera voluntate dictis Fratribus, et Conventui S. Leonardi Ordinis Minorum de Observantia in Nova Civitate tam praesentibus quam futuris de speciali dono gratiae concedimus, et facultatem omnimodam impartimur, quod ipsi Fratres, et Conventus sint perpetuo liberi, exempti, et absoluti, Missas legere, cantare, praedicare populo, confessiones paenitentium audire, sepulturas praebere iis, qui eas elegerint apud ipsos, Missasque votivas cantare, et legere, cum ad hoc per aliquem fuerint requisiti, et alia Divina celebrare officia juxta consuetudinem totius Ordinis Minorum de Observantia hactenus in ejusmodi observatam, cum eis placuerit, in Ecclesia tamen eorum dumtaxat. Item testamentorum legata à fidelibus cujuscunque generis, et qualitatis fuerint pro Fratrum necessitate, sive aedificio cum indigentia acceptare, et recipere secundum status eorum convenientiam absque Parochialium Sacerdotum impedimento, una cum aliis eleemosynis à quibusvis exhibendis eisdem, illasque petere, quaerere, et postulare, et singulis Parochianis Sacerdotibus pro debito obedientiae, et excommunicationis poena, quatenus debeant dictos Fratres, cum fuerint requisiti, pro dictis eleemosynis recipiendis in suis Parochialibus Ecclesiis populo eis in cura animarum commisso studiose commendare, et promovere pro viribus. Similiter Confraternitates pro fidelium devotione hactenus institutas, et institutendas in futurum in dicta eorum Ecclesia tenere confirmantes ex nunc eadem ordinaria auctoritate circa eandem Ecclesiam antiquas Confraternitates scilicet S. Petri Apostolorum Principis, et S. Leonardi, quae ibidem jam diu viguerunt, novamque Confraternitatem S. Leonardi cum veteri, vigore dictae nostrae Auctoritatis motu proprio unientes, ac decernentes imposterum ambas unum Collegii corpus efficere, et ita ab omnibus teneri, censi, et reputari. Indulgentes ulterius dictis Fratribus, et Conventui, quod semper unus ex eis, qui à Praelatis Ordinis fuerit deputatus, habeat auctoritatem paenitentes absolvendi à suis peccatis, criminibus, et delictis, etiam in casibus reservatis Patriarchali Sedi Aquilejensi, cujus nos curam nunc gerimus, homicidis, sicariis, carenariis, incendiariis, com-

mutationibus votorum, retentoribus male ablatorum, et aliis, pro quorum absolutione merito Sedes Apostolica consulenda, duntaxat exceptis, super quibus ipsius deputandi conscientiam oneramus, et illis, quos absolverit, paenitentiam pro modo culpae injungendi salutarem, quem sic, ut praemittitur, deputandum semper pro praesentato habere volumus, et mandamus. Volentes et dictos Fratres in dicto Monasterio existentes, nec à Plebano praefatae Novae Civitatis praesenti, et futuris, nec ab alio quovis cujuscunque status, gradus, conditionis, dignitatis, vel praeeminentiae fuerit, vel praetextu, et occasione, quia in ipso Coenobio non fuerint confirmati, quos ex nunc ibidem dicta autoritate meliori modo, quo possumus, confirmamus, impediri, molestari, aut quomodolibet inquietari. Praeterea de eodem dono gratiae dictis Fratribus tam praesentibus, quam futuris licentiam damus per totam Dioecesim fidelibus populis Divinum Verbum praedicandi, dummodo ad id idonei reperiantur, et habile, pro quorum omnium plena, et omnimoda observatione facilius habenda praesentis Indulti tenore, et continentia mandamus, ac praecipimus tam dicto Plebano (lege *Plebano*) et suis Successoribus, quam aliis Sacerdotibus, et personis, ad quas spectat, quatenus in futurum non audeant, vel praesumant pro aliquo praedictorum universitatem, Collegium, seu particulares personas excommunicare, inquietare, molestare, aut de Ecclesiis expellere, imo debeant eos ad bonum, et utile animarum, quantum cum Domino poterunt, excitare, inducere, ac promovere, nostrumque indultum, et concessionem hujusmodi in omnibus suis partibus, capitulis, et clausulis inviolabiliter observare, et ab aliis observari curare, pro poena excommunicationis latae sententiae, quam ex nunc pro tunc, et è contra ferimus in his scriptis, si extiterit contra factum, à qua postmodum nolumus aliquem (qui eam ausu temerario incurrerit) ab aliquo nobis inferiore absolvi posse, sed illam Patriarchali Sedi penitus reservamus. Ultimo volentes dictam Ecclesiam donis caelestibus praedolare, ut eo majori devotionis zelo plebs fidelium confluat ad eandem, quo majora aeternae salutis praemia ibidem se cognoverit recepturam, de Omnipotentis Dei misericordia, et B. B. Petri, et Pauli Apostolorum ejus, et omnium Sanctorum, et Sanctarum Caelestis curiae triumphantis precibus, meritis, et intercessione confisi, omnibus, et singulis utriusque sexus Christianis tamen paenitentibus, et confessis, qui dictam Ecclesiam S. Leonardi in omnibus festivitibus per anni circulum occurrentibus, quae à dicta Ecclesia celebrantur ex debito, et in die dedicationis ipsius devote visitaverint, seu manus quomodolibet porrexerint adjutrices: Item iis, qui in dictis fraternitatibus praesentibus, et futuris se adjunxerint collegas, vel depositioni alicujus Fratris dicti Ordinis, et dictarum confraternitatum interfuerint, aut aliis peractionibus per eos celebrandis intererint, dicendo tantum orationem Dominicam cum Requiem aeternam pro anima defuncti, qualibet vice, qua id fecerint, quadraginta dies de injunctis sibi paenitentiis relaxamus,

in quorum fidem, et testimonium praesentes fieri fecimus, et nostra Pontificalis sigilli appensione jussimus communiri. Datum Utini in Domibus Residentiae nostrae die 21. Februarii 1471. Indictione quarta, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Pauli Divina providentia Papae secundi anno septimo.

P. de **Sanctonimo**⁴⁶⁸ Cancel.
de mandato.

V. Ex **hoc instrumento** pro notitia Ecclesiae S. Leonardi, quae nunc est Conventus Fratrum Minorum Civitatis Rudolphswertensis plura deducuntur, et quidem 1^{mo} Quod Ecclesia fuerit mox ad initium suae erectionis dedicata in honorem S. Leonardi Confessoris. 2^{do} Quod in Ecclesia duae Confraternitates, antequam ea Fratribus Minoribus officienda traderetur, erecta praeextiterint: una sub invocatione Sancti Petri Apostolorum Principis, altera Sancti Leonardi, quarum hoc tempore nulla amplius memoria existit. 3^{io} desumitur ex hoc instrumento, quod Ecclesia S. Leonardi jam fuerit prius consecrata, quia praelaudatus D. Andreas Episcopus Ferentinus, et Dioecesis Aquilejensis Vicarius Generalis pro die anniversaria dedicationis quadraginta dierum Indulgentiam omnibus Christi fidelibus eandem praedicto die visitantibus largitus est. Quo vero anno praedicta Ecclesia aut consecrata, aut aedificata fuerit? nulla extant monumenta, quae id vel â longe insinuarent. 4^{to} Quia Confraternitates ordinariè non eriguntur, nisi adsint etiam altaria ejusdem Sancti, sub cujus invocatione instituuntur, conjecturaliter praesumendum est, in ea saltem duo altaria extructa fuisse, unum S. Leonardi, et aliud S. Petri Apostoli. Cujus verò magnitudinis fuerit? nihil certi determinare valeo, eam tamen spatium moderni Sacrii excessisse affirmare haud possum, ex eo, quia ea saepius Capella, imo et Oratorium in Scripturis publicis nominatur.

§. III.

De aedificatione Conventus et variis ejusdem ampliationibus ac restorationibus.

I. Postquam Ecclesia S. Leonardi curae Fratrum Minorum commissa fuisset, Fratres mox et Ecclesiam ampliare, et Conventum eidem adnectere coeperunt, quia vero spatium arctum nimis erat, hinc Ill^{ma} D^{na} Elisabetha de Tschernembl relicta vidua Domini Joannis Snopotschan Nobilis Croatae coemit 8. domos, et aliquos hortellos pro aedificandis Ecclesia, et Conventu A. 1472: obinde meritò pro fundatore hujus Conventus agnoscitur praelaudata Domina Elisabetha â Tschernembl. Quod vero praedicta Domina fideliter pretium pro dictis Domibus, et hortis exolverit, patet id ex litteris fassionalibus ipsius Magistratus, quae hujus sunt tenoris:

Wir Richter, und Rath der Stadt zu Rudolphswert bekenen, das wir Gott dem Allmächtigen, und der höchsten Jungfrauen seiner wertisten Mutter Mariæ, und dem H. Lienhard zu lob, auch nach den befehlen des Römischen Kaysers, und unsers allgernedigsten herrn, und mit rath,

und willen der ganzen gemeinde, williglich gern den grund, und Hoffmarkh zu den würdigen Gottshauß des Klosters bey S. Lienhard in der bemelten Vnser Stadt gelegenen Sanct Francisci ordens der Observanz geben, und unsere Mittburger, die mit namen darnach genant seyn, verkauffen haben lassen wissentlich mit den brieff. Item am erst hat verkaufft ein hauss der Kuschon fleischhaker, darnach die Zechleüt von Sanct Niclauß das andere: das dritte Nessa Zukna wittib des Jansche Schnei-der see.: das vierte der Vrban Supaditzh; das fünfte der Vrban Torber, das sechste der Andre Schneider, das Sibent der Achaci Schuster, das achte der Jury Sophiæ man, und der Marx bader ein garten mit ein gaden, und der Jury Soder ein gaden, und der Jansche Pangerz ein halben garten, und solche abgeschriebene Häuser, und grund mit aller zugehörung, seynd Ihnen von Vnß einem jedem in sonderheit schon bezahlt, und genzlich entricht worden von der Edle frau, frau Elisabeth ge-born von Tschernembl, und Jausche Snopotschan see&. wittib, und darauß sollen, und mögen nur die abgenante brüder gegenwärtig, künfftig mit denen abgenanten häusern, hoffsrechtschafften, auf den grund daselbst das bemelte Kloster mit garten, und anderer seiner zugehörung woruon machen, und thuen nach Inhalt des Orden Privilegii, gnaden, und freyheiten, ohne mänigliches widerstreben Irrung, und hindernuss. Alles treylich, und ungevährlich, und des zu Vr kund geben wir den benan-ten brüder diesen Offen brieff, unter unser Stadt aigenem anhangenden Insigill, darunter wir uns verbinden, alles das wahr statt zu halten, was oben in diesen brieff geschrieben steht. Der geben ist nach Christi unsers herrn geburd Tausend Vierhun-dert, und darnach in dem Zwey, und Siebenzigisten Jahr in Sanct Philipp, und Sanct Jacob der heiligen zwey botten tag.

II. Conventum Neostadiensem fuisse anno hoc 1472. ad eam perfectionem deductum, quod saltem tot Religiosi in eo habitare potuerint, quot necessarii sunt ad constituendum Conventum, patet ex eo, quod hoc anno jam positus Guardianus fuisse legatus P. Andreas de Nova Civitate. Tum, quia Ill'mus, et R'mus D. Andreas Episcopus Ferentinus, et in Dioecesi Aquilejensi Vicarius Generalis suas litteras anno praecedenti videlicet 1471. emandas, quas priori §. adduxi, direxerit, et in-scripserit: *Fratribus Coenobii S. Leonardi Ordinis S. Francisci de observantia in Nova Civitate, alias Rudolphswert*. Fuit autem forma primi Conventus ista, quae hodie visitur quadriangularis, nempe â choro directe usque ad fenestras,

per quas patet aspectus ad fluvium Gurck, alter ambitus erat â choro versus hodiernam domesticam Capellam, tertius erat â dicta Capella usque ad alias fenestras Gurcam versus, et quartus fuit medius inter cellas, quae sunt ad cisternam, et ad aquam complectebatur hic antiquus Conventus cellas 12. Culina tunc erat, ubi nunc est conservatorium Cellarii, et Refectorium, ubi nunc Sutoria. Porta ad Conventum fuit illa, quae nunc est sub turri, pro sacristia cubiculum primum â dicta porta serviebat. Aditus ex Conventu ad Ecclesiam fiebat per illam portam, quae est penes altare Sanctissimae Trinitatis.

III. Anno vero 1686. opera, et industria A. R. P. Antonii Lazari actualis Ministri Provincialis pars illa Conventus, quae est â scalis, per quas sub tectum itur, usque ad finem adjecta fuit antiquo quadriangulari Conventui, factum etiam fuit hoc tempore novum Refectorium cum hodierna Culina, prout denotat annus aerae vulgaris supra portam Refectorii positus videlicet 1689. Ex quo desumitur, quod aedificium hujus partis Conventus inchoatum fuerit anno. 1686. et completum primo anno 1689. Sub secundo Provincialatu ejusdem A. R. P. Antonii Lazari, Conventus gubernium tenente P. Vito Juriavitsch extracta erat altera pars â schola domestica inclusive usque ad plateam publicam, ubi nunc porta ad Conventum conspicitur: quod vero haec pars saltem quoad partes principales anno 1694. completa fuerit, denotat praedictus annus supra portam Conventus incisus. Finito hoc labore inchoatus fuit alius sub primo Provincialatu A. R. P. Bernardini Gregoritsch, qui immediatus successor A. R. P. Antonii Lazari fuit. Is enim aedificavit Sacristiam tam aestivalem, quam hyemalem, et supra eas Capellam domesticam, ac duo cubicula pro infirmis Fratribus. Cum vero praedictus Pater Bernardinus anno 1696. prima vice in Ministrum Provinciale electus fuerit Labaci die 26. Augusti, apparet hoc aedificium inchoatum fuisse anno 1696. vel saltem sequenti. Quamvis vero aedificium hoc anno 1696. vel sequenti inchoatum dignoscatur, tamen suam ultimam perfectionem primo obtinuit anno 1712. quoad laborem Arcularisticum, quem dirigebat quidam Fr' Elzarius laicus Ordinis Minorum, et hujus Provinciae Alumnus, ut in Protocollo Conventus videre est.

IV. Tandem ultimum complementum moderni Conventus caeteris successive aedificatis partibus adjectum fuit per erectionem Professorii, sive Clericatus cum Bibliotheca. Anno quippe 1722. opera saepius laudati A. R. P. Bernardini Gregoritsch dum secunda vice Ministeriatus munere perfungebatur, et sub Guardianatu P. Friderici Skerpin, hic tractus incoeptus fuit. Voluit praedictus Pater benefactorum eleemosynis emere domum, ac hortum proximum, sicque ducere murum plateam majorem versus in superiori ambitu volens aedificare Professorium, ad quas instituendas jam tunc Civitas anhelabat. Quia vero Civitas

aliter in venditionem domus consentire noluit, nisi â Conventu ordinaria contributio in perpetuum pendatur, Conventus vero huic oneri subiacere renuit. Aedificium hocce eo modo, quo hodie cernitur, erectum fuit. Sunt igitur in moderno Conventu 41. Religiosorum cellae absque conservatoriis in superiori ambitu sunt 34. in inferiori 6. et intra portas Conventus cubiculum Fratris Tertiarii, ordinariè verò in hoc Conventu, in quo studium Philosophicum collocatum est, morantur ad 31. Fratres.

V. Conventus isthic una cum Conventu Labacensi anno 1559. â Patribus Provinciae Austriae de Observantia traditus, et derelictus erat Provinciae Bosnae Croatiae ob easdem causas, quas *supra de Conventu Labacensi c. 3. §. 3. n. 1. 2. et 3. fol. 259. 260. et 261.* adduxi, quo proinde lectorem remitto. Postquam Conventus hic Provinciae nostrae consignatus fuerat, bina vice in cineres redactus fuit, prima vice anno 1580. ut memorant *quaedam fragmenta â P. Bernardino Gregoritsch posteritati pro notitia relictâ*, vel verò anno 1583. ut notat *Valvasorius in topogr. Carn. lib. 11/II.. fol. 488.* Secunda vice verò anno 1664. et hoc anno maxima strages Civitati allata fuit, quia integra praeter Capitulum, et aliquas paneas circumjacentes domunculas ignis impetu quasi in nihilum redacta fuit. Deus eam in futurum â similibus plagis praeservare benigne dignetur.

§. IV.

De quibusdem foundationibus in favorem hujus Conventus factis.

I. Mox post introductionem Fratrum ad Civitatem Neostadiensem Nobilis Domina Barbara nata Lienhardtin donavit unum hortum trans fluvium Gurcam Fratribus Minoribus, quem adhuc hodie possident pro eorum necessitate, ut *ex sequentibus donationalibus litteris die 1. Maji 1472. exaratis* patet:

Ich Barbara Lienhardtin des Paradeyser seel. wittib, bekenne für mich, und alle meine Erben, und thue khund allermäniklich mit dem brieff, das ich Gott dem allmächtigen zu lob, und mir, und meinen vorvattern, und Nachkommen zu hail, und trost unserer armen seelen, mit wohl bedachten muth, und rechten gewissen geben, geordnet zu ewiger Stüfftlichen gaab, unwiderrufflich, wissentlich mit dem brieff, und auß aigenen nuz, und gebehrr eingewantet hab dein Ehrwürdigen Vater Andre damahls Guardian zu Sanct Lienhard in der stadt zu Rudolphswert

unsern garten, der gleich gegen dem bemelten Closter überhalb des wassers der Gurck gelegen ist, alß er dan mit einen zaum, und graben vervestet, und eingefangen ist, in solcher maass, und mainung, das der benante Guardian, und die brüeder daselbst, und alle Ihre Nachkommen den abgenanten garten mit seiner zugehörung ein für bas zu den benanten Closter haben, handeln, und brauchen mögen nach allen Ihren Nothdürfften, willen, wie ihnen fuegt, und lieb ist, ohne mein, und meiner Erben, und mänikliches widersprechen, Irrung, und hindernuss treylich, und ungevährlich. Wan ich mir, und meinen Erben an den abgenanten Garten keinerley gerechtigkeit hab vorbehalten, sondern gänzlich, und gar dem abgenanten Closter, und den brüedern daselbst, so sy da seyn, oder hinführo da werden, mit guten willen geben, und zu ewigen zeiten zugeeignet hab, und darumb solten die ermelte brüder umb mich, und mein Vorvattern, und Nachkommen, auch treylich Gott dem Allmächtigen anfordern. Vnd des zu Vrkund gib ich denen benanten brüedern, und Closter diesen offenen brieff unter des Edlen, und strengen Ritter H. Andre Hohenwart, obristen druchsessens in Crain der zeit Hauptman zu Cilli, und des Edlen, und vesten Fridrich Prager beyder aigenen anhangenden Insigill, die ich benante Barbara mit fleiß darumb betten hab, das sie die zu zeügnuss der sachen, und ihren Erben ohne schaden an diesen brieff gehangen haben, darunter ich mich, und meine Erben verbind alles das wahr und stat zu halten, das an den brieff geschrieben steht. Der geben ist nach Christi vnsers herrn geburd Tausent Vierhundert, und darnach in den Zwey, und Siebzigisten Jahr in Sanct Philipp, und Sanct Jacob der H. zwey botten tag.

II. Aliam fundationem fecit pro utilitate Fratrum Minorum Perillustris D. Joannes Lenkovitsch Sac. Caes. Majest. ac Archiducis Caroli Consiliarius, ac Capitaneus in Ducatu Carnioliae, et confinibus Croatiae, Dominus in Freythurn, Maichau, et Rupretshoff; is enim in suo ultimo testamento facto circa annum 1569. (nam eodem anno anno die 22. Junii mortem oppetiit) legavit Conventui Neostadiensi telonium pontis, seu potius Trajecti Naulum spectans ad bonum Rupretshoff; quia verò Fratres Minores similium proventuum erant incapaces, suscepit hoc proventuum emolumentum Camera Graecensis cum onere annuatim pendendi Conventui f. 62. germ. mon. Post aliquod temporis intervallum Trajecti Naulus Civitati Neostadiensi fuit incorporatus cum supra dicto onere pendendi 62. f.,

ùt in **Protocollo Conventûs** registratum reperitur his verbis: Werden Nahmens der hochlöbl. I. Ö. oder Graz. Cammer von hiesiger stadt Rudolphswert von alters hero in Monath October ampts, oder teütsher wehrung f. 62, landswehrung aber 73 f. 29 Xr' gereicht. Hi 62. f. modo percipiuntur, ex Bancalis Administrationis Cassa erga quietantium singulis annis â Fratribus dandam.

III. Cum verò anno 1747. Augustissima Imperatrix Regina Hungariae, et Bohemiae etc. Maria Theresia instrumenta, et titulos omnium pensionum, quae ex aerario regio solvebantur, sibi extradi, et demonstrari petiisset, etiam hic Conventus ostendere debuit titulum, vi cujus percipit hos 62. f. Quia autem Conventus **aliis scripturis** (nam **originalis est penes Civitatem auf dem Rathauß in dem gewelb**, prout testatus fuit D. Josephus Novak saepius Judex Civitatis) destitutus esset, oportuit aliunde documenta quaerere, hinc D. Joannes de Nemizhoffen tunc logographus Vice-Dominalis sequentem dedit attestationem: Das die H. H. P. P. Franciscaner von Rudolphswert nach außweisen deren alt, und neüen Vicedomb. Außgaben bücher von unerdenklichen Jahren hero titulo des Lenkovitschischen Legati Jährlich 62 f. t. w. auß der hiesigen Lands Vicedom. Cassa alß ein allmosen allemahl quittiert haben, beurkunde ein solches mit meiner Ambtförtigung. Datum Laybach den 1. Marty 1747.

Johann Bap'ta von Nemizhoffen
Lands Vicedom. Buchhalter alda.

IV. Non videbatur sufficiens hoc testimonium Suae Caes^o Reg^{ae} Majestati, unde anno sequenti 1748. praestatio hujus eleemosynae suspensa mansit, donec majora producantur documenta, unde requisita erat Civitas, ut ipsa suum quoque attestatum adjungat, quae etiam illud libenter dedit sub hoc tenore:

Wir N. Richter, und Rath der Kay. Königl. und Landsfürstl. stadt Rudolphswert in Crain urkunden hiemit zur Steuer der warhait, das wir von unerdenklichen Jahren her denen W. W. E. E. P. P. Franciscanern alda zu Rudolphswert all Jährlichen in Monath 8'ber 62 f. t. w. gegen quittung bezahlet, diese geförtigte Franciscaner quittung aber nebst paar zugezehnten 168. f. t. w. Remanenz gelds alljährlichen in das Lands Vicedombambt, leztmählig aber zu der allergnädigst angeordnet gewesten Kay. Königl. Repräsentation überschikt, dafür aber von Jahr zu Jahr ohne aller widerred die hauptquittung pr' 230 f. t. w. ausser des 1748^{ten} Jahrs, wo selbst die von vnß more solito überschikte Franciscaner Quittung

nicht acceptiret worden, richtig überkommen haben. In vrkund dessen ist unser gewöhnlich Canzleysche förtigung so beschehen in der Stadt Rudolphswert den 11. Feb. 1749.

N. Richter, und Rath alda.

V. His visis in immemorabili tempore fundatis attestationibus **ex Consilio Caes^o Regiae Deputationis** sequens favorabile emanavit **Decretum**:

Maria Theresia von Gottes Gnaden Römische Kay-
serin, in Germanien, Hungarn, und Böhaimb
Konigin, Erzherzogin zu Österreich etc. etc.

Ehrsam, Liebe, Andächtige. Demnoch an das allhiesige Haupt Cameral Zahlamt sub hodierno verordnet worden, das selbes von der Stadt Rudolphswert vor jene 62. f. welche, sie Stadt Eüch P. P. Franciscanern alljährlich anstatt des Lenkovitshishen Legats zu bezahlen hat, die deßfählige Quittung wie vorhin bey dem vorgewesten Lands Vicedom amt auf das zu bezahlen schuldige Remanenz geld, anstatt baaren geld ohnweigerlich annehmen, und gehörigen orts pr' Außgab sezen solle.

Alß werdet Ihr pro directione dessen hiemit nachrichtlich erinnert, dan hieran beschicht unser gnädigster Will, und Meinung. Geben in vnserer Stadt Laybach den 13. Marty 1749.

Johann Seyfrid zu Herberstein

Ex Consilio Caesareo-Regiae
Deputationis
Franz Joseph Wenger

Das dieses Transumptum seinem Originali von wort zu Wort gleich lautend seye, ein solches Vrkunde mit meiner hands-vntershrift. Zu Rudolphswert den 11^{ten} Julii 1762.

(L. S.)

Franz Freyherr von Apfaltrern
K. K. Creyßhauptman in Vnter Crain.

VI. Idem D. Joannes Lenkovitsch Dominus Dominii Ruepretshoff cum donatione emolumentorum ex Trajecto, seu ponte provenientium, donavit etiam Conventui jus piscandi â ponte usque ad molendinum, quia vero ratione juris piscandi saepe multae exortae erant cum civibus discordiae, quamvis hoc jus Fratribus anno 1647. solemniter adjudicatum fuerit, tamen Fratres ad ponendum controversiis, et litibus finem huic juri sponte cesserunt, nec amplius ullam piscationem exercent, praeterquam, quod unus, vel alter Fratrum animum oblectandi causa hamo unum alterumque extrahat pisciculum.

VII. Grande est beneficium, quod Conventus percipit à Serenissimo S. R. I. Principe ab Aversperg. Is enim de dato Labaci 22. Junii 1682. benigne resolvit, ut Conventui Neostadiensi ex suis Seisenburgensibus silvis quotannis 6. fagi assignentur, qui eo tempore pro paucis ibidem habitantibus Religiosis sufficientes erant. Cum autem crescente Fratrum numero determinatum lignorum subsidium non fuisset sufficiens A. R. P. Bernardinus Gregoritsch actualis iterato Minister Provincialis anno 1721. supplicavit pro majori lignorum subsidio: ad cujus preces clementissimus Princeps Henricus ab Aversperg sub dato Viennae 29. Novembris 1721. non tantum in majorem lignorum quantitatem consensit, sed insuper ex Domino Seisenburgensi per modum eleemosynae 50. lb. de butyro [dandae]⁴⁶⁹ ac unum modium de tritico dandae assignavit. Quia vero nihilominus magnae impensae in laboratores, et conductores lignorum fieri debent, Excelsa Carnioliae provincia ad preces A. R. P. Bernardini Gregoritsch anno 1712. huic Conventui in subsidium annuatim 40. f. dandos resolvit, quos Conventus Syndicus etiamnum fideliter percipit.

§. V.

De nonnullis turbulentiis Fratribus hujus Conventus causatis.

I. Vix elapso triennio ab introductione Fratrum Minorum ad civitatem Neostadiensem, insurrexerunt in eos quidam Sacerdotes Saeculares, ac Fratres ab exercitio eorum, quae ipsis à jure communi, et à Sede Apostolica specialiter concessa erant, praepediebant, imo, quod malorum maximum est, ipsos fideles à visitatione nostrae Ecclesiae sub poena excommunicationis coercebant, neve Fratribus eleemosynam tribuant, prohibebant. Quorum impios conatus Eminentissimus D. Marcus Barbus S. R. E. Cardinalis Presbyter, et Patriarcha Aquilejensis **sequenti Rescripto** repressit:

Marcus miseratione Divina S. R. E. titulo S. Marci Presbyter Cardinalis, Patriarcha Aquilejensis, et Apostolicae Sedis Legatus.

Venerabilibus Religiosis viri Fratribus loci S. Leonardi Ordinis Minorum de Observantia in Nova Civitate, alias Rudolphswerth Provinciae Carnioliae Dioecesis nostrae Aquilejensis Nobis in Christo dilectis, salutem in Domino sempiternam,

Cum nostrae devotionis fervor, quem ad omnes Christifideles gerimus, singularius ad Fratres Ordinis S. Francisci de Observantia, tanquam Apostolicae vitae, et Evangelicae paupertatis imitatores feratur; dignum arbitramur, et aequum, ut ipsos pro debito pastoralis Officii, in his praecipue, quae suae professionis observantiam, regularis vitae conservationem, quietem, augmentum, et tranquillitatem concernunt, benigno favore prosequamur. Sanè quia intelleximus non sine animi displicentia, eosdem paupe-

res Fratres à nonnullis Parochialium, et aliarum Ecclesiarum Sacerdotibus nostrae Dioecesis indigne molestari, praepediri etiam in his, quae eis à jure communi, nec non à Sede Apostolica sunt concessa, adeo, ut ab aliquibus hujusmodi Sacerdotibus plebs fidelium, et oves sibi commissae cohibeantur per Ecclesiasticam censuram, ne ipsorum Fratrum Ecclesiam visitent, neque eleemosynarum largitione, unicuique fidelium libera eorum inopia per opera pietatis succurant. Igitur ne deinceps hujusmodi ineptiae invalescant, quapropter cum ex vitae, et morum honestate, catholicaeque doctrina, quibus iidem Evangelicae vitae zelatores pollere dignoscuntur, affuturas speramus indies uberiores in agro dominico fructus, omnibus, et singulis Ecclesiarum praesertim Parochialium Sacerdotibus, et Curatis in virtute Sanctae Obedientiae praecipientes mandamus, quatenus dictos Fratres de caetero molestare non praesumant, quinimo cum fuerint requisiti pro eleemosynis recipiendis juxta statum altissimae paupertatis eorum in suis Parochialibus, sive aliis Ecclesiis, eos diligentius populo sibi in cura animarum commisso studeant commendare. Volentes insuper, et autoritate Apostolica nobis commissa, nec non ordinaria, se Metropolitana harum serie decernentes, quatenus praenominati Fratres inibi suis privilegiis, et juribus, exemptionibus, et libertatibus in legendis, cantandisque Missis, praedicatione verbi Dei, audientia Confessionum, Sepulturis, peractione Exequiarum, septimae, trigesimae, et similium pro defunctis, Confraternitatibus, receptione eleemosynarum, tum earum, quae per humilem mendicationem conquiruntur, quam earum, quae per oblationem devotam Christi fidelium, nec non testamentorum libera largitione obveniunt, juxta status eorum convenientiam, caeterisque indultis, et gratiis, quibus totus Ordo Seraphici Francisci praemunitur, sine praejudicio tamen jurium Ecclesiarum Parochialium, seu aliarum, gaudere debeant, et possint futuris perpetuis temporibus absque impedimento quorumcunque. Si qui forte sub praetextu, et occasione, quia in ipso loco S. Leonardi à Nobis confirmati non fuerint, ipsos inquietaret, cujus loci receptionem ibidem ex nunc praedicta autoritate ex certa nostra scientia confirmamus. Indulgemus praeterea dictis Fratribus, et Conventui, quod semper unus ex eis, qui à Praelatis Ordinis tanquam idoneus ad hoc fuerit deputatus, habeat auctoritatem paenitentes absolvendi à suis criminibus, et delictis, etiam in casibus nostrae ordinariae jurisdictioni reservatis, illis, pro quorum absolutione merito foret Sedes Apostolica consulenda, duntaxat exceptis, super quo ipsius deputandi, quem, sicut praemittitur, deputandum semper haberi volumus pro praesentato, conscientiam oneramus. Denique conservationi gregis Nobis commisi operam nostram pro virili dare volentes cum ad hoc Divini verbi praedicatio magnopere faciat, ut oves dominicae pastu salutis spiritualiter roboratae saevitia luporum non pereant, de Fratrum praedictorum sufficientia quoad opus in exhortando fideles, quod praesertim in illis finibus Turcarum incursiones grassantur, specialem in Domino gerentes fiduciam, ipsis tenore praesentium licentiam damus, per totam dictam Dioecesim nostram Divinum verbum fidelibus populis praedicandi, dummodo ad id habiles, et idonei reperiantur. Ut autem haec

et alia supra scripta debite, ut exoptamus, executioni demandentur, omnibus, et singulis Ecclesiasticis viris, praesertim nostrae Patriarchali Sedi subjectis, cujuscunque status, gradus, conditionis, dignitatis, vel praecminentiae fuerint, praecipimus, et sub debito obedientiae Sanctae mandamus, ut ipsos Fratres, cum requisiverint, ad praedicandum verbum Dei admittentes in suis denique juribus, et privilegiis pacifice vivere permittant, nec non humane tractare studeant, cum ad eos declinaverint suorum, et aliorum saluti procuraturi. In quorum omnium, et singulorum fidem, et testimonium promissorum, litteras nostras fieri, nostrique sigilli fecimus appensione communiri. Datum Posonii sub anno â Nativitate Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, sexto Nonas Julii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, ac Domini Nostri Sixti Divina providentia Papae IV. anno secundo.«

II. Capitulum Rudolphswertense anno 1494. id est anno vigesimo quarto post introductionem Fratrum Minorum â Maximiliano I. fundatum mox in cunabulis multa contra Fratrum privilegia moliri conabantur, multaque absurda Patribus ipsis affingebant, Fratres, ut ab injustis vexationibus liberarentur, humiliter ad R'mum D. Franciscum Molonum Eminentissimi Domini Dominici Grimani Patriarchae Aquilejensis, in Spiritualibus, et temporalibus Vicarium Generalem pro confirmatione mox adductarum Marci Barbi litterarum recurrerunt. Is, ut latrantium ora obstruerent, extemplo **praedictas** innovavit **litteras** sequenti sub tenore:

Franciscus Molonus Juris Doctor Canonicus Ravenatensis R^{mi} in Christo Patris, et Domini, Dominici Grimani miseratione Divina S. R. E. titulo S. Nicolai inter Imagines Presbyteri Cardinalis, et Patriarchae Aquilejensis dignissimi, in Spiritualibus, et temporalibus Vicarius Generalis.

Universis, et singulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Archidiaconis, Decanis, Canonicis, Plebanis, Vice-Plebanis, Vicariis quoque perpetuis, Capellanis, Altaristis, Divinorum Sociis, caeterisque Presbyteris Ecclesiarum Rectoribus in Patriarchatu, et Dioecesi Aquilejensi praedictis ubivis residentibus, et praesertim in Carniolia, et Marchia Sclavonica, quibus hae nostrae litterae fuerint insinuatae, salutem in Domino sempiternam.

Noveritis, qualiter pro parte, et nomine Venerabilium Religiosorum Fratrum loci S. Leonardi Ordinis Minorum de Observantia in Nova Civitate, alias Rudolphswert Provinciae Carnioliae praefatae Aquilejensis Dioecesis, nobis nuper fuerunt praesentatae litterae tenoris instrumenti bonae memoriae quondam R^{mi} Domini Marci Barbo Cardinalis S. Marci, et olim Patriarchae Aquilejensis, peti-tumque, ac supplicatum, ut sicut idem quondam Dominus Marcus Patriarcha ipsis Fratribus gratiose per easdem litteras plura concessit, ita et nos conce-

dere dignaremur, quarum quidem litterarum tenor sequitur verbo ad verbum, et est talis videlicet (hîc insertae sunt numero priori allatae litterae Marci Barbi Patriarchae). Nos enim Franciscus Vicarius cupientes, ut quod â nobis justum petitur, et honestum, per sollicitudinem officii nostri ad debitum effectum (*subintellige*: deducatur) quapropter eorundem Dominorum Religiosorum Fratrum justis postulationibus inclinati suprascriptas litteras mature consideratas ipsis concessas, et indultas, praesentium tenore Autoritate ordinaria Patriarchali nobis concessa, quantum possumus, prout in eis in omnibus, et per omnia continetur, in Domino confirmamus, mandamus, decernimus, damus, et indulgemus, quas etiam gratias volumus extendi ad alios Conventus, et Fratres in dicta Provincia Carnioliae in omnibus, et per omnia, maxime cum fere omnia â jure communi, et privilegiis eis â Sede Apostolica concessis non devient. In quorum omnium, et singulorum fidem, et testimonium has patentes litteras fieri fecimus, et praefati R^{mi} Domini, Domini Dominici Cardinalis, et Patriarchae rotundi sigilli appensione jussimus communiri. Datum Utini die 3. Mensis Octobris millesimo quingentesimo, indictione tertia, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri, Domini Alexandri Divina providentia Papae Sexti anno octavo.

(L. S.)

Bertrandus Rundulus Utinensis
Cancell^{rius} de Mandato.

III. Non multos post annos novi insultus ex parte Cleri Saecularis per Marcum Maffaeum suffulti, contra Fratres excitati erant. Fratres, ut suae quieti consulerent anno 1510. causam Romam detulerunt, ibi sententiam gratiosam, ut constat **ex litteris executorialibus anno 1512. expeditis**. Quia vero praedictarum litterarum executionem, ac male prolatorum revocationem Fratres frustra expectarent, imo nova in eos spargerentur dicteria, et calumniae: unde Fratres videntes se spe destitui, justas querelas apud supremam Apostolicae dignitatis Sedem humiliter, qua par est, deferebant. Justis Fratrum postulationibus annuens **Leo X. tunc in Petri Cathedra sedens Bulla incip. Exponi nobis data Romae 9. Aprilis anno 1514.** Andreae Episcopo Rosanensi, Zagrabiae commoranti, et Arnolfo Abbati, B. Mariae de Fonte prope Landstrass Ord. Cisterc. demandavit, ut executoriales litteras, adhibitis etiam, si opus fuerit censuris, et brachio saeculari, efficaces reddant: Et sic latrantium ora, non nisi fulmine Apostolicae potestatis obstrui poterant.

IV. Porro praedictarum **Apostolicarum litterarum tenor ex ipso Originali desumptus** talis est:

LEO X.

Venerabili Fratri Episcopo Rosanensi Zagrabiae commoranti,
et dilecto filio Abbati Monasterii etc. et eorum cuilibet

Venerabilis Frater, et dilecte fili salutem, et Apostolicam benedictionem. Expo-
ni Nobis nuper fecerint dilecti filii Guardianus, et Conventus B. Mariae Oppidi
Rudolphswerth Ord. Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum Aquilejensis
Dioecesis, quod livet alias lite, et causa inter eos ex una, et quosdam Decanos,
Canonicos, et Capellanos, et Capitulum, ac personas Ecclesiae Sancti Nicolai dicti
Oppidi, et nonnullos alios eorum adversarios, quorum aliqui viventes, reliqui vero
defuncti existunt, partibus ex altera super nonnullis perturbationibus, et molestatio-
nibus, praesertim super impedimentis deportationis Sanctissimi Corporis Christi,
quod ipsi Exponentes processionaliter, et solemniter honorificentissime in die Cor-
poris Christi una cum processione aliorum Christifidelium tam Ecclesiasticorum,
quam Saecularium Sacramenta deferentium, annuatim deferre consueverunt, per
eosdem adversarios eisdem Exponentibus illatis, nec non revocatione nonnullorum
errorum, haeresim, et â fide apostasiam sapientium, illorum praesertim, quibus tem-
erarie asserebant, quod dicti Exponentes, et alii Fratres non sint in statu gratiae,
sed deceptores hominum, quodque extra sua Monasteria eleemosynam petere non
possent, neque pro illis eis largientibus exorare neque de licentia Sedis Apostolicae
Verbum Dei praedicare, neque Confessiones audire: item quod nullus homo in hac
vita posse vivere sine peccato mortali, et quod omnes, qui eisdem Fratribus credunt,
vadant cum eis ad infernum: ac aliorum in dictae causae, et causarum ejusmodi de-
ductorum per eosdem adversarios temerario, et insolenti ausu assertorum, et publi-
catorum coram certo, seu diversis causarum Palatii Auditoribus indecisa pendente,
dicti Exponentes unam pro se, et contra eosdem adversarios sententiam deffinitivam
reportaverint, quae nulla provocatione suspensa in rem transivit judicatam,
litteris Executorialibus desuper in forma solita decretis: Nihilominus cum ex prae-
teritis futura cognoscere possint, eosdem adversarios adeo temerarios, et insolenter
existere, quod sententiae, et litteris Executorialibus praedictis, nisi ad id censuris
Ecclesiasticis cogantur parere negligent. Quare pro parte dictorum Exponentium
Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis opportune providere
de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes parum prodesse sen-
tentias ferre, nisi illae debitae executioni mandentur hujusmodi supplicationibus
inclinati Vobis per praesentes committimus, et mandamus, quatenus vos, vel duo,
aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios eisdem Exponentibus in praemissis
efficaces defensionis raesidio assistentes, ac sententiam, et litteras executoriales
praedictas ubi, aut quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Exponentium
fueritis requisiti, in Ecclesiis, aut aliis locis, ubi populi multitudo ad Divina conve-
nerit, solemniter publicantes, feriatis eosdem adversarios superstites per se ipsos,
vel alias personas idoneas per vos deputandas, opiniones erroneas, et haereticas,
obstationes praedictas publice abjurare, et revocare juxta tenorem littera-

rum Executorialium hujusmodi, ac litteris praedictis cum effectu parere, nec non â molestationibus, inquietationibus, et jactationibus praedictis omnino desistere, ac de singulis damnis, et expensis per eosdem Exponentes passis, nec non injuriis eis per eos, et alium, vel alios defunctos, dum viverent, illatis, ac expensis, in quibus condemnati fuerint, integre, et cum effectu satisfacere, contradictores quoslibet rebelles per censuras Ecclesiasticas, et alia opportuna juris remedia appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Saecularis, non obstantibus fel. record. Bonifacii de una, et Generalis Concilii de duabus dietis, dummodo non ultra tres dietas, ac aliis Apostolicis Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non dictae Ecclesiae juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, et indultis, et litteris apostolicis allis concessis, confirmatis, et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX. Aprilis MDXIV. Pontificatus nostri anno secundo.

V. Ex hac Apostolica Constitutione clare annotescit, in quam enormes errores prolapsi sint Canonici Rudolphswertenses sua ignorantia, vel potius temeritate: ii etenim non tantum in pauperculos Fratres insurrexerunt, sed etiam ipsam supremam Christi in terris Vicarii potestatem convitiis impetere, et in controversiam vocare temerario ausu attentarunt, ad quorum tamen errorum revocationem hac Apostolica constitutione compulsi erant. Si hi attendissent ad Bullas Joannis XXII. Eugenii IV. Nicolai V. et Sixti IV. quas etiam hic ipsissimus Leo X. confirmavit anno 1518. qui omnes Romani Pontifices quasdam Praepositiones erroneas Joannis Poliaci circa confessiones Fratribus Minoribus factas damnarunt, minime in tantam errorum cloacam prolapsi fuissent. Quantum attinet ad Processionem in festo Corporis Christi, quo tempore ex nostra Ecclesia cum Venerabili Sacramento educi cessaverit? nil certi adferri potest: probabilius tamen est, eam ab hoc anno 1514. intermissam fuisse. Ad perpetuam verò Processionis memoriam sub porticu nostrae Ecclesiae ante ejusdem portam semper erigitur Ara, in qua tertium decantatur in festo Sacratissimi Corporis Christi Evangelium. Licet vero hoc Evangelium tertium anno 1751. in solemnī Processione Theophoriae, quod alias sub porticu hujus Ecclesiae in Altari ad hoc erecto ab immemorabili tempore decantatum fuit, Illustrissimus, et Reverendissimus D. Antonius L. B. ab Erberg Praepositus Rudolphswertensis transtulerit ad forum ante domum Pistoris Skoffky, tamen anno 1760. denuo fuit huic Ecclesiae restitutum, quia nostri Patres in platea Altare erigere detrectabant, et Capitulo nimis aegre id erigere accidebat. Ab hoc tempore major viget in hac Civitate inter Clerum Saecularem, et Regularem harmonia; licet subin aliquae minoris momenti discordiae excitatae fuerint, quae, ut commemorarentur, non censentur dignae.

Caput III. De Gymnasio Caesareo Regio in Civitate Rudolphswertensi instituto.

I. Cum Civitas Neostadiensis tum ob continuas Turcarum excursiones, tum ob frequentiora incendia, maxime vero propter noviter aedificatum Carlo-stadium, quo ex hac Civitate domus annonaria, et Officialium habitacula translata erat. Sicque Civitas confiniaria esse desiit, ad maximam pauperiem devenisset, nec medium sese juvandi haberet: Quapropter civitas Augustissimae Reginae Mariae Theresiae anno 1745. supplicem porrexit libellum, ut 6. inferiores scholas â P. P. Franciscanis docendas erigendi potestatem clementissime facere dignaretur, ut hoc motum propter victum studiosis exhibendum, et domos locandas, tum vel maxime, ne suos juvenes alio cum magnis expensis ad studia mittere cogantur, magnum Civitati accresceret emolumentum.

II. Porro **supplex libellus Augustissimae pro erigendis scholis porrectus** his conceptus erat verbis:

Allerdurchleichtig, Grossmächtige zu Hungarn
und Böhmen Konigin, Erzherzogin zu Österreich etc. etc.
Allergnädigste Erbland Fürstin, und Frau, Frau etc. etc.

Wir gesambte arme mit unmöglich aufbringlichen dargeben betrangte N. Richter, und Râth, und übrige burgersleüth zu Rudophswert in Vnter Crain müssen Eüer Königl. May. abermahl wehemütig fußfallend, und aller unterthänigst vorstellen, gleichwie wir albereits wey. Ihro Kay. May. hochseeligster gedächtnuss, allerhöchst dero H. H. Vattern unser allergnädigsten Erbland fürsten, und herrn, herrn in allergehorsambster vnterthänigkeit angezeigt, wie das dieses arme Stadtel **Rudophswert**⁴⁷⁰ theils wegen dreymahlig außgestandener grossen feüersbrunst, theils auch von darumben, das solches gar viel Jahr her sich nicht mehr in statu illo, wie es in anno 1542 zur zeit der gülten Einlag gestanden, befinde, weilen zu Jener zeit darinen ein grosser Handel, und kaufmanschaft mit Nider Hungarn, und Croaten, und Raizen, die ihre waaren, und viech in grosser Anzahl hereingebracht, und dagegen andere waaren eingewechslet, und weiter geführet, von allen aber der Stadt die Mauth bezahlet, das sich die erträgnuss Jährlich auf ein nahmhaftes quantum beloffen, wie nicht minder 1, das auch alda die Musterungen der Graniz-Miliz, und des Lands Aufboths-volk, wie auch die Graniz-bezahl- und proviantirungen von beyden Erbländern Karnten

und Crain gehalten worden, zu welchen Ende unterschiedliche beampte daselbst gestanden, wodurch die burgerschaft alda sich so gestalten beholfen, das sie gar wohl in stande gewesen zu solchen zeiten die in dem Landgültbuch befündliche pfründ bezahlen zu können.

Nachdem aber die Vöstung Canissa in Nider Hungarn, an den Erbfeind übergangen, hat sich der handel, und wandel auf andere plätz gewendet, und die Raizen außgeblieben, darauf auch Ihro durchlaucht Erzherzog Carl zu Österreich seeligster gedächtnuss A^o 1580 das Granizhauß Carlstadt von neuen erhoben, dahin folglich alle Graniz-Commissionen, Musterungen, Graniz- bezahl- und proviantirungen transferirt, und das orth alda gleichsam halb lär gelassen worden, auch so gestalten nach, und nach in solche zerfallenheit, und grossen schulden last gerathen ist, das selbe nicht allein die Ansag de A^o 1542. unmöglich ertragen kan, sondern auch in kurzer zeit wir arme Inwohner daselbst gedrungen seyn werden unsere häuser zu verlassen, und vns von darumben anderwärtig, zum fahl nicht ehisten von Euer Königl. May. unserer allergnädigsten Erblandsfürstin, und frauen, frauen ein allergnädigste remedur beschicht, umb das Stükel brod zu erwerben, werden verfügen müssen, absonderlich weilen vns durch die von Einer Löbl. Landschaft alda neüerdings naher Einödt, und Seisenburg gemachte, ansonsten ungewöhnliche seithen strassen, an welche etliche Jahr hero auß Vnter Crain, und ganz Möttlinger boden alle traffic passiret, andurch aber der burgerliche handel, und wandel von dieser landsfürstlichen Stadt über die massen entzogen, mit folglich vns aussern deren grossen Soldaten durchmarchen, Einquartirungen, und vielfältigen ordinari Anlagen solche traffic, obshon diese von alters hero durch dieses Städtel dem alten viae Regiae gemäss passiret, auch darvon der Stadt die Mauth entrichtet worden, ist gänzlichen hinweg genohmen, zugleich aber diese Landsfürstliche uralte Stadt deren Stadtgefählen der arme Burgersman dagegen seines burgerlichen gewerbs entsetzet, mithin diese Stadt sambt den Burgersman in die eüsserste noth gestürzet würdet, so gestalten, das nun wir arme burgersleüth alda von Jahr zu Jahr einen grösser, und unerträglichern Schaden erleyden, folgbahrlich in das ganzliche verderben verfallen müssen.

Damit aber dieser Stadt aufgeholfen werden mächte, haben Ihro Wey. Röm. Kay. May. höchstseeligster gedächtnus in kraft allergnädigsten Resolution de dato Wien den 14. Julii 1734. §. *Andertens* auf unser vorläuffig allergehorsambst allerunterthänigste fußfallende vorgestellte beschwärde allergnädigst anbefohlen, damit wir, was eigentlich auf die Gurkbruken für eine Mauth, oder brukenpfenig gebühr anzulegen wäre, ein tariffa entwerffen, und zu gnädigster erkantnuss einschiken sollen, wie nicht minder §. *Drittens*

damit wir einen fundum, auß welchen dieser Stadt ein brandsteyer zu geben seye, erdenken sollen. Wann nun wir bey unsern mehrmahlig gehaltenen Rathschlägen keinen andern bessern fundum, wodurch so wohl dem gemeinen weesen, alß unsern armen Inwohnern gemelten Stätleins von Jahr zu Jahr aufgeholfen werden möchte, haben erdenken können alß allein durch Einführung der öffentlichen schulen in dem Franciscaner Convent alda in der Stadt Rudolphswert in Vnter Crain, womit die burgerschaft wegen theils der Menge Scholaren (da es alda von allen, und jeden Victualien ein mehrers consumirt, auch folglich ein mehrer Consumo introducirt wurde) theils auch viel deren Burgersleüten, und armen wittiben durch die kostgänger ihre lebensmittel etwas leichter beyschaffen könnten, und folglich wir arme Burgersleüt alda nicht mehr gezwungen seyn wurden unsere kinder in ihrer vn-mündigkeit in die weiter entlegene örter zu verschicken, und solcher orten so grosse vnkösten, welche wir schon unmöglich ertragen können, außzulegen, wodurch wir unzweiffentlich in wenig Jahren sich dahin behelfen wurden, das die Häuser mit Jährlichen ödnussen gelassen, solche stift, und baullich erhalten, auch die anforderungen de futuro von Jedermäniglich desto füglicher abgeführt wurden.

Welche Scholarum introductio so wohl vns, alß denen gesamnten Croaten, dauon dieses Stätlein nur wenig stunden entlegen ist wegen der deütschen Sprach, und weniger vnkösten, massen sonst auch denenselben in die weiter entlegene örter, und länder zu verschicken ihre Scholares ohne zweiffel sehr schwärz fürfallet, ein grosses utile beyschaffen möchte.

Also gelanget an Eüer Königl. May. unser allergnädigste frau, frau, und Erblandfürstin, unser unterthäniges allergehor. und fußfallendes bitten, allerhöchst dieselben geruhen zu unserer respiration, und erholung dieses remedium provisionale der gemelten Scholarum introductionis in dem aldasigen Rudolphswertischen Franciscaner Convent nicht allein allergnädigst zu bewilligen, sondern auch denen P. P. Franciscanis der Crainerischen Provinz damit dieselben solches onus der 6 untern schulen usque ad Rhetoricam inclusive gegen einen Jährlich von vnß abführen wollenden allmosen an sich nehmen solten durch ein besonderes an den P. Provincial, und Deffinitorium gedacht Crainerischen Franciscaner Provinz abschicken allergnädigst anzubefehlen, annebst aber vnß arme betrangte Burger, und Inwohner daselbst zu solchen Ende, und bessern behelf dieses Stätleins mit dem

schon längst allergehor. und allerunterthänigst ansuchenden, wie auch lauth obschon allergnädigst vor recht befundenen brukenpfening nach Inhalt der alda in allegehorsamster unterthänigkeit beygelegten Tariffa, in allergnädigste erwegung, das die Gurkbruken von der Stadt alda alljährlichen, und so oft es die noth erfordert, mit nicht geringen Vnkösten reparirt werden muß, hingegen aber doch die Stadt von dieser bruken biß anhero gar kein utile gehabt hat, allergnädigst zu begnaden. Zu welchen allergnädigsten gewähr wir unß alle samentlich allerunterthänigst, allergehorsambst, fußfallend empfehlen.

III. Hoc Memoriale remisit Aug^{ma} die 3. Februarii ejusdem anni 1745. ad Excelsam Provinciam Carnioliae pro informatione, quae quidem in erectionem scholarum consentiendi nullam habuit difficultatem, ast ut pontis telonium augeretur, aut Civitati daretur, consentire minime voluit: ut autem cives suum intentum ratione scholarum obtinerent, fuit eisdem suasum, ut secundam supplicis partem propter pontem omitterent, quo facto, consensus in erectionem scholarum facile obtentus fuit. Post primum supplicem libellum fuit **idem petitum** etiam **Ministri Provinciali intimatum** his verbis:

Maria Theresia etc. etc.

Ehksam, Geistlich, Liebe, Andächtige. Welcher gestalten bey Vnsern König. Hof N. Richter, und Rath, auch die gesambte burgerschaft der Stadt Rudolphswert nicht allein um allergnädigste bewilligung einer Scholarum introduction in dem aldortig Rudolphswertischen Franciscaner Convent, sondern auch denen P. P. Franciscanern der Crainerischen Provinz, damit dieselbe solches onus der 6. untern schulen usque Rhetoricam inclusive gegen einen Jährlichen von ihnen Supplicanten abführen wollenden allmosen an sich nehmen sollen, durch ein besonderes mandatum anzubefehlen, annebst aber die Supplicanten mit dem schon längst ansuchenden brukenpfenig allergnädigst zu begnaden, allerunterthänigst angelanget, und gebeten, ein solches verständiget der Anschluss des mehrern.

In massen nun hierüber in krafft unsers hereingelangten allergnädigsten König. Hof-remiss de dato Wienn den 3. Febr. und intimato 16. Merz lezthin berichtet, und gutachten abgefordert worden, alß würdet Eüch wegen obansuchender Scholarum introduction zu Rudolphswert dieser Recurs, und bericht hiemit gnädigst beygeschlossen. Dan an dem beschicht unser gnädigster will, und Meinung. Graz den 30. April 1745.

IV. Habito consensu Provinciae, et ex puncto â supplici Civitatis pontis telonio, Augustissima in favorem Civitatis pro erectione 6. inferiorum scholarum facile consensit, et resolvit 16. Aprilis, quae **Resolutio sub 6. Maji anni 1746.** fuit A. R. P. Sigismundo Skerpin tunc iterato Ministro Provinciali Graecio intimata, hujus tenoris:

Maria Theresia etc. etc.

Ehksam, Geistlich, Lieber, Andächtiger. In erledigung des gehors. gutachtlichen schreibens von 8. Jenner, und praes^{to} 9. Merz dieses Jahrs, tragen wir überhaupts kein bedenken auß darin abwaltenden beweg ursachen zur behilf der sehr mittellosen Landsfürstl. Stadt Rudolphswert in Crain mit dem allerunterthänigst gebettenen Consens wegen, bey dortig P. P. Franciscanern vorhabender Erichtung der 6. untern schulen allergnädigst zu Willfahren. Vm weillen aber erst besagte Franciscaner zu solcher schulhaltung gegen ein besonders allmosen sich anheischig machen, alß wird nöthig seyn dißfahls vorhero alles durch schriftliche pacta klar außzumachen, und zwar diese auch obrigkeitlich bestättigen zu lassen. Dabey versehen Wir vnß gnädig, es werde durch sothane von denen P. P. Franciscanern übernehmende lehrung deren Schulen ihre dermahlige Anzall deren Geistlichen nicht vergrößert werden. Dan an dem beschicht unser gnädigster Will, und Meinung. Graz, den 6. May 1746.

V. Obtento Regio consensu in erectionem scholarum, ac tam Civitati, quam P. P. Franciscanis intimato, prae habito etiam consensu R^{mi} Patris Ministri Generalis P. Raphaelis â Lugagnano, conformiter ad supra allatam Regiam Resolutionem intra Civitatem, et Ministrum Provinciale **die 27. Augusti 1746. sequens contractus, qui in originali in Archivio Conventus Neostadiensis asservatur,** initus fuit:

Zu wissen, das an heünt zu End gesezten dato zwischen den Hochwürl. N. H. P. Provincialen, und dem löbl. Diffinitorio deren wohlehrwürdigen P. P. Franciscanern der Crainerischen Provinz an einen, dan N. H. Richter, und Rath sambt der gesambten Burgerschaft der Landsfürstlichen Stadt Rudolphswert in krafft ergangener allergnädigst Kay. Königl. Resolution de dato Wien den 16. April, und Graz den 6. May wehrenden 1746^{ten} Jahrs einrichtenden 6. untern schulen in beyseyn S^r Hochgräflichen Excellenz H. H. Lands Vice Domb in Crain nachfolgende, unwideruflicher Contract aufgerichtet und beschlossen, auch von der löbl. Lands Vice-Domische

stölle alda in Crain ratificirt, und bestattet worden alß nemblichen, und

Erstens. Verobligiret sich N. H. P. Provincialis, und das löbl. Diffinitorium gedachter Provinz alljährlichen alda in der Stadt Rudolphswert durch drey ihres Ordens Magistros, und einen erforderlichen P. Præfectum die 6. untern schulen â Parva usque Rhetoricam inclusive mit solcher Methodo, und modo zu dociren, das die hiesige Scholares zu denen P. P. Societatis Jesu, und deren in die hiesige schulen gehen, und wechseln können, die Jugend in Christlicher lehr, und andern erforderlichen geschiglichkeiten zu unterweisen, auch bey albereits überkommener allergnädigsten Resolution und verstattung gleich **alle** nach aller heiligen dieses laufenden 1746^{ten} Jahrs die docirung der schulen anzufangen, folglich darmit zu continuiren. Dan so verobligiret sich

Andertens. N. H. Richter, und Rath, und die gesampte Burgerschaft zu Rudolphswert zu solcher docirung ohne entgeld des Convents an einen annehmlichen unweit den Convent gelegenen orth, und zwar bey den Fritschkish grad neben der Franciscaner Kirchen ligenden Hauß das schulgebaü aufzuführen, und von diesen einen gang auf den Chor ersagter Kirchen zu errichten, auch solchen gang mit der Kirchmaur zu schliessen, wie nicht weniger das schulgebaü sambt den gang ohne entgeld des Convents stüft, und baulich zu erhalten.

Drittens. Verspricht mehr gedachter N. H. Richter, Rath, und gesampte Burgerschaft zu Rudolphswert denen P. P. Franciscanern vor die docirung vor bemelten 6. untern schulen, wie auch vor die nöthige bücher, holz, papier, und dergleichen Nothdürften pro Magistris, et pro Præfecto in allen, und jeden 300. f. t. w. in vier ratis, alß nemblichen alle quaternberg freytag 75. f. punctual, und richtig abzuführen, beynebst auch wochentlich 12. Pfund Rindfleisch, außgenohmen von aller heiligen biß H. Christag, und ordinary fasten, dan von h. h. drey König biß S. Valentini, wan dieselben fasten zu reichen. Übrigens will auch jezt besagter N. H. Richter, und Rath, und die gesampte Burgerschaft zu Rudolphswert die H. H. P. P. Franciscaner wegen vorbemelten allmosen auf die alhiesige Jährliche Stadt Mauth, auß welcher Mauth ohnedem denen selben alljährlichen 62. f. Remanenzgeld abgeführt werden muss, hiemit versichert haben: solte sich aber ereignen, das heünt, oder morgen, es seye über kurz, oder lang ein, oder anderer benefactor zu dieser schulhaltung etwas contribuiren, oder villeicht gar solche fundiren, oder belegen wolte, oder aber die schulen aufhören solten, alß dan wäre in solchen fahl die Stadt Rudolphswert ihnen H. H. P. P. Franciscanis die obig

versprochene, dreyhundert gulden, und das fleisch nicht mehr zu reichen schuldig.

Viertens. Will auch N. H. Richter, und Rath, und die gesambte Burger-schaft der Stadt Rudolphswert auch dahin zu fahl über kurz, oder lang sich ereignen darffte, das ein, oder die andere Religion, oder auch die Societet selbst sich alda in der Stadt Rudolphswert sezen wolte, dieses studium keines weegs von ihnen P. P. Franciscanis hinweg zu nehmen, sondern dieselbe bey deme zu ewigen weltzeiten perpetuiren zu lassen, auch wider alle etwo ex hoc fine sich alda in der Stadt Rudolphswert sezen wollende Religion, oder auch Societet nach möglichkeit zu widerstehen, verobligiert haben.

Fünftens, und schliesslichen sollen die wohlehrwürdige P. P. Franciscani alle Jahr am ersten tag, da die studia elapsis vacationibus abermahl den anfang nehmen ein hochgesungenes Ambt für die allerdurchlächtigste unsere jezt Regierende allergnädigste Kayserin, Königin, und Erblandsfürstin Maria Theresia wegen allergnädigst verstatteten Introduction von ernenten Scholarum, umb allerhöchst dero, und deroselben durchlächtigsten Hauß, langwirige glügseeligste Regierung cum invocatione Spiritus Sancti ohne besonderer bezahlung dessen, zu halten schuldig seyn, zu welchen Ambt auch der gesambte Rath, und Burgerschaft fleis-sig erscheinen solle. Alles treulich, und ohne geföhrde, auch mit, und bey den allge-meinen Landsschaden bund in Crain. In vrkund dessen seynd dieses Contracts drey gleich lautende Exemplaria aufgericht, und jedem theil deren Contrahenten eines unter gleicher förtigung zugestellt, das dritte aber bey der löbl. Lands Vice-Domb Stölle erhalten worden. Datum Stadt Laybach den 27. Aug. 1746.

(L. S.)

N. Richter, und Rath, und gemeinde
der Stadt Rudolphswert.

(L. S.)

FR' Sigismundus Skerpin Minister Provincialis
Ord. Min. strict. Obs. Croatiae, Carnioliae,
et integrum Deffinitorium.

Von Lands Vice-Domb Amt wegen wirdet dieser aufgericht, und be-schlossener Contract in kraft der de dato Wien den 16. April, Graz den 6. May wehr. 1746^{ten} Jahrs in sachen ergangenen Kay. Königl. allergnädigsten Resolution, und Verordnung hiemit ratificirt, und bestattet. Datum Laybach den 12. 7^{ber} 1746.

Heinrich Graff von Arzon Lands Vice-

(L. S.)

Domb in Crain.

Johann Hieronymus Merzina von Merzenheimb

J. U. D. Lands Vice-Dom. Amt Secretarius
in Crain.

VI. Cum Civitas nonisi duobus annis, ast et hoc aegre stipulatos 300. f. solvisset, fuit â Patribus saepius sollicitatio pro solutione interposita non solum apud Civitatem, sed etiam apud Caesareo-Regiam Repraesentationem Labaci, ac apud Aug^{mam} Reginam Mariam Theresiam, multae erant scripturae ob hanc causam confectae, quas brevitatis causa omitto. Quia vero Civitas ex testimonio Capitanei circuli impotens ad praedictum onus ferendum declarata fuit, praesertim, quia telonii pontis proventus, quibus haec fundatio innixa erat, â Repraesentatione Regia pro reparatione viae regiae usque *Wershlin* applicati erant, cogitavit praedicta Repraesentatio de alio fundo, et invenit quoddam legatum Andreae Krenn f. 2000. L. w. investitum die 23. Aprilis 1629. apud Excelsam Carnioliae Provinciam, sed dein die 11. Aprilis 1730. extraditum fuit hoc legatum Domino Friderico Baroni â Schwitzen cum obligatione, ut ille legati illius ferat onera: onus porro erat, ut Interesse inter tres studiosos in Universitate Viennensi studio vacantes, ac â Civitate Labacensi praesentatos pro subsidio continuandi studii divideretur. Labentibus temporibus, aut quia Civitas negligentius ageret, aut Universitas, nullus fuit praesentatus studiosus, nullum etiam Interesse solutum, sicque ratione intermissi Interesse â tot annis conflaverat summam debitam f. 6187. Xr' 22. quae cum Capitali f. 1687. Xr' 30. fecit totalem summam f. 7874. Xr' 52. deductis deducendis.

VII. Reperiens Repraesentatio Regia hoc restans Interesse, repetiit illud totum â Provincia Carnioliae, ast Provincia remisit se ad Baronem de Schwitzen, cui hoc legatum extradidit, sed instante Fisco ex causa, quod Provincia non potuerit extradere legatum sine consensu eorum, quorum interest, condemnata fuit ad solvendum restans Interesse cum jure regressus contra Baronem de Schwitzen. Evicta hac tot millium Summa considerans Regia Repraesentatio, nullum mortalium in hanc Summam habere jus praeter solam Reginam, habito consilio die 25. Augusti 1758. praedictam Summam pro fundo scholarum Neostadiensium Aulae praesentavit cooperante ad id vel maxime Ill^{mo} Domino de Hoffmann Regiae Repraesentationis Consiliario, origine Silesita. Vir erat justissimus, ac Religioni Seraphicae apprime addictus, qui obiit Labaci anno 1760., et ibidem apud P. P. Franciscanos in crypta sub pulpitu sepultus.

VIII. Matura praehabita deliberatione, et debita capta informatione fuit tandem die 3. Novembris 1759. facta Resolutio, et praesentata Labaci 14. ejusdem, et ad Ministrum Provinciale directam sub 30. dicti mensis sequentis tenoris:

Omisso ingressu

Auß dem in angelegenheit deren, von denen P. P. Franciscanern zu Rudolphswert docirenden 6. nidern schulen

dan richtigstellung des hierzu erforderlichen fundi sub dato 2 8^b. Jüngsthin von hier auß erstattet gehorsambsten bericht; hatten Ihro Kay. König. Apostol. May. gnädigst abgenommen, was massen die Stadt Rudolphswert ersagten Franciscaner die gegenhaltung gedachter schulen contractmässig anverlangende Jährliche 300. f. auß ihren mitteln zu bestreiten keines weegs vermögend, wo folglichen dan diese Kay. König. Repräsentation, und Cammer bey dem vorhin gemachten unterthänigsten vorschlag die schulen zu Rudolphswert auß dem Andre Krönischen stiftungs fundo herzustellen, und herüber gedachte P. P. Franciscaner pro praeterito, et in futurum befriedigen zu lassen, um so mehrers beharret wäre, alß die hiesige landschaft, das indebite hinauß bezahlte Krönische fundations Capital pr' 2000 f. L. w. oder 1687 f. 30 Xr' t. w. dan die dauon de praeterito gebührenden Interessen nach Abzug verschidener deducendorum mit 6187. f. 22. Xr' mithin zusammen 7874. f. 52 Xr' t. w. ohne was wegen einer abgeschlagenen von dem hiesig Kay. König. Fisco aber bereits zu Revision angemeldeten Ersezungs Post pr' 3210 f. an nach eingehen dürffte, der causae piae paar zu ersezen per sententiam verurtheilet worden seye. Hierüber nun hätten allerhöchst gedachte Ihro Kay. König. Apostol. May. befunden, das die erste hauptstüftung eine vorzügliche reflexion verdienet, und daher gnädigst entschlossen, das obigen quanto deren 7874. f. 52 Xr' zur sicherstellung der Wienerisch-Crainerischen fundation 2000 f. t. w. excindirt, die dauon abfallenden Interessen von der hiesigen Landschaft an die Universitet in Wienn richtig abgeführt, und von dieser der Intention des fundatoris gemäss unter drey stipendiatos außgetheilet, der überrest pr' 5874. f. 52 Xr' aber darzu gewidmet werden solle, damit mehr ermelte P. P. Franciscaner die davon abfallenden Interessen gegen ordentliche besorgung, und docirung deren untern 6. schulen künftig hin richtig zu beziehen haben mögen.

Welches also auß eingelangt Kay. König. allergnädigsten Resolution de dato Wienn den 3. praes. 14. dieses Ihme P. Provinciali zur nachrichtlichen wissenschaft, und direction mit den weitem beysaz erinnert wird, das Sub hodierno denen hierländigen Herrn Ständen in conformitate dieser allerhöchsten decision unter einen aufgetragen worden seye, das sie mehr gedachten P. P. Franciscanern zu Rudolphswert das Instrumentum obligatorium in debita forma â dato des in sachen ergangenen höchsten Außspruchs außförtigen, solche in originali, et copia authentica anhero zur Einsicht, und weitem bestöllung fördersambst einbringen, denen Impetranten aber die von gedachten 5874. f. 52. Xr'

verfallene 5. pr' Cento in denen gewöhnlichen fristen jederzeit behörig abführen sollen etc.

IX. Apparet igitur ex hac Caesarea Resolutione, quod fundus pro docendis scholis Neostadiensibus positus fuerit anno 1759. et consistit in f. 5874. X. 52. germ. mon. Eodem anno expeditum fuit **Instrumentum obligatorium, quod in Originali in Archivio Conventus asservatur**, sequentis tenoris:

Wir N. Einer Löbl. Landschaft in Crain Præsident, und verordnete, be-
kennen hiemit für vnß, und vnserer Nachkommen am Ambt, wer die zu jeder zeit
seyn werden, und geben jedermäniglich pro aeterna memoria vermög des hiernach
folgenden stüfft, und respective schuld-brieff kund und zu wissen, was gestalten
der Wohl Edl gebohrne herr Andre Krönn see. S^r Kay. Königl. May. Land-Rath
in Crain unter 23. April 1629. zu vnterhaltung dreyer auf der alten Löbl. Univer-
sitet in Wienn studirenden besonders Krönischen Anverwandten Craineren 2000.
f. Landeswehr. oder 1687. f. 30 Xr' teütscher wehr. Das darvon fallende Interesse
zu beziehen auf ewig angeleget. Zumahlen aber ersagtes Capital unter 11. April
1730. von denen Löbl. Land-Ständen dem herrn Friderico Baron von Schwitzen
auß den General Einnehmer Amt bezahlt worden, wo folglich der Kay. König.
Fiscus alda als Actor der piae causae auf allerhöchsten befehl die löbl. Ständen bey
der allhiesigen Kay. König. Justitial Repräsentation, und Cammer zu herstellung
dießfähligen Capital, und Interesse gerichtlich angegangen, auch vermög Justitial
Ausspruch dd^o 22. Augusti 1759. nach abzug verschidener deducendorum sie herrn
Stände das Capital mit 1687. f. 30 Xr', nicht minder das Interesse mit 6187 f. 22
Xr' zusammen aber mit 7874. f. 52 Xr' der causae piae baar zu ersezen verurtheilet
worden seynd: vnd wie zumahlen Ihro Kay. König. Apost. May. mit 19. Novem-
ber 1759. allergnädigst resolviret haben, das von vorbesagten quanto deren 7874.
f. 52 Xr' zu herstellung der Wienerisch Krönischen fundation 2000 excindiret, der
überrest aber Pr' 5874. f. 52 Xr' t. w. dem N. P. Guardian, und Convent S. Francisci
Ord. Min. zu Rudolphswert zu besorg, und docirung deren 6. mindern schulen (so
lang solche erhalten werden) die darvon abfahrende Interessien richtig verabfolget
werden sollen. Dahero wir in Nahmen wohlgedachter Löbl. Landschaft recht, und
redlich schuldig worden seynd, dem N. P. Guardiano, und Convent S. Francisci
Ord. Min. zu Rudolphswert respectu docirung deren 6. mindern schulen eine Sum-
ma geld benantlich fünf Tausend, achthundert vier, und Siebenzig Gulden 52. Xr'
t. w. zu

wessen Ende auch auf vnsern unter 7. December 1759. ergangene bewilligung zu henden des wohlgebohrnen herrn Marx Ant. Freyherrn von Pillichgraz, herrn auf Baumkiersturn, und Hiltzeneg wohl gedachter Löb. Landshafft Ge'l E'ber so gestalten auf ewig angelegt worden, das Jährlich fahlende Interesse 5. pr' C^{to} mehr besagter P. Guardian, und Convent zu Rudolphswert zu Erhaltung deren 6. mindern schulen erhöhen solle. Hierauf geloben, und versprechen Wür für Vnß, und unsere Nachkommen am Amt bemelte 5874. f. 52. Xr' t. w. auf ewig anligend zu erhalten, das hievon von heünt untergesetzten dato â 5 pr' Cento lauffende Interesse ohne fehrrer Anschaffung eröffneten P. Guardian, und Convent S. Francisci Ordin. Min. gegen einreichender Quittung für, und für auß dem Ge'l Eb'er Amt bezahlen zu lassen, auch dits orths gänzlich ohne Nachtheil, und schaden zu halten. Alles treylich, und ohne geföhrde auch bey dem Landschaden bund in Crain. Zu dessen vrkund seynd zwey gleich lautende Stüfft- und respective schuld-brieffs Exemplaria unter vnserer hand vnterschrift, und Insigl pro æterna memoria aufgericht, und hievon eines Einer löbl. Repraesentation, das andere dem N. P. Guardian, und Convent S. Francisci zu Rudolphswert zugestellet worden. Laybach den 1. November 1759.

(L. S.) (L. S.) (L. S.) (L. S.) (L. S.) (L. S.)

Joseph Barbo gr. v' Waxenstein
Verordneter Amts Præsident

Carl Dismas Barbo gr. v' Waxenstein
dombdechante Verordneter

Maria Ignaz Gr. v' Engelshauß
Verordneter

Joseph freyherr von Liechtenthurn
Verordneter

Marx Anton freyherr
v' Pillichgraz Ge'l E'ber
Joseph Leopold von Rastern
Buchhalter
Johan Bap'ta v' Rosenfeld
Ge'l E'ber Amts Verwalter

X. Donec Interesse solveretur â 5. pro cento, tunc Conventus annue percipiebat 293. f. 44 3/5 Xr' Sicque tantum 6. f. 15 2/5. Xr' minus, â Summa in primo Contractu cum Civitate inito designata: Postquam vero omnia Capitalia ad 4. pro cento reducta sunt, etiam hoc Capitale eamdem sortem subire debuit, ac nunc non percipiuntur nisi f. 235. Notandum est, quod ad numerum rotundum in Capitalibus faciendum de mandato Caesareo â sorte principali aliquid demi aut eidem aliquid addi debuerit, hinc praetacto Capitali f. 5874. X. 52. Perillustis D. Fridericus Weitenhiller Parens Spiritualis Conventus Labacensis addidit de suis f. 25. Xr' 8. cum obligatione unius Sacri pro ipso celebrandi. Per

hujus Summae additionem conflavit Capitale in Summam f. 5900. et obinde de Interesse Conventus percipit f. 236. Quare si suo tempore scholae doceri cessarent, praedicti f. 25. Xr' 8. essent omnino excindendi à praedicta Capitali Summa. Civitas manet obligata, et reparationem Gymnasii, ac ad danda qualibet septimana 12. lb. de Carnibus, quas usque ad annum 1761. dedit in natura, praedicto vero anno convertit. Oeconomiae gratia in pecuniarum Summam f. 19. Xr' 53. germ. mon.

XI. Ut autem studiosa juvenus in virtutibus, et morum disciplina indies majores faceret progressus, et praesertim in cultu, et devotione erga Beatissimam Virginem Mariam semper magis accenderetur, fuit autoritate **Benedicti XIV. anno 1756.** instituta Congregatio studentium sub titulo B. V. Mariae sine labe conceptae, multisque ditata Indulgentiis, **prout ex ejusdem Bulla incip. Cum sicut dat. Rom. die 4. Sept.,** quam **ex originali** adduco, clarius patescit.

BENEDICTUS P. P. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus, in Gymnasio sub cura Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Oppidi Neostadiensis Goriensis Dioecesis una pia, et devota Christifidelium studentium virilis sexus tantum Confraternitas, seu Congregatio sub titulo Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculae canonice erecta, se erigenda existat, cujus Confratres quamplurima pietatis, et charitatis opera exercere consueverunt, seu intendunt. Nos, ut Confraternitas, seu Congregatio hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac B. B. Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus Christifidelibus studentibus virilis sexus tantum, qui dictam Confraternitatem, seu Congregationem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere paenitentes, et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint plenariam: ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Confraternitate, seu Congregatione Confratribus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque paenitentes, et confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint etiam plenariam: nec non eisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Confraternitatis, seu Congregationis Confratribus etiam vere paenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione reffectis, qui praedictae Confraternitatis, seu Congregationis Ecclesiam seu Capellam, vel Oratorium die festo ejusdem Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculae à primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extipatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces offuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam

et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem Confratribus etiam vere paenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium hujusmodi in quatuor aliis anni feriatis, vel non feriatis, seu Dominicis diebus per eosdem Confratres semel tantum eligendis, et ab Ordinario approbandis, ut supra visitantibus, et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas, quoties vero Missis, et aliis Divinis Officiis in Ecclesia, seu Capella, vel Oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis, et recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis, seu Congregationis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum hujusmodi quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque Processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum tam in Processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicumque, et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel si impediti, Campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinque Orationem, et Salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam Salutis reducerint, et ignorantes praecepta Dei, et ea, quae ad Salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis paenitentibus in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis Confratribus praemissa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes nullae sint, utque si dicta Confraternitas, seu Congregationi alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel in posterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, et etiam quomodolibet instituatur, priores, et quaevis aliae litterae Apostolicae nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso pariter nullae sint. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die IV. Septembris MDCCLVI. Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

Pro D'no Card'li Passioneo

Joannes Hosius Substitutus.

Publicetur servatis servandis, uti de jure, et consuetudine etc. et in finem insertum pro festo principali Congregationis, festum Conceptionis B. M. V. Immaculatae: pro Indulgentiis vero septem annorum, et totidem quadragenarum sequentia festa, videlicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, et Nativitatis B. V. M. auctoritate Excel^{lmi}, et R^{mi} D'ni Archiepiscopi Goritiensis statuimus, designamus, et praefigimus. In quorum fidem etc. dedimus Rudolphswerthi die 12. Nov. 1756.

Vincentius Mlakar Decanus Rudolphswerthensis
et Archiepiscopalis Commisarius.

Caput IV.

De moderno Ecclesiae statu, ejus Consecratione: De Altaribus, eorumque consecrationibus, ac Confraternitatibus in ea institutis, aliisque piis exercitiis in ea peragi solitis.

§. I.

De Ecclesia moderna, ejusque Consecratione, ac Confraternitatibus, aliisque piis exercitiis in ea institutis.

I. Jam supra memini, quod Ecclesia prima S. Leonardi, antequam ea Fratribus Minoribus extradita, et consignata fuisset, moderni Sanctuarii spatium superasse vix censenda sit, ex eo, quod saepius in Instrumentis etiam publicis vocetur Capella, vel etiam Oratorium. Ea vero circa annum 1472. ope Ill^{mae} Dominae Elisabethae à Tschernembl, quae plures domos pro extensione Ecclesiae, et aedificatione Conventus coemerat, ut supra visum, extensa fuerit plateam communem versus absque tamen Capellis Scapularistica, S. Antonii, et S. Francisci, quae posterioribus temporibus, ut paragrapho sequenti videbitur, adjecta erant. Ecclesia moderna sat spatiosa pro hac Civitate videtur (habet enim in longitudine orgias 15. et 6. pollicibus, et latitudine vero 7. orgias) ad eam tamen diebus Dominicis, et festivis tantus tum ex Civitate, cum ex vicinis pagis concurrere solet populus, ut ea saepius totum capere nequeat.

II. Quando prima Ecclesia S. Leonardi erecta, aut consecrata fuerit? nulla prostant monumenta, ex quibus id vel conjecturaliter conjici possit, id tamen *ex litteris Andreae Episcopi Ferentini supra c. 2. §. 2. n. 4. fol. 748. allatis* haud obscure colligitur, quod ea, antequam Fratribus Minoribus consignata fuisset, consecrationis beneficio donata extiterit, quia praelaudatus Episcopus in citatis litteris pro festo dedicationis ejusdem Ecclesiae quadraginta dierum Indulgentias concesserit. Secunda Ecclesia à Reverendissimo D. Paschasio de Galligujana dicto Episcopo Petinensi, ac Vicario Generali Patriarchae Aquilejensis Sacris liquoribus perlinita fuit, ut innotescit *ex quadam scheda in Archivio Conventus Neostadiensis reposita, et ex Protocollo Archivii Petinensis et instrumento consecrationis Petinae asservato*, de Ecclesia Monasterii Neostadiensis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci expressam mentionem faciente. De caetero *Paschasius* (quem *Valvasor Topogr. Carn. lib. 8. fol. 680. Pasqualinum, et Pasqualium* vocat, ac ad annum 1485. reponit) Cathedram Petinensem, et Vicariatum in Patriarchatu Aquilejensi extra forum Julii obtinuit juxta *P. Greiderer in Germ. Francisc. lib. 2. fol. 109. n. itidem 109.* anno 1478. et tenuit usque ad annum 1487. Ex quo deducitur, quod Ecclesia inter annos 1478. et 1487. consecrata fuerit circa finem mensis Augusti, quia anniversaria consecrationis dies hujus Ecclesiae

quotannis celebratur Dominica proxima post festum S. Bartholomaei Apostoli: consecrata verò erat sub titulo S. Leonardi, quia in festo ejusdem Sancti, quod cadit ad 6. diem mensis Novembris, semper celebratur hujus Ecclesiae patrocinium.

III. Dum de dedicatione Ecclesiae sermo institutus est, rem sane admiratione dignam promere, et narrare volui, videlicet quod circa festum dedicationis [...] ⁴⁷¹ vel saltem infra Octavam ejusdem omni anno ab immemorabili advolare soleant apes in magna quantitate, subin in minori, ac sese locare in muro Sanctuarii exteriori, ac post octo, aut decem dies denuo evanescunt. Res haec, si secundum se spectetur, mira omnino censenda est ex eo, quod semper in eodem loco, eodemque tempore semper se collocent: posset quidem dici, quod apes sequantur odorem mellis, quem prioribus annis reliquerunt. Sed quia hoc etiam alio tempore fieri posset, et non semper eodem tempore, res naturalem rationem omnino excedere videtur. Si quis sanis criseos regulis innixus rem aliter explicare quiverit, non sum contrarius, factum tamen in dubium vocare haud poterit, quia ipsemet triennali experientia observavi.

IV. Fuisse in Ecclesia Sancti Leonardi, antequam ea nobis traderetur, institutas duas Confraternitates, unam sub invocatione S. Leonardi, et alia sub invocatione S. Petri Apostoli, testificatur *Instrumentum introductionis* supra c. 2. §. 2. fol. 745. adductum, imo, quod Confraternitas S. Leonardi ad nostram introductionem renovata fuerit, patet *ex eodem instrumento*, in quo R^{mus} D. Andreas Episcopus Ferentinus, et Vicarius Generalis, in Patriarchatu Aquilejensi fatetur, quod novam Confraternitatem S. Leonardi cum antiqua unierit. His tamen temporibus neutra ex praedictis Confraternitatibus amplius in vigore est, quibus vero aliae substitutae sunt, et quidem prima est Archiconfraternitas Cordigerorum S. Francisci, de qua vide dicta in *Conv. Labac. c. 7. §. 3. n. 1. et seqq. fol. 334. et seqq.* Secunda est Sacratissimi Scapularis B. V. Mariae de Monte Carmelo erecta post extructionem Capellae anno 1695. De facultate erigendi hanc Confraternitatem nullum speciale prostat monumentum, unde erecta fuisse censetur vi generalis facultatis, quae à Vicario Generali Ordinis Carmelitarum P. Theodoro Straccio concessae P. Ministro Provinciali, et Guardiano provinciae Bosnae Croatiae, nunc Croatiae Carnioliae die 20. Junii 1615. uti videre est in *Conv. Labac. c. 7. §. 1. n. 1. fol. 328.* His Confraternitatibus accedit tertius S. P. Francisci Ordo introductus anno 1728. ut in ejusdem Ordinis libro adnotatum reperitur.

V. Anno 1731. fuit hic etiam erecta via Crucis, ubi prima statio erat in nostra Ecclesia, et ultimae in Sepulchro Domini penes *Stauden*, quia verò tempore pluvioso, praesertim hyemali obiri nequiverit, fuit ea anno 1735. cassata, ac in Ecclesiam reposita, quae à devoto populo magna cum pietate non tantum diebus veneris dum praecedente sacerdote processionaliter ducitur, sed quotidie pro

particulari cujuslibet devotione frequentatur. Praeterea â duobus concionatoribus quolibet dominico, et festivo copiose accurenti populo Divinum proponitur verbum. Organum modernum non leve praebet Ecclesiae ornamentum: illud fuit post incendium anno 1664. exortum ad partem laevam Chori positum, anno vero 1680. ad medium Chori collocatum, ut *scheda in organo reperta* denotat his verbis: *Mich hat übersezt, und gestimmt Johannes Faller Burger, und Orgelmacher in Laybach 1680.* anno 1698. fuit denuo ad laevam partem repositum: tandem anno 1764. fuit in eodem loco factum novum Organum â D'no Joanne Georgio Eisell cive, et organifice Labacensi, armarium elaboratum fuit â Fratibus domesticis Genuino Kerschpaumer arculario, et Alexio Rivalta sculptore natione Tyrolensibus. Campanile in debitam altitudinem exurgens tres continet mediocris mollis campanas, praeter eam, qua ad Sacra ordinaria populus convocatur. Major fusa fuit anno 1677. mediocris vero anno 1688. beneficio cujusdam Domini Lukantschitsch. Anno 1751. fuit novum stratum in Ecclesia ex lapide quadro factum.

VI. Non tantum domi, et in propria Ecclesia, ad quam quolibet festivo die copiosus solet accurrere paenitentium numerus, Patres Confessarii pro salute animarum indefessè laborant, sed etiam in subsidium Parochorum diversarum in vicinia consistentium Parochiarum signanter Parochiae *Treffinensis: Hönigsteinensis, B. V. Mariae in Stoppitsch, in Schemizh:* ad S. Bartholomaeum in *Campis*, ad S. *Cantianum* penes Radelstein in *Pleteriach*, ad *Albam Ecclesiam*, aliaque adeo frequenter, et copiose evocantur, ut saepius ob defectum Religiosorum nonnullis Parochis debitum charitatis auxilium denegari debet; lectores enim Philosophiae sine dispensio Religiosae juventutis ordinarie exmitti haud possunt, minus tres inferiorum scholarum Professores, minime vero duo anno 1778. introductae scholae normalis Professores. Plures itaque in hoc Conventu desiderantur Religiosi, ut omnium iis indigentium desiderio satisfieri possit: quia vero inspecta Conventus eleemosyna, quam acquirunt, plures ad eum collocari nequeunt, fit, ut plures eorum subsidio destituti remaneant.

§. II.

De Altaribus, eorum foundationibus, renovationibus et consecrationibus.

I. Praeter Aram Majorem honoribus S. Leonardi dicatam sunt in Ecclesia aliae 7. Arae videlicet 1^{ma} in Capella Scapularistica. 2^{da} Sanctissimae Trinitatis. 3^{ha} B. V. Mariae sine labe conceptae. 4^{ta} S. Antonii de Padua. 5^{ta} S. P. N. Francisci. 6^{ta} S. Margaritae de Cortona. 7^{ma} S. Joannis Nepomuceni. Iam de singulis agendo sumendum est initium ab Ara principaliori S. Leonardi Confessoris, quae in Ecclesia extitit, antequam ea nobis consignata fuit, cum autem annum 1472. D. Elisabetha â Tschernembl Ecclesiam suis sumptibus ampliaverit, dicendum est, quod etiam novam Aram proportionatam corpori Ecclesiae fieri

curaverit. Dum haec Ara prima ruinam minaretur, fuit alia nova substituta expensis R'mi, et amplissimi Domini Jacobi Kofferle Abbatis Sitticensis anno 1579. Tertia erecta fuit diversorum benefactorum eleemosynis industria P. Petri Seidetti tunc Conventus Guardiani conquisitis anno 1647. Quarta vero, quae nunc stat, opera A. R. P. Bernardini Gregoritsch iterato Ministri Provincialis erecta fuit anno 1723. Sicque Ara prima stetit annis 107. secunda annis 68. et tertia annis 76. Ad aram modernam novum tabernaculum factum fuit anno 1774. â Fratribus Evangelista Wurzer Arculario, et Alexio Rivalta Statuario. **P. Godefridus Pfeiffer in sua Hist. Conv. Neost. ad ann. 1716.** et iterum **ad ann. 1723.** hujus postremae Arae ponit erectionem, quia vero non est perceptibile, quod intra 7. annos duae Arae factae fuissent, unde hujus Arae erectio ad alterutrum annum ex dictis tantum reponenda est, nisi mavis dicere, quod anno 1716. incoepa, et anno 1723. primo totalem perfectionem attigerit.

II. Secunda Ara lateralis est in Capella speciali, ad quam per Sanctuarium aditus patet, â cornu Evangelii sita in honorem B. V. Mariae de Monte Carmelo. Fuit haec Capella unacum Altari extructa funditus â Perillustri Domino Wolffgango Conrado de Prekerfeld Medicinae Doctore, Castri Altenburg Domini et singulari Fratrum Minorum fautore. Obinde etiam per Patentes VDiff'rii declaratus fuit hujus Capellae, et Arae fundator, quamvis onus penes Conventum maneat Aram necessario suppellectili providendi, ac, quando necessitas exigeret, etiam novam erigendi. Fuit autem Capella una cum Ara aedificari coepta anno 1692. et perfecta erat anno 1695. quo anno, ut supra insinuavi, etiam Confraternitas Sacratissimi Scapularis introducta fuit, pro cujus defunctis membris haec Ara feria 4^{ta} Apostolica auctoritate privilegiata est. Post annos 21. vel 28. anno videlicet 1716. vel anno 1723. primae Arae Scapularisticae suffecta nova legitur **in Hist. Conv. Neost. ad dictos annos P. Pfeiffer**, ast mihi utrumque improbabile videtur, qui enim fieri potuit? ut Ara nova intra 21. vel 28. annos adeo corrodatur, ut ex integro nova fabricanda sit, nisi fors cartaceam fuisse dixeris. Tandem anno 1765. fuit denuo novum Altare in Capella Scapularistica factum per Fratres Genuinum Kerschpaumer Arcularium, et Alexium Rivalta Sculptorem, quam inauravit D. Antonius Fajenz civis Labacensis pro 226 f. quos diversi benefactores contribuerunt. Ad hanc D. Joannes Daniel de Schitfeld alias Jagsha argenteam lampadem fueri curavit, ac in suo testamento anno 1726. pro illuminatione illius 300. f. qui apud Provinciam Carnioliae investiti sunt, legavit illis verbis: **Vnd weilen ich eine silberne Ampel mit 100. loth silber, wovon Macherlohn 25. f. t. w. bezahlet worden, in die Scapulier Capellen, bey denen P. P. Franciscanern alhier machen lassen, also will ich zur ewigen beleichtung derselben 300 f. t. w. so gestalt verschafft haben, das solche durch mein Testaments Executorn bey der löb. Landshaft in Crain auf ewig angelegt, und darvon das Interesse alle Jahr den P. P. Franciscanern zu erkauffung des oels gerenhet werden solle.**

III. Tertia Ara in honorem Sanctissimae Trinitatis erecta sita est ex parte Epistolae penes portam inferiorem, per quam ex Sacristia ad Ecclesiam itur. Haec Ara primitus in honorem B. V. Mariae dicata erat, fuitque anno incerto extructa â familia Matachich, quae dum Patriciis Carnioliae adnumerata fuisset, assumpsit Praedicatum de *Seethal*. Pro manutenenda, et necessaria suppellectili providenda hac Ara D. Gregorius Matachich possessor Castri Altenburg anno 1656. legavit penes Civitatem unum agrum, ut **ex ejus propria manu signata scriptura** hujus tenoris patet:

Ego Gregorius Matachich Dominus in Holtenburg in inferiori Carniolia penes Rudolphswert Civitatem. Quandoquidem omnibus hominibus statutum est semel mori, cum nil certius morte sit, et nil incertius, quando? ideo ego supra-scriptus tamquam pro ultima mea voluntate, et testamento relinquo unum fundum meum proprium, id est mea propria pecunia emptum, et absque ulla alia caeterorum praetensione expertem, in territorio Novae Civitatis situatum B'mae, Magnaeque Genitricis Dei Mariae altari dedicato â meis antecessoribus in Ecclesia R. R. P. P. Franciscanorum Rudolphswert existentium: hac conditione tamen relinquo eidem altari, ut nullus Superior illius Conventus pro tempore existens â dicto altari illum fundum alienare possit, vel vendere, quia non alio intuitu dictus fundus Altari datus est, quam pro datatione, et rebus necessariis eidem altari quotidie occurrentibus: unde volo, ut solummodo Procurator, vel Pater Spiritualis pro tempore existens censum illius agri, vel fundi â tenente exigere possit, et valeat, neque volo, ut ullus meorum haeredum legitimorum aliquod jus supra illum agrum habere possit, nisi illo tempore, quo dicti R. R. Patres viderent illum agrum statui Seraphico repugnare, ita, ut nullo modo illum tenere possent, tunc dicti Patres dictum agrum haeredibus meis resignare tenebuntur hac conditione, ut mei haeredes in perpetuum necessaria altari providere teneantur, et hoc sub maledictione Omnipotentis Dei committo omnibus meis haeredibus, ne dictum agrum alienari â dicto altari permittant. Ideo has patentes adhuc laus Deo, integrae, et sanae mentis compos propria manu subscribere volui, proprioque meo sigillo pro majori fide adstruenda munire. Datum in Holtenburg die 7. Maji 1656.

(L. S.)

Gregorius Matachich

Dum haeredes cum praedicto onere agrum excolere nollent, et P. P. Franciscani, dum ad Reformationem Provincia transiisset, amplius possidere detrectarent, fuit is anno 1688. divenditus D. Joanni Baptistae Rochner pro 100. f. qui in Conventus necessitates absumpti sunt, cura penes Fratres remanente providendi necessariis altare: obinde etiam novum altare anno 1726. industria A. R. P. Bernardini Gregoritsch Provinciae Patris aliorum benefactorum eleemosynis constructum erat.

IV. Quarta Ara ex parte Evangelii sita, in honorem B. V. Mariae sine labe conceptae erecta est. Quando prima Ara facta fuerit? nullibi adnotatum reperi, moderna facta fuit pariter industria ARP. Bernardini Gregoritsch. Imago B. V. Mariae Immaculae Conceptionis miraculis claret, ut anathemata ad parietem affixa luculenter

demonstrant, et magna populi devotione colitur, quae devotio anno 1756. excitata fuit per juvenem quemdam Sacristiae Matthaeum nomine, is siquidem speciali affectu tenebatur in B. V. Mariam, unde ejus etiam aram specialiter exornare satagebat, quod

videntes alii saeculares etiam speciali devotione erga illam affecti in magna veneratione eam habere coeperunt.

V. Capella, et Ara in ordine quinta honoribus S. Antonii de Padua Orbis Thaumaturgi facta fuit perfracto muro anno 1665. à Domino Joanne Leonardo Mellar Senatore Rudolphswertensi, et pluribus annis Syndico Apostolico hujus Conventus. Cui vetustate corrosae Arae anno 1716. vel vero 1723. alia nova suffecta erat tempore secundi Provincialatus P. Bernardini Gregoritsch. Pro illuminatione, et ornatu Capellae, et Altaris non tantum Maria Anna praedicti Leonardi uxor legavit 222. f. 13 d. 1. seu 100. coronatos carn. mon. ut **ex ejus testamento die 4. Maji 1666 condito** patet his verbis: Viertens verschaffe ich zur zier, und beleichtung des altars in unserer Capellen S. Antonii de Padua Jährlich 12. f. welche mein geliebter H. Ehevogt, so lang ihme der liebe Gott sein leben fristet, zu reichen nicht unterlassen würdet, nach sein abscheiden aber sollen meine Erben 100. Cronen sicher, und gewiss anlegen, und das dauon gebührende Interesse Jährlichen zu besagten Altar auf ewig verordnen »Sed etiam ipsemet D. Leonardus Mellar huic Legato in Suo testamento facto 27. Aprilis 1674 adjunxit alios 500. f. carn. mon. prout illa verba praedicti Testamenti innuunt« ferner zur bezie, und beleichtung des Altars, und der Capellen S. Antonii legire ich 500 f. Capitals, welche auf ein gewisses orth angelegt, und dauon das Jährliche Interesse allhin appliciret werden solle. Beschehen zu Rudolphswert den 27. April 1674.

Hanns Leonhard Mellar

Utrumque hoc legatum investitum fuit anno 1681. apud Inclytam Carnioliae Provinciam una cum legatis factis tam pro Missis cantandis quam legendis.

VI. Erectionis Capellae S. Francisci, ac altaris annus determinatus adnotatus non reperitur, videt tamen ea facta fuisse circa annum 1599. à quadam familia Raabiana, cum ea in hac Capella propriam habent Cryptam, hodierna Ara cura, et opera P. Bernardini Gregoritsch, Provinciae Patris, natione Neostadiensis erecta fuit anno 1716. aut alio usque ad annum 1723. Anno 1747. Joannes Baptista Mayracher Mercator Neostadiensis Imaginem Salvatoris crucem portantis ad normam, et exemplar illius Imaginis, quae Graecii apud P. P. Franciscanos colitur miraculis clara, depingi benedici, et ibidem attingi curavit, Neostadium deportavit, ac suis expensis ad hanc S. Francisci Aram collocari fecit, quae sicut Graecii, ita et hic miraculis clarere coepit. Porro origo hujus Imaginis ex Archivo Graecensi haec fuisse refertur: fuit praedicta Imago in domo cujusdam Ill'mi Domini de Strobelhofen, quae ejus filiam vanitati deditam, et uno die ad saltum comptius sese praeparantem, pertranseuntem ita allocuta est: *En! intras ad exhilarandum te saltibus, et mundi gaudiis, et ecce ego grave crucis pondus tantis cum doloribus sustineo.* Qua voce commota vanitatibus valedicens in Ordine Carmelitarum Pragae Deo servire coepit, Imago vero publicae Venerationi in Ecclesia Fratrum Minorum exposita miraculis coruscat, quod factum praedicta puella jurate coram testibus

quoque juratis, ac Notario publico edixit.

VII. De Aris S. Margaritae de Cortona, et S. Joannis Nepomuceni, quae sub choro penes portam Ecclesiae prior ex cornu Evangelii, altera Epistolae sitae erant, nulla habetur memoria, praeterquam, quod eae erectae sint anno 1726. opera, et cura saepe laudati P. Bernardini Gregoritsch Neostadiensis, qui bina vice Ministri provincialis officio laudabiliter perfunctus est, ac 16. interpolatis annis hunc Conventum gubernabat. Hae duae Arae anno praedicto factae prius non extiterunt, quia nullibi aliqua memoria reperitur, quod annum praedictum praecessissent. Hae duae Arae cum Aris Sanctissimae Trinitatis et Immaculae Conceptionis B. V. Mariae consecratae erant anno 1740. ut oculares etiamnum viventes testes testimonium perhibent à R^{mo}, et Amplissimo Domino, Domino Alexandro Taufferer Abbate ad fontes Marianos prope Landstrass. Quod autem etiam aliae quatuor consecratae sint, ex eo patet, quod anno 1728. à P. Jacobo Hoffstetter Ministro Provinciali interdicto subjectae ab eo denuo liberatae erant, utique nonnisi demonstrata consecratione.

Caput V. De Sepulturis, Epitaphiis, ac viris conspicuis in hac Ecclesia sepultis.

§. I. De Epitaphiis, et Cryptis.

I. Prima in medio Ecclesiae Crypta tumulandis nostris Fratribus deservit. In Capella Scapularistica tres reperiuntur cryptae, quarum prima mox ad pedestalum altaris posita spectat ad fundatorem Capella videlicet Perillustrem Dominum Wolffgangum Conradum de Prekerfeld, ejusque posteros, **supra cujus mortualem lapidem** sequens legitur **inscriptio**:

Hanc sibi vivens aedem paravit
securatus tutela,
quam Conjugi, et posteris legavit
in Virginis Capella
ut ex humo factus, pariter redactus
morte praeventus, quiescit hic contentus.

Perillustris, ac Excell^{mus} Dominus Wolffgangus
Conradus à Praekerfeld de Impelhoffen A^o 1695.

Alia duo pleno jure spectant ad Conventum, **supra tertiam** mox ad portam haec legitur **incisa inscriptio**:

Gaudens erit ejus obitus
qui Mariae, dum viveret
fuit fidelis, et devotus. S. Hieron.

II. Sub pulpitu extat Epitaphium **D. Wilhelmi Villander**, qui **virili statura in lapide incisus est cum hac inscriptione**:

Hier liegt begraben der Edl und vöst Willham von Villanders zu Wördel der lezt des zunahmens gestorben am Charfreytag 1547. und sein Vatter Sigmund Villander ist auch hier begraben 1520. dem Gott gnad. *In lapide penes caput: sein alter 54 in summitate lapidis: Sic transit gloria mundi 1547. in inferiori lapidis parte: Kunigund Villandrisin eine gebohrne von Guttenberg starb im Jahr 1533. Anna Villandrisin ein gebohrne von Trautsam. In qua Crypta tumulati sunt praedicti de Villander? adnotatum non reperitur.*

III. In Capella S. Francisci est crypta familiae Raab, quae etiam ipsam Capellam fundavit, *supra sepulturam hoc legitur Epitaphium:*

Ich leb, und ihr solt auch leben Joan. 14. Hier ruhet in Gott der Edl vöste herr Gregor Raab, welcher den 3. Augusti 1599. Jahrs in Gott seelig entschlaffen, auch sein sohn der Edl vöste herr Martin Raab, welcher den 11. Julii 1622. Jahrs auch seelig entschlaffen, und der Martini sohn, der Edl vöste herr Georg Raab ist den 9. Augusti 1621. Jahrs seelig entschieden, denen allen Gott gnädig seyn wolle Amen 1625.

Notandum, quod hi sepulti fuerint effossa humo et non in Crypta, quia Crypta primo facta est anno 1666. per Joannem Raab, ut constat *ex quadam diffinitoriali concessione Catharinae à Raab natae Wernekerin facta*, ut in Crypta à suo conjugè Joanne facta sepeliri valeat.

IV. In spatio interjacente inter Capellas S. Antonii, et S. Francisci est Crypta D. Joannis Lenkovitsch, quae modo tertio Ordini S. Francisci data est, cum obligatione, ut Ordo quolibet anno Conventui 6. f. carn. mon. tradat, sive aliquis sepeliatur, sive non. *Epitaphium dicti Lenkovitsch sub ejusdem statua in muro* intra dictas Capellas posita est sequens:

Hier liegt begraben, und ruhet der Edl und gstreng Ritter Hanns Lenkovitsch zu Freythurn an der Culp weyland Kaysers Ferdinandi, und jeziger Kay. May. auch fürstlichen durch laücht herrn Carl Erzherzogen zu Österreich gewester Rath, und Obristfeldhaubtman der dreyen landen Steüer, Carnten, und Crain an den windishen, und Crabatishen gränzen, und mehr orthfleken, so gestorben ist den 22. tag Junii Im 1569. Jahr, dem Gott der Allmechtige sambt seinen alda begrabenen Sohn Wolff Christoph, und allen glaubigen seelen ein Christlichen vrstand verleichen wolle Amen.

V. A pulpitu versus aram S. Joannis Nepomuceni est Crypta olim spectans ad D. Georgium à Sigisdorff, demortua hac familia ea data fuit Dominis de Wuseth ex Fastenberg, sed et haec familia hujus lineae demortua est, qua extincta crypta denuo devoluta est ad Conventum. In muro penes Cathedram est *in lapide excisa statua praedicti Domini Sigisdorff cum haec inscriptione:*

Hier liegt begraben der Edel, und gestreng herr Georg von Sigißdorff zu Groß Winklern Röm. Kay. May. auch

fürstl. durchl. Rath, und gewester hauptman zu Zenk, sambt seiner gemahlin Anna ein gebohrne Semenischin, der gestorben den 16. Januarii Im LXXIII. Jahr, denen Gott gönne, und ein Christliche urstand verleychen wolle.

VI. Non procul ab Ara S. Joannis Nepomuceni latet una Crypta (nam lapis sepulchralis amotus est) in qua sepultus fuit Perillustis D. Christophorus Gall de Gallenstein, ut patet **ex Epitaphio lapidi penes praedictam Aram ad murum posito, inciso** sequentis tenoris:

Hier liegt begraben der Edl, und gestrenge herr Christoph Gall von Gallenstein zu Lung Römisch. Kay. und auch fürstl. durchl. Erzherzogen Carl zu Österreich gewester Rath, alß er an siebenten tag Aprilis 1576. Jahrs in den Allmächtigen Gott entschlaffen, dem Gott, und allen glaubigen seelen ein fröliche urstand verleichen wolle Amen.

VII. In Capella S. Antonii de Padua duae visuntur Cryptae, quas unà cum Capella D. Leonardus Mellar Conventus Parens Spiritualis, et Senator Civitatis Neostadiensis proprio aere extruxit. **Inscriptio in lapide mortuali incisa** sic sonat: Begräbnuß

Herrn Hanns Lenharten Mellar, und seiner gemahlin Anna Maria gebohrne Korschianschizin, alß Stifter dieser Capellen zu ehren Gott dem Allmächtigen, und des Hl. Antonii de Padua 1665.

VIII. Ante Aram Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae est quaedam Crypta alias ad Conventum spectans, in qua sepultus est R'mus D. Mathias Castelz Canonicus Rudolphswertensis, et Beneficiatus Ss^{mi} Rosarii, eximius Conventus benefactor, cujus beneficia demonstrant lampas argentea appensa ad Aram Majorem, erectio fornicis Ecclesiae, et turris, quae ipso dirigente tamquam Architecto perito extructa sunt. Hic vir venerandus, et ab omnibus amatus in nostra Ecclesia ideo sepeliri voluit, quia in Religione Franciscana habuit fratrem nomine P. Hyacinthum Castelz, prout ejusdem Epitaphium lapidi sepulchrali incisum innuit hujus tenoris:

Hic Mathias Castelz canonicus jacet
qui etiam mortuus non tacet
loquitur hic in fornice, et turri
nec silent alibi muri

Hic sciens architecturam
fecit sibi hanc sepulturam
et ut sit cum mundis

Petit à singulis unum Pater noster, vel de Profundis
clamat, ô viator! nec tace
saltem dic requiescat in pace
Dic ut docet Sanctus Sulpitius
Deus sit ei propitius.

Obiit in Domino A^o 1688. die XIX. Junii aetatis suae LXV.
Lux aeterna luceat ei Domine
cum Sanctis tuis in aeternum.

Soli Deo honor, et gloria
 Quaeris, cur voluerit sepeliri hic intus?
 ait, causa fuit meus frater Hyacinthus.

IX. Praeter jam specificatas Cryptas sunt et aliae, ast sine inscriptione, signanter est una Crypta in medio Ecclesiae, in qua jacet D. Gonser, item alia mox infra gradum est familiae Paradeiserianae, iterum alia Crypta est ante Aram Sanctissimae Trinitatis spectans ad familiam Matechich, nunc de Seethal dicta. Sub choro â diametro lapidis lustralis aquae extat etiam aliqua crypta, in qua tumulatus est quidam D. Canonicus Neühaus mortuus in Steinprikl, ut refert P. Gregoritsch. Post Cryptam Fratrum, ubi magnus aliquis lapis conspicitur, tumulati sunt effossa terra (unde nulla ibidem est crypta) D. Comes â Lamberg cum sua conjuge circa annum 1666.

§. II. De personis conspicuis in hac Ecclesia sepultis.

Multo plures nobilitate fulgentes, ac virtute conspicui viri in hac Ecclesia sepulti quiescunt, quàm ego adducere possum: incuria enim Fratrum factum est, ut plurimi non adnotati fuerint, aliqui tantum obiter sine mortis anno adnotarentur: unde eos tantum adferam, in quorum notitiam devenire potui.

1520. D. Sigismundus Villander Dominus in Wördel Patritius Carnioliae.

1533. Perillustis Domina Kunigundis Villandrisin, nata â Guttenberg, quae Sigismundi uxor fuisse creditur.

1547. D. Wilhelmus Villander Sigismundi filius ultimus hujus cognominis ann. 54. Anno incerto Domina Anna Villandrisin nata â Trautsam, quae fors Wilhelmi uxor erat.

1569. 22. Junii D. Joannes Lenkovitsch Dominus in Freythurn, Maichau, et Rupretshoff, Ferdinandi I. Maximiliani II. ac Caroli Archiducis Consiliarius, et Supremus Campi Capitaneus in Provinciis Styriae, Carinthiae, Carnioliae, ac Croaticorum confinium Minorum Fratrum fautor singularis.

An. inc. ejusdem filius Wolfgangus Christophorus.

1574. 16. Januar. D. Georgius â Sigisdorff olim Capitaneus Segniensis, ac Maximiliani II. Imper. Consiliarius.

Anno inc. Ejusdem uxor Anna nata Semenitschin.

1576. 7. April. D. Christophorus Gall â Gallenstein Dominus in Lueg, Caes. Maj. et Caroli Archiducis Consiliarius.

1599. 3. Aug. D. Gregorius Raab.

1619. D. Gabrik Chrysanich Dominus in Ödengraz, et Treffen.

1621. 9. Aug. D. Georgius Raab.

1622. 11. Aug. D. Martinus Raab, filius Gregorii, ac Pater Gregorii.
1659. Ill'ma D'na Dorothea Paradeiserin nata Hallerin, et relicta Vidua Wolffgangi Christophori Comititis de Frangepanibus Generalis Carlostadiensis.
1666. D'na Maria Anna Mellarin, nata Koschianshizin conjux Leonardi Mellar.
- ... circiter Ill'mus D. Joannes Georgius Buset Dominus in Fastenberg.
- ... D. Joannes Khern insignis hujus Conventus benefactor.
1674. intra Aprilem, et Octobrem D. Joannes Leonardus Mellar hujus Conventus Syndicus Apostolicus, et Capellae S. Antonii fundator.
1681. Excellentissimus D. Joannes Mathias Strassoldo Generalis, et Commendans Carlostadiensis.
1688. 19. Junii A. R. D. Mathias Castelz canonicus Rudolphswerthensis Beneficiatus Ss^{mi} Rosarii, ac hujus Ecclesiae singularis benefactor.
- ... Perillustis D. Joannes Baptista Gonser Medicinae Doctor.
1695. Perillustis D. Wolfgangus Conradus â Praekerfeld Med. Doctor, D'nus in Altenburg, fundator Capellae Scapular.
1706. Ill'ma D'na Eva Francisca L. B. nata Comitissa pariter Paradeiserin ex Poganz.
1710. Anna Maria Maspach nata de Coppinis.
1712. circiter Nobilis Domicella Constantia Wolffin.
1714. Perillustis D. Herbardus de Buset Dominus in Fastenberg.
1717. Ill'ma Domina Dorothea Comitissa â Saurau nata Comitissa Paradeiserin.
1719. quaedam Domina Baron. de Guschitsch.
1720. Ill'mus D. Christophorus Comes â Saurau.
1726. D. Joannes Daniel de Schitfeld alias Jagsha hujus Conventus parens Spiritualis, et insignis benefactor.
1751. Domina Maximiliana Paur vidua ex Styria oriunda.
1752. 10. Feb. Domina Theresia Jenkin nata Wankin.
1753. Perillustis D. Jacobus Philippus Grebbin Medic. Doct.
1760. Ill'mus D. Maximilianus L. B. ab Erberg Capitaneus Circuli inferioris Carnioliae.
- ... In Junio Perillustis D. de Praekerfeld Dominus in Altenburg ann. 75.
1765. Rev. D. Ludovicus Bartholomaeus Fritschko Presbyter.
- ... 6. Julii Ill'ma Domina Francisca Xaveria de Illiaschich nata Bar. Gallin de Gallenstein.
1766. In August. D. Petrus Nicolaus Jurko Medic. Doct.

Caput VI.
Catalogus Fratrum (quorum notitiam haberi potuit)
in hoc Conventu pie in Domino defunctorum.

1490. Rel. Fr' Franciscus de Burgundia laicus
 P. Joannes de Gmund optimus confessor, et eximius paupertatis amator.
1498. Fr' Erhardus laicus.
1505. P. Michael de Labaco bonus Praedicator, et Guardianus.
1507. Fr' Andreas de Enzerstorff laicus.
1510. P. Ignatius de Rattenberg.
 P. Mathias de Croatia.
 Fr' David de Rudolphswert laicus.
1511. P. Nicolaus de Schönstein, egregius in germanica, et Sclavonica lingua Concionator.
 P. Ludovicus de Lengenfeld Guardianus.
1518. Fr' Felicianus de Sclavonia laicus Sacrista.
1520. Fr' Marcellinus de Steindorff Clericus.
1524. P. Mathias de Vienna, olim Conventualis.
1525. P. Christophorus à S. Hippolyto saepius loci Vicarius et Novitiorum Magister.
 Fr' Bernardinus laicus exemplaris, Procurator
1526. Fr' Marcus de Villaco laicus.
 P. Isidorus de Innichen.
1528. P. Jacobus Praedicator, et Procurator.
1530. P. Hilarius de Gottschee, Concionator.
 P. Joannes de Kempten, qui in incendio oppidi Neustattel miserè periit.
1531. P. Bartholomaeus de Stein per 12. annos Praedicator, vir hilaris, ac maxime patientiae.
1532. Fr' Udalricus de Offenbach laicus senex.
 P. Sebastianus de Rudolphswert Praedicator fervidus, et populo Sclavonico gratissimus.
1538. Fr' Mathias de Littau laicus.
 Fr' Leonardus laicus devotissimus.
 P. Pancratius de Rudolphswert Praedicator, olim Guardianus.
 P. Pancratius de Fürstenfeld, Guardianus.
1539. Fr' Ambrosius de Bulcka laicus.
1548. P. Joannes de Hungaria, pius, doctus, ac devotus: ex vulnere cujusdam Lutherani obiit.
1577. Fr' Stephanus de Rakespurg laicus.
1653. In Junio Ill'mus, et R'mus P. D. Michael Chumar bis Min'r Provi'alis, [Episcopus Christonopolitanus, Praepositus Rudolphswertensis, Suffraganeus Labacensis, ac Provinciae Carnioliae Deputatus].⁴⁷²
1655. 24. Dec. A.R.P. Leo Magliavaz bis Minister Provi'alis ann. ... Rel. 44.
1662. 6. Jul. MVP. Bonaventura Grivaz Neostad. ann. ... Rel. 35.

1668. 13. Maji MVP. Stanislaus Remus Praesidens Runensis.
 1676. ... ARP. Paulus Langer Ex-Minister Pro'alis.
 1683. 28. Feb. V.P. Petrus Zhurn ann. 42. Rel. 21.
 1690. 27. Aug. V.P. Anselmus Sidon Vic. act. ann. Rel. 11.
 1692. 5. Aug. V.P. Stephanus Wiestinger ann. 24. Rel. 9.
 1693. 26. Jan. Rel. Fr' Bernardinus Wolff laic. ann. 51. Rel. 18.
 5. Aug. Rel. Fr' Simon Amon Cler. ann. Rel. 2.
 27. Nov. V.P. Didacus Wezstein ann. Rel. 17.
 1699. 31. Aug. Rel. Fr' Callistus Oberzhauser laic. Novit. ann. 24.
 1701. 12. Dec. V.P. Joannes Enders an. 24. Rel. 8.
 22. Dec. A.V.P. Joannes Baptista Schlibnig Ex-Diff'or ann. 46. Rel. 27.
 1703. 10. Jan. V.P. Alphonsus Tox Organista.
 1706. 10. Jun. V.P. Amandus Mayr ann. 52. Rel. 31.
 1707. 22. Mart. V.P. Felicianus Grienthall ann. Rel. 21.
 26. Martii Rel. Fr' Raphael Caphau cleric. Novit.
 1708. 16. Martii M.V.P. Josephus Urbanizi lect. act. ann. Rel. 16.
 19. Jul. A.V.P. Antonius Bressan Concion. egeg. bis Ex-Diff'or ann. 70. Rel. 50.
 1710. 9. Jul. V. Fr' Romualdus Pernath cler. act. Philos. lector ann. 26. Rel. 8.
 1713. 25. Oct. Rel. Fr' Donulus Eckhard laic. Chyrurg. ann. 27. Rel. 7.
 1714. 25. April. Rel. Fr' Josephus Geiger laic. Sart. ann. 50. Rel. 28.
 15. Sept. Rel. Fr' Josephus Bauzher cler. Philos. studens ann. Rel. 4.
 1715. 28. Jun. Rel. Fr' Simon Grill cler. Philos. studens Ann. Rel. 3.
 1718. 21. Martii Rel. Fr' Elzearius Mayr laic. Arcul. ann. Rel. 11.
 1719. 27. Aug. V.P. Placidus Direin ann. Rel. 31.
 1723. 25. Jan. Rel. Fr' Paschalis Pader laic. ann. Rel. 38.
 1724. 2. Jan. V. P. Wolffgangus Staniz Con'or act. ann. Rel. 11.
 1727. 16. Mart. MVP. Nicolaus Rosman Ss. Theol. lect. ann. Rel. 19.
 1728. 24. Dec. Rel. Fr' Pancratius Castelz laic. ann. Rel. 16.
 1730. 4. Jun. Rel. Fr' Elias Suppanchich laic. ann. Rel. 58.
 1733. 6. Maji A.V.P. Sigismundus Babel Conc. Vic. Guard. et bis Ex-Diff'or ann. Rel. 42.
 21. Aug. A.R.P. Bernardinus Gregoritsch Con'or, lect. Gn'lis, hujus Conv. 17. annis Guard. Secret. Prov. Ex-Custos, ac bis Minister Provi'alis, atque Provinciarum Ss'mi Salvatoris in Hungaria anno 1700. S. Bernardini in Austria anno 1714. S. Ladislai in Sclavonia anno 1724. et S. Leopoldi in Tyroli anno 1725. Commissarius Visitator Generalis.

790

1735. 2. Oct. V.P. Emanuel Fritschko Philos. lect. ann. 28. Rel. 8.
 1737. 12. Feb. V.P. Sebastianus Budler ann. 26. Rel. 4.
 7. Dec. V.P. Damianus Kaltschitsch Philos. lect. an. 27. Rel. 12.
 1738. 18. Aug. Rel. Fr' Adalbertus Kronberg laic. Chyr. an. 49. Rel. 25.
 1741. 6. Sept. V.P. Bernardinus Ude Phil. lect. ann. 27. Rel. 11.
 21. Dec. M.V.P. Gelasius Pauletig Con'or, Guard. an. 47. Rel. 23.
 1745. 15. April. M.V.P. Probus Maiditsch Con'or, Guard. an. 65. Rel. 45.
 7. Jul. Rel. Fr' Elzearius Fridel laic. ann. 56. Rel. 36.
 1746. 17. Mart. Rel. Fr' Clemens Consulich cler. Philos. studens ann. 19. Rel. 3.
 20. Apr. V.P. Innocentius Aver Organ. ann. 33. Rel. 13.
 1748. 11. Aug. Rel. Fr' Landelinus Kronbitter laic. Arc. Novit. fulmine tactus
 ann. 24. Rel. 23. dierum.
 5. Sept. V.P. Agnellus Markovitsch ann. 33. Rel. 16.
 1749. 19. Jan. Rel. Fr' Bruno Camerer laic. ann. 63. Rel. 39.
 1751. 3. Maji Rel. Fr' Concordius Cierheimb cler. Philos. studens eximia humili-
 tate, et morum innocentia fulgens an. 20. Rel. 3.
 29. Junii Rel. F. Benedictus Kronbitter laic. ann. 58. Rel. 38.
 1754. 30. Mart. A.R.P. Benno Waltreich Con'or, lect. Gn'lis, Secret. et Diff'or
 Pro'ae, ac Ex-Minister Provincialis, fuit anno 1748. Provinciae S. Leopoldi
 in Tyroli, et anno 1750. Provinciae Bavariae S. Antonii Commiss. Visitat.
 Gn'lis. ann. 53. Rel. 36.
 1756. 8. Jul. V.P. Raphael Zirkovitsch ann. 42. Rel. 18.
 1757. 23. Feb. Rel. F. Hortulanus Plazer cler. Philos. stud. an. 21. Rel. 3.
 1758. 27. Jul. Rel. Fr' Erasmus Zhemasser tert. ann. 55. Rel. 23.
 2. Sept. Rel. Fr' Gotthardus Lohn laic. ann. 53. Rel. 32.
 1759. 13. Aug. V.P. Accursius Bauzher ann. 47. Rel. 27.
 1760. 10. April. Rel. Fr' Arsenius Pierling laic. Chyr. an. 48. Rel. 25.
 1769. 10. Apr. Rel. Fr' Zacharias Mayr laic. Arcul. an. 48. Rel. 28.
 1773. 19. Apr. Rel. Fr' Canutus Rosinger laic. Novit. ann. 22.
 1775. 17. Mart. A.R.P. Godefridus Pfeiffer Conc. lect. gener. saepius Diff'or, et
 ter Minister Provincialis ann. 68. Rel. 50. et 4. mens.
 1778. 6. Nov. V.P. Sigefridus Kallan Con'r, Carn. Locop. an. 59. Rel. 37.
 1783. 6. Mart. Rel. Fr' David Haberle Tert. ann. 52. Rel. 24.
 1786. 5. Jun. Rel. Fr' Sabinianus Kierner Laic. Franco-Eichstad. an. 60. Rel. 38.
 14. Jul. R.P. Bartholomaeus Jenitsch Carn. Prof. Norm. an. 35. R. 17.

Caput VII.

Elenchus P. P. Guardianorum, quorum notitia haberi potuit.

- MVP. Andreas de Nova Civitate, primus hujus Conventus Guardianus anno 1472.
 MVP. Michael de Labaco Praedicator egregius 1505.
 MVP. Sebastianus N. Praedicator in lingua Sclavonica egreg. 1508.
 MVP. Ludovicus de Lengenfeld 1511.
 MVP. Sebastianus N. qui supra 1512.
 MVP. Paulus de Pfedersheim 1513. 1514. 1515.
 MVP. Pancratius de Rudolphswert 1516. 1517. 1518.
 MVP. Pancratius de Fürstenfeld 1538.
 MVP. Ludovicus N. 1597.
 R.P. Andreas Strakl Ex-Custos 1620. 1621. 1622. 1623.
 A.R.P. Franciscus Glavinich Con'or Apost. ter Min'r Provincialis 1632. 1639. 1640.
 R.P. Alexander Rampl Prov'iae Ex-Diff'or 1640. 9. Julii 1641.
 A.R.P. Leo Magliavaz Ex-Diff'or, Ex-Custos, et bis Min'r Provincialis 1642.
 A.V.P. Georgius Ugolinus Ex-Diff'or 1643. 1644.
 A.V.P. Petrus Seidetti Ex-Diff'or 1647. 1648. 1649.
 A.V.P. Fabianus Widmer bis Ex-Diff'or 1650.
 A.R.P. Leo Magliavaz bis Ex-Minister Provincialis 1651. 1652. 1653.
 M.V.P. Maxentius â Castua Con'or 1654.
 A.R.P. Leo Magliavaz Provinciae Pater 1655.
 A.V.P. Dominicus Pizzulini Con'or, Ex-Diff'or 1656. 1657.
 M.V.P. Gabriel Tonjutto Con'or 1658.
 A.V.P. Dominicus Pizzulini Con'or Ex-Diff'or 1659. 1660.
 M.V.P. Gabriel Tonjutto Con'or 1661.
 M.V.P. Vincentius Comell 1662. 1663. 1664.
 M.V.P. Zacharias Textorius Con'or Gn'lis 1664. elect. 15. Nov. item 1665.
 M.V.P. Maxentius â Castua Con'or, Ex-Diff'or 1666.
 M.V.P. Vitalis Majeritsch Con'or 1667. 1668.
 M.V.P. Laurentius Thomassich Con'or 1669.
 M.V.P. Paulus Surian Con'or 1670. 1671.
 M.V.P. Pontianus Novak Con'or 1672.
 M.V.P. Josephus Bossich Con'or 1673.

- M.V.P. Vincentius Lampretich Con'or 1674.
 M.V.P. Bonaventura Spindler Con'or 1675.
 M.V.P. Pontianus Novak Con'or 1676.
 M.V.P. Franciscus Mazoll Con'or lect. gener. 1676. elect. 16. Sept.
 M.V.P. Antonius Kraa Con'or, lect. Theol. 1677.
 M.V.P. Constantinus Perkopiz Con'or 1678.
 M.V.P. Franciscus Kimerle Con'or 1679. 1680.
 M.V.P. Ferdinandus Stadler Con'or, lect. Theol. 1681. 1682. 1683.
 M.V.P. Augustinus Decleva Con'or 1684. 1685. 1686. 1687.
 A.V.P. Antonius Bressan Con'or gener. Ex-Diff'or 1688.
 A.V.P. Ferdinandus Stadler Con'or, Ex-Diff'or 1689. 1690.
 A.V.P. Augustinus Decleva Con'or, Ex-Diff'or 1691. 1692. 1693.
 M.V.P. Vitus Juriavitsch Con'or, et lect. 1693. elect. 16. Nov. et 1694.
 M.V.P. Angelicus Direin Con'or, et lect. 1695.
 A.V.P. Augustinus Decleva Con'or, Ex-Diff'or 1696. 1697.
 M.V.P. Wenceslaus Muchiz 1689.
 M.V.P. Bonaventura Gietler Con'or, lect. Theol. 1699.
 M.V.P. Gaudentius Lingo 1700.
 A.R.P. Conradus Ziegler, Con'or, lect. Ex-Diff'or, et Prov. Pat. 1701.
 M.V.P. Petrus Stibelli Con'or, lect. Theolog. 1702. 1703. 1704.
 M.V.P. Vitus Juriavitsch Con'or, lect. 1705.
 M.V.P. Coelestinus Stuedler Con'or, lect. gener. 1706. 1707.
 A.R.P. Bernardinus Gregoritsch Con'or, lect. gener., Ex-Cust. Prov. Pat. 1708.
 1709. 1710.
 A.V.P. Mauritius Bobner Con'or, lect. gener., Ex-Diff'or 1711.
 A.R.P. Bernardinus Gregoritsch Con'or, lect. gener., Ex-Custos, et Provinciae Pater
 1712. 1713. 1714.
 M.V.P. Fridericus Skerpin Con'or 1715.
 A.R.P. Bernardinus Gregoritsch Con'or, lect. gener., Ex-Custos, et Provinciae Pater
 1716. 1717. 1718.
 M.V.P. Constantius Feitel Con'or, lect. gener. 1719.
 M.V.P. Fridericus Skerpin Con'or 1720. 1721. 1722.

- M.V.P. Joannes Capistranus Battig 1723.
 A.R.P. Bernardinus Gregoritsch Con'or, lect. gener., Ex-Custos, et bis Minister Provincialis 1724. 1725. 1726.
 M.V.P. Calixtus Watscher Con'or, lect. 1727.
 A.R.P. Bernardinus Gregoritsch Con'or, lect. gener., Ex-Custos, et iterato Ex-Minister Provincialis 1728. 1729. 1730.
 A.R.P. Sigismundus Babel Con'or, lect. bis Ex-Diff'or 1731.
 A.R.P. Bernardinus Gregoritsch Con'or, lect. gener., Ex-Custos, et bis Minister Provincialis 1732. 1733. usque ad 21. Aug. quo die obiit.
 R.P. Antonius Khallan Con'or, lect. Emerit. Ex-Diff'or 1733.
 M.V.P. Benno Waltreich Con'or, lect. gener. 1734.
 M.V.P. Albertus Cerne Con'or, lect. Theol. 1735. 1736. 1737. 1738. ut Praesidens usque ad 6. Dec. 1739.
 M.V.P. Maximilianus Clevisher Con'or, elect. 6. Decemb. 1739. 1740.
 M.V.P. Cosmas Tauber Con'or 1741.
 M.V.P. Deodatus Zhebull Con'or, lect. gener. 1742.
 M.V.P. Cyrillus Makay Con'or 1743.
 A.V.P. Albertus Cerne Con'or, Lect. Theol. Ex-Diff'or 1744.
 M.V.P. Godefridus Pfeiffer Con'or, lect. gener. 1745. 1746. 1747.
 A.R.P. Benno Waltreich Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or, Prov. Pat. 1748. 1749. 1750.
 M.V.P. Angelinus Coballi Con'or, lect. 1751.
 A.R.P. Godefridus Pfeiffer Con'or, lect. gener. Prov. Pat. 1752. 1753.
 M.V.P. Archangelus Michelitsch Con'or, lect. gener. 1754.
 M.V.P. Adolphus Bobner Con'or 1755. 1756. 1757.
 M.V.P. Jacobus Wocalitsch Con'or 1758. 1759.
 A.V.P. Florianus Tschokl Con'or, Lect. Theol. Ex-Diff'or 1760.
 M.V.P. Bernardinus Schurg Con'or 1761. 1762. 1763.
 R.P. Bonavita Dietrich Con'or, Ss. Theol. lect. Ex-Diff'or, Ex-Custos 1764.
 M.V.P. Bernardinus Schurg Con'or 1765. 1766. 1767.
 M.V.P. Ludovicus Buset Con'or, Lect. gener. 1768.
 R.P. Bonavita Dietrich Con'or, Ss. Theol. lect. bis Ex-Diff'or, Ex-Cust. et Vicarius Provinc. 1769. 1770. 1771.

M.V.P. Bernardinus Schurg Con'or 1772. 1773. 1774.
 M.V.P. Jordanus Zirrer Con'or, Lect. gener. 1775. 1776. 1777.
 A.V.P. Jacobus Wocalitsch Con'or, Ex- Diff'or 1778. 1779. 1780.
 MVP. Castulus Weibl Con'or, lect. G'lis 1781. 1782. 1783.
 AVP. Carolus Novak Con'or, lect. G'lis, Ex-Def'or 1784. 1785. 1786. 1787.
 M.V.P.⁴⁷³ Mauritius Pöhm ab año 1788. usque ad añum 1802. inclusive.
 M.V.P. Nereus Floriantschitsch 1803.
 M.V.P. Augustinus Herrenfort Con'r Lect. Phl'iae 1804. 1805.
 A.R.P. Regalatus Massitsch Df'tor 1806. 1807. 1808. 1809.
 M.V.P. Gratus Mauermayr Praefec. Gymn. 1810.
 M.V.P. Hugolinus Leiler 1811. 1812. 1813. 1814. 1815. 1816. 1817. 1818. 1819. 1820.
 Año 1820. [Nb. Deinde eligebantur tempore Capituli vel Congregationis ordinarie
 mense Augusto v. Septembri, proinde ultimus annus praedecessoris non
 est completus, sed tantum usq. ad electionem subsequentis].⁴⁷⁴
 ARP. X'tomus Foghck Carolopolitanus 1821. –
 Año 1821. A.R.P. Verecundus Porenta, Ex-Min'r, Custos 1822. 1823.
 ~ 1823. M.R.P. Carolus Schelesnig Con'or 1824. 1825. 1826.
 ~ 1826. M.R.P. Angelus Gorenz Con'or, Prof. et Gym. Praefectus 1827. 1828.
 1829. 1830. 1831. 1832. 1833. 1834. 1835. 1836. 1837. 1838. 1839. 1840.
 1841. 1842. 1843. 1844. Min'r Prov'. electus.
 ~ 1844. M.R.P. Rudolphus Ovsenek Ex-Df'tor 1845. 1846. 1847.
 ~ 1847. A.R.P. Angelus Gorenc, Ex-Min'r, 1848. 1849. 1850.
 ~ 1850. M.R.P. Fulgentius Arko, Gym. Prof. 1851. 1852. 1853. 1854. 1855. 1856.
 1857. 1858. 1859. 1860. 1861. 1862.
 ~ 1862. M.R.P. Burghardus Schwinger, Gym. Prof. 1863.
 ~ 1863. M.R.P. Bernardus Vovk, Gym. Prof. 1864. 1865.
 ~ 1865. M.R.P. Raphaël Klemenčič, Gym. Prof. 1866. 1867. 1868.
 ~ 1868. M.R.P. Ignatius Staudaher, Gym. Catech. 1869.
 ~ 1869. R.P. Bernardus Vovk, qui supra, 1870. 1871. 1872. 1873. 1874. 1875.
 1876. 1877. 1878. 1879.

Sigillum

Conventus Neostadiensis praesefert imaginem S. Leonardi ad pedes habentis mitram, in manu sinistra per medium transversum baculum Abbatialem, ac in manu dextera unam seram tenentis cum hac in orbe inscriptione: SG. CONV. NEOST. ORD. MIN. S. FRANC. REFORM.

4. Junii 1779.

V. CONVENTUS

Ad

S. P. N. Franciscum

In Civitate Segniensi

In citeriori Dalmatia

Caput I.

De civitate Segniensi.

I. Segnia, alias *Senia*, *Sena*, italisch *Segna*, Germanisch *Zeng*, vulgo verò *Sein*, vel *Senn* Civitas est in citeriori Dalmatia sita ad ripam Adriatici maris, vulgo *Golfo di Carnero*. Ex parte meridionali, et septentrionali duobus montibus conclusa est, ex occidentali plaga dicto mari terminatur, ex parte Orientis vallis est ferme 3. horarum longa, cui imminet Mons *Uratnig*; de Monte hoc vulgus narrat, quod, si ejus cacumine ignis accendatur, tam vehemens oriatur boreas, ut si hostiles naves Civitati appropinquarent animo eam expugnandi, omnes non sine manifesto submersionis periculo retrocedere cogantur. Distat Segnia Flumine, seu Tersacto 8. germ. milliar. et Labaco 22. mill. estque quasi media inter Flumen et Carlobagum. *Segniam* à Senonibus Gallis non secus, ac *Senogalliam* Umbriae civitatem olim conditam fuisse probat **Author Topographiae Magni Regni Hungariae citans cl. D. Ludovicum Schönleben Carn. ant. c. 3. §. 7.** cui etiam consentit cl. **D. Paulus Ritter Eques auratus, praecipuum hujus Civitatis ornamentum, utpote in ea genitus.** Vir erat omni scientiarum genere apprime versatus. Ejusdem opinionis est etiam **Valvasorius in Topogr. Carn. lib. 13. pag. 80.** Fuit autem *Segnia* aedificata ante Christum natum 522. annis, ut innuit in suis versibus, quos de civitate Segniensi cecinit R'mus **D. Josephus Maria Zottoni Archi-Parochus Ottociczensis indefessus antiquitatum indagator** hoc versu:

Ante ortum Christi quingentis atque viginti
adde suos annos Martia Segna stetit.

II. Praeter duos Conventus videlicet P. P. Franciscanorum ad S. Franciscum Seraphicum, de quo in seqq. cap. et R. R. P. P. Paulinorum Ordinis S. Pauli primi Eremitae ad S. Nicolaum numerantur in hac civitate et aliae 12. Ecclesiae, ex quibus principem sibi vendicat locum Ecclesia Cathedralis sub vocatione B. V. Mariae. 2^{ta} est honoribus S. Georgii Civitatis Patroni dicata. 3^{ta} Ecclesia est S. Annae Matris Dei

Genitricis. 4^{ta} S. Innocentio Sacra. 5^{ta} S. Mariae Magdalenae. 6^{ta} S. Joannis Baptistae Praecursoris Domini. 7^{ma} Sancti Spiritus. 8^{ha} S. Rochi confessoris. 9^{ma} B^{mae} Virginis Mariae. 10^{ma} S. Antonii Abbatis. 11^{ma} S. Viti Martyris. 12^{ma} denuo B^{mae} Virginis Mariae. Postquam Modrussa â Turcis eversa, ac diruta fuisset, erant adhuc aliqui Episcopi Modrussenses electi, qui verò extorres, et exules fuêre, totaque cura Dominici Gregis in Patres Franciscanos incubuit, post annum circiter 1562. administratio Ecclesiae Modrussiensis demandari coepit Episcopis Segniensibus, ut legere est **apud P. Daniele** **Farlato tom. 4.** quae Ecclesiae nunc canonicè unitae appellari solent.

III. Observandum hic venit: *primò*, quod si verum est, quod circa annum 1562. (ut ait **Farlatus**) administratio Ecclesiae Modrussiensis commissa fuerit Episcopo Segniensi, sequatur, Episcopos Modrussenses jam ante eversam Modrussam exules fuisse ob metum Turcarum, qui vicinas regiones devastabant, ac ob defectum debitae, et honestae sustentationis; nam juxta Paulum Vitezovich Modrussa primò anno 1591. â Turcis diruta fuit. Tum quia noster Conventus Modrussae eodem anno 1565. adhuc stetit, utpote cum hoc anno ibidem Capitulum Provinciale nostrae Provinciae celebratum fuerit. *Secundò* observandum est, quod in loco, ubi nunc sunt P. P. Paulini, olim fuerint P. P. Dominicani, qui ex quibus causis? ignoratur, post annum 1635. Conventum deseruerunt, ac in eorum locum per Joannem Baptistam Agatich ex Ordine S. Augustini Episcopum Segniensem P. P. Paulini introducti fuerint anno 1646. ita **Farlatus loc. cit.** Episcopus Segniensis olim subiectus erat Ecclesiae Spalatensi, nunc verò est Suffraganeus Archiepiscopi Coloczensis in Hungaria. In Civitate Segniensi, sicut et in tota fermè [**Civitate**] **Dioecesi**⁴⁷⁵ Missae tum privatae, cum cantatae sicut et caetera Divina Officia peraguntur in lingua Sclavonica, seu Illyrica, quae communis in his partibus est, quamvis etiam multi italica utantur. Suo tempore etiam germanica florebit, cui per introductionem germanicae scholae normalis his novissimis temporibus initium jam datum est.

IV. Segniensis Civitatis incolae ab arte militari terrâ marîque olim apprime commendati erant, prout tot ab iis contra Turcas aliosque hostes reportatae victoriae luculenter demonstrant, quas **Valvasorius, et Paulus Vitezovich** adducunt. Praepriis anno 1241. Segnienses in campo Grobnicensi juncti Friderici, et Bartholomaei fratrum de Frangepanibus militi strenuam opem tulerunt in profligandis Tartaris Belam IV. Hungariae Regem ad partes maritimas profugum insequentibus, quorum **juxta Valvasorium** 65000. **et juxta Vitezovich** 56000. caesa erant. Anno 1557.

D. Herbardus ab Aversperg pro tunc Capitaneus Segniensis cum 340. Segniensibus non procul â Civitate 4200. Turcas prostravit. Anno 1569. D. Jodocus Josephus Comes â Thurn, Capitaneus Segniensis cum 280. Segniensibus sub *Perussich* 2700. Turcas devicit, quorum primarios Officiales cum mille aliis occiderunt, et multos in captivitatem abduxerunt. Anno 1601. Segnienses *c[a]leperunt*⁴⁷⁶ in mari navim Turcicam, in quâ erant 236. latrones maritimi, quos omnes occiderunt, et praedam Segniam deportarunt.

V. Quia verò rapinis nimis inhiabant, etiam naves Venetae ab iis non obstante arcta pace saepius spoliatae erant, quae res tantas turbulentias inter Imperatores, et Reges, ac Rempubicam Venetam excitavit, ut ad arma ventum fuerit. Ne verò ego Segniensium gloria injurius proclamer, narrata jam, et per evulgatos libros publicata, in medium adfero *ex Joanne Palatio, qui part. 2. Aquilae Austriacae fol. 132.* his verbis Segniensium mores perstringit: Extorres, novarumque rerum cupidi terrâ, marique excursionibus pyraticeis incommodi vicinis esse coeperunt invito Caesare ... Haec cum Patribus molesta essent, ad Principes, Caesarem, et Archiducem, sub cujus imperio vivunt, *Uschkoki*, discrimen referentes Turcarum, ni eorum insolentia reprimeretur, cum Principum justitia, et aequa mandata effrenem coercendi populum ex ministrorum avaritia cederent, arma Veneti corripuere, classis legatis dato mandato de *Uschkokis* persequendis, quod anno contigit 1576. Tum Caesar Maximilianus vehementer commotus, ne imposterum Segnienses alicui damna inferendo pacem turbarent, mandavit ablata restitui, sotes puniri, perfugia solo aequari. Haec in speciem Aula, nam praeda asportata non restituitur. Ministri deluso Caesaris decreto conspirabant potius, quam providebant. Hinc anno 1578. numero aucti praeteritorum impunitate insolentiores facti, non minus in Venetos, quam in Turcas grassabantur. Strepente Turcâ, cum Rudolpho Caesare Veneti officia renovant, ut tandem saevissimos pyratas coacercent. In Caesare magna molestia, vehemens coercendi rapinas desiderium, ampla promissa; contra in Ministris summa negligentia, perexiguum obsequendi studium, quod avaritiâ corrumpebatur. Hisce officiis severiora Senatus consulta addita. Praefecto classis jussum, Segnienses obsidione premere, ne Flumine, ac Bucari oppidis commeatus importaretur in Urbem, reclamante Carolo Archiduce Austriae Fluminensibus sibi subjectis, quos â Segniensium sceleribus affirmabat immunes, navigatione interdici, proinde per legatum Caesaris, ut obsidione solverentur, contendebat Anno tandem 1613. *[celerius classicum canerent] cum sceleri ius datum canerent*,⁴⁷⁷ dum Veneti apud Mathiam Imperatorem vicinis omnibus, et praecipuè Sultano â pyratibus damna exponerent illata, hi sex *celocibus*⁴⁷⁸ Papi Insulam appulsi, ubi Christophori Venerii triremis pernoctabat, negligentia vigilum, qui somno sopiti excubias agebant, facile triremem occuparunt, Remiges, milites, Nobiles, jussi singuli descendere in *celoces*⁴⁷⁹ eorum, ad unum

omnes trucidantur. Solus Praefectus majori reservatus ludibrio, in convivio discerpitur, intestina vorantur, propinato ejus sanguine in poculis, vel in ejus cruore intincto pane, caput super mensam in disco expositum, ut illuderent, et subsannarent. Tantum facinus, ut in vindictam, ita ad poenam Mathiam Caesarem excitavit. Omnia tamen incassum, praedae participatione Aulicis nonnullis corruptis Certè quoties Caesar ad decorem Austriaci nominis, ad tutelam justitiae in Segnienses immisit, qui cognoscerent, et punirent, toties occultis arcanis frustratum est Caesaris imperium. Hinc ad arma, quibus Mathias justissimus Imperator, quod Venetos ad aequas pacis conditiones promptis habuisset, non sic Ferdinandum Archiducem se immiscere recusavit. *Gradiscam* in hoc bello, Veneto oppugnante, Trautmons-dorffius masculè defendit, caeso Pompejo Justiniano Venetae militiae Magistro, sed et Trautmons-dorffius à Joanne Mediceo caesus est. Hucusque **Palatius**.

VI. Eo tempore, quo Dalmatiae Regnum Coronae Hungariae unitum **†** [...] ⁴⁸⁰ fuerat, etiam Civitas Segniensis Hungariae Regum jus audire coepit. Quo verò tempore Dalmatia Hungariae incorporata fuerit? variant **Scriptores**. Sed de his recale **dicta part. 1. c. 1. §. 3 n. 2.** Civitas haec anno 1260. à Bella IV. Hungariae Rege donata fuit cum omnibus juribus et adpertenentiis duobus fratribus Friderico, et Bartholomaeo de Frangepanibus ob praestita sibi fidelia servitia dum ad partes maritimas à facie Tartarorum confugisset, ut paulo ante insinuavi, et amplius videre est in **Conv. Ter. c. 5. §. 2. fol. 413.** Quia verò Martinus de Frangepanibus Mathiae Corvino Hungariae Regi sex castra donaverat, ut pariter desumitur **ex c. 5. §. 2. fol. 415. Conv. Ters.** creditur inter ea castra etiam connumeratam fuisse Civitatem Segniensem, cum eidem semper Imperatores, et Reges Hungariae jus dixisse leguntur, florente adhuc familia Frangepaniana. Erecto Carlostadio, et instituto ejusdem nominis Generalatu, Segnia militares leges observabat, anno verò 1746. in Cemeralem Civitatem evecta fuit, in quo statu nonnisi usque ad annum 1775. permansit, quo anno denuo Generalatui Carlostadiensi adjecta fuit, ac militare coepit audire jus, cujus primus Commendans militaris erat D. Vice-Colonellus Wincklman, quo ad bellum Prussicum proficiscente vices ejus gessit D. Capitaneus Zandonatti.

VII. Anno 1775. Via Regia jussu, et impensis Augustissimi Romanorum Imperatoris Josephi II. (quae ab ejus nomine *Via Josephina* appellatur) sub directione D. Struppi Vice-Colonello, Labaco oriundi Segnia Carlostadium usque sterni coepit. Aqua quoque (nam in Civitate

et in vicinia ejusdem aquae ob propinquum mare â potiori falsae sunt) ex trium ferme horarum distantia ad Civitatem introducta fuit, quae aqua *Reginae*, vulgo *Kraliczina voda* ex eo, quod Maria Ludovici I. Regis Hungariae filia mortuoque Patre Regina Hungariae, eam, dum Segniae moraretur, biberit, appellari solet, quod **R'mus D. Josephus Zottoni Parochus Ottocicensis his versibus anno 1750. factis** eleganter expressit:

Valle fluit rivus, quem dum Regina bibisset
 Hunc aqua *Reginae*, nobile nomen habet.
 Nata haec Regis erat Ludovici pulchra Maria
 Illiusque parens, Elisabetha fuit.
 Ante annos septem sexaginta, atque trecentos
 Segna bis hospitio nobilitata suo est.

VIII. Segnienses olim multas ethnicas habuerunt cerimonias tum in sepulturis mortuorum, cùm in aliis certis anni festivitatis, puta in novo anno, in Vigilia Nativitatis Christi etc. quas per longum **pertractat cl. D. Valvasor**, quia verò earum paucae amplius in usu sunt, ideo, eas adducere intermitto; etenim populus sanioribus disciplinis imbutus barbaros mores omnino exuisse videtur. Caeterum duo extrema hic conspiciuntur, et ipsa experientia sentiuntur, quae medium vix, ut ne vix quidem admittunt; nam in hyeme tam vehemens flat boreas, ut homines sibi ê domibus egredi non fidant, imo et ipsas naves in portu optime firmatas disruptis funibus ad altum propellit mare, saepe cum maximo detrimento, earumque submersione: ê contra in aestate tam intensi sunt calores, ut homines de die in suis aedibus vix debite tecti clausi manere cogantur.

Caput II. De aedificatione primi Conventus Segni- ensis, ejusque foundationibus.

§. I. De erectione Conventus Segniensis extra muros.

I. P. Franciscus Glavinich de Orig. et progr. Prov. Bosnae Croat. fol. 26. ponit initium hujus Conventus ad annum 1297. Verum id â veritate alienum esse **pluribus originalibus instrumentis** demonstrari potest

quae Conventum antiquiorem praedicto anno esse luculenter indigitant, ut **alia instrumenta de annis 1292. 1293. et 1296.** immittam, unicum **de anno 1272.** ad demonstrandum Conventûs initium praecessisse annum 1272. adferre libet, quod **ex ipso originali desumptum** sic sonat: Anno Domini millesimo ducesimo septuagesimo secundo, Indictione quintadecima die tertio decimo intrante Martio Arbi temporibus equidem Domini nostri Laurentii Chep iudicis Ducis Venetiarum, et venerabilis Gregorii de Costica Arbensis Episcopi, ac Joannis Badr egregii Comitis, praesentibus Philippo de Givanno, et Dominico de Abundino: Ego quidem Jacobus de Pr'bir Ivanco de Segnia per hoc praesens scriptum, et meum irrevocabile testamentum dimitto, do, et concedo pro anima mea, meorumque defunctorum Fratribus Minoribus de Segnia duos ortos meos positos Segniae apud Ecclesiam, et ortum ipsorum Fratrum Minorum apud puteum, et viam publicam, ut amodo habeant, teneant, et possideant cum suis omnibus proprietatibus cum omnimoda potestate, et ut haec concessio, sive dimissoria firma, et rata penitus perpetuo habeatur per modum testamenti scribi jussi, et corroborari volui.

Ego Greste de Fusco Examinator m'ppa

Ego Lucas Canonicus Arbensis Notarius his interfui rogatus, ut audiui, et vidi, scripsi, complevi, et roboravi.

II. Ex his clarè deducitur, quod Conventus anno 1272. jam steterit, et Fratres hortum penes puteum, quem hodie adhuc possident, jam tunc tenuerint. Quo verò anno Conventus hic aedificatus sit? pro certo determinari non potest; aliqui perpetuae traditioni innixi autumant, eum jam tempore S. Francisci suum initium habuisse, nec eorum opinio omni caret probabilitate; refert enim **Waddingus ad annum Christi 1212. fol. 133. n. 37. et. 38.** quod S. Franciscus anno 1212. pervenerit Asculum in Piceno, ac inde ad Sclavoniae partes transiverit, unde facile contingere potuit, ut ex Marchia Anconitana per mare Adriaticum navigando ad portum Segniensem appulerit. Si tamen Conventus tempore S. Francisci non fuit aedificatus, saltem id certum est, quod anno 1272. jam steterit, et quia fundatores suos veneratur duos Fratres Comites Leonardum, et Duimum, seu Damianum de Frangepanibus, **ut vult P. Glavinich** credibile est, quod Conventus post annum 1260. quo anno Civitas Segniensis à Bela IV. Comitibus **† [...]**⁴⁸¹ de Frangepanibus donata extitit, erectus fuerit.

III. Licet **P. Glavinich de Orig. Prov. Bosnae Croat. fol. 26.** fundatores fuisse duos fratres Leonardum, et Duimum referat, eidem minime tamen subscribo, quia si in anno erectionis Conventus designando hallucinatur, etiam in deno-

minandis fundatoribus errare potuit: [et revera Leonardum vixisse reperiemus ad annum 1295. ad quod tempus P. Glavinich initia Conventus reponit, Doimus verò I. praecessit longè praedictum annum, secundus verò vixit anno 1340. circiter, tertius verò 1487. ut videbitur: unde]⁴⁸² firmiter persuasum habeo, quod Conventus à praedictis fratribus non fuerit aedificatus, sed, si primordia Conventus post annum 1260. ponantur, à Friderico, et Bartholomaeo de Frangepanibus, quia his duobus Bela IV. Segniam anno praecitato donavit, ut clarè colligitur ex litteris donationalibus Belae IV. suprà de Conv. Ters. c. 5. §. 2. fol. 413. allatis, quo benevolum lectorem remitto. [...]⁴⁸³

IV. Quod autem hujus Coenobii fundatrix fuerit inelyta familia Aniciana, seu Frangepaniana, extra dubium est, etsi enim primae litterae foundationales non exstent, id tamen colligitur ex litteris posterioribus à novem Fratribus de Frangepanibus exaratis anno 1435. qui ipsam foundationem confirmarunt, et ampliarunt donando Fratribus Minoribus quorundam Molendinorum emolumenta; in iis enim infra de verbo ad verbum adducendis inter alia haec leguntur: *Attendentes ad pia, et laudabilia opera recolendae memoriae Progenitorum nostrorum, qui Ecclesiam, et Conventum beati Francisci Ordinis Minorum positos, et situatos extra, et prope moenia Civitatis nostrae Segniae aedificarunt, et construxerunt, et successivè multis utilitatibus, et annuis redditibus dotaverunt, decrevimus etc.*

V. Conventus isthic primitus extra moenia Civitatis extructus, titulum semper gessit S. Francisci, patet id denuo ex praecitatis litteris 9. fratrum Comitum de Frangepanibus, in quibus haec leguntur verba: *Singulis diebus celebrabunt duas Missas in praefata Ecclesia beati Francisci*; unde perperam quidam autumant, fuisse primum Conventum sub titulo S. Petri, fateor me legisse, quod fuerit extra Civitatem quaedam Ecclesia S. Petri, sed ea spectabat ad Monasterium Monialium, quae extra Civitatem erant, et Monasterium ob metum Turcarum deseruerant, cujus autem Ordinis fuerint? non legi. Ex eorumdem Comitum litteris desumitur, quod Conventus Segniensis subjectus fuerit Ministro Provinciali Provinciae Dalmatiae, [qui in]⁴⁸⁴ ibi enim facta Molendinorum donatione haec subjunguntur: *Declarantes tamen, quod Venerabiles, et Religiosi viri Dominus Frater Nicolaus de Durachia ad praesens Minister Provincialis Dalmatiae, nec non Dominus Frater Cyprianus de Sibenicho nunc Guardianus, et lector Ecclesiae, et Conventus praedictorum etc.*

VI. Tempore erectionis hujus Conventus eumdem inhabitabant Fratres Minores simpliciter tales; nulla enim tunc erat distinctio inter Observantes, et Conventuales, hoc enim discrimen primo circa medium decimi quinti saeculi audiri coepit, dum quidam Fratres Divinam potentiam humana imbecillitate metientes, ipsam Regulam Observatu impossibilem

cavillare coepissent: obinde etiam varias dispensationes, et relaxationes contra puritatem Regulae à Romanis Pontificibus obtinuerunt. E contra erant non pauci, quorum Antesignani et sanctitate, et doctrina florentes erant Sancti Bernardinus Senensis, Joannes à Capistrano, Jacobus de Marchia, ac beati Angelus à Clavasia, et Bernardinus à Feltria, qui Regulam ab omni privilegio defaecatam sine glossa ad litteram juxta mentem Seraphici Legislatoris observabant, et ideo hi de Observantia, alii Conventuales denominari coeperunt. Conventualium vestigiis inhaerebant etiam Fratres Minores Conventus Segniensis.

VII. Quia verò ex Fratribus de Observantia multi insigni sanctitate, ac miraculis florebant, ut S. Bernardinus Senensis in Italia, S. Jacobus de Marchia in Hungaria, Sclavonia, et Bosnia, et S. Joannes à Capistrano in Germania, Observantium Coetus brevi magna sumpsit incrementa, è contra Conventualium numerus indes notabiliter diminuebatur. Odore Virtutum allekti plerique terrae Principes, quas in Observantibus micare cernebant, omnes Conventus pulsīs Conventualibus, Fratribus de Observantia repleti percupiebant; Unde etiam Sixtus IV. Pontifex Maximus Mathia Huniade Hungariae, Croatiae, et Dalmatiae Rege rogante (quod jam antea Paulus II. ad Pannoniae Procerum petitionem praecepit) P. P. Conventuales è Caenobio S. Francisci Segniensis Urbis recedere jussit, illudque Patribus Observantibus Provinciae Bosnae anno 1478. tradi, ut **refert Wadding. tom. 14. fol. 217. n. 62.** Quamvis hic **Waddingus** assignet annum 1478. pro introductione Observantium, videtur tamen, eos anno 1475. jam introductos fuisse, quia **Mathias in quibusdam suis litteris exaratis anno 1475.** Fratres Conventus [**Tersactensis**] **Segniensis**⁴⁸⁵ expressè vocat *Fratres de Observantia, et Provinciae Bosnae* ut infra videbitur.

§. II.

De foundationibus olim pro hoc Conventu factis.

I. Quam foundationem ipsi primi fundatores, ac Conventus erectores fecerint? nulla prostant monumenta, ex quibus vel conjecturaliter aliquid conjici possit, creditur tamen, quod hortus penes puteum, quem Fratres jam anno 1272. possederant, promanet ex foundatione Frangepanica. Successores verò multa alia addiderunt diversis temporibus et imprimis **Stephanus de Frangepanibus** Comes Vegliae, Segniae, et Modrussiae ex suis Segniensibus proventibus omni mense quatuor libras monetae Segniae currentis Conventui dandas ordinavit, ut constat **ex ejusdem litteris**, quae adhuc **in Originali** prostant **incip. Universis**

et singulis harum notitiam habituris etc. dat. Segniae Anno Domini 1355. Quia verò haec eleemosyna amplius non percipitur, non judicavi praedictas litteras transumere necessarium esse.

II. Inter praecipuam donationem, seu foundationem â familia Frangepania-na Conventui Segniensi factam adnumeranda est illa, quâ 9. Fratres Comites Conventui donarunt quaedam molendina *Veliki* [per] dicti penes castrum *Ottoczacz*, ex quibus Conventus magnum subsidium percipiebat, donec â vicino Turca non fuissent destructi, ac inutiles redditu. Quamvis verò Conventus nil amplius percipiat, *litteras* tamen ex eo, quod §. praec. multa ex iisdem probaverim, *ex ipso Originali desumptas* hic adduco, quae talis sunt tenoris:

Joannes, Nicolaus, Stephanus, Bartholomaeus, Duymus, Martinus, Sigismundus, Andreas, et Joannes Junior fratres de Frangepanibus, Veglae, Segniae, et Modrussiae Comites etc. ac Regnorum Dalmatiae, et Croatiae Banni. Universis, et singulis praesentes nostras litteras inspecturis tam praesentibus, quam futuris notum facimus evidentem, quod revolventes in mente nostra, et ad memoriam saepius revocantes illud paginae Sacrae dictum: sicut aqua extinguit ignem, *ita eleemosyna extinguit*,⁴⁸⁶ attendentesque ad pia, et laudabilia opera recolendae memoriae Progenitorum nostrorum, qui Ecclesiam, et Conventum beati Francisci Ordinis Minorum positos, et situatos extrâ, et prope moenia Civitatis nostrae Segnia, aedificaverunt, et construxerunt, et successive multis utilitatibus, et annuis redditibus dotaverunt, decrevimus pro extinctione nostrorum peccaminum, et pro salute tam animarum nostrarum, quam praefatorum progenitorum nostrorum, qui ex hoc saeculo migraverunt, eorumdem progenitorum nostrorum vestigiis inhaerendo ipsi Conventui eleemosynam facere infrascriptam. Et propterea harum nostrarum litterarum tenore dicimus, et declaramus, quod dedimus, tradidimus, ac donavimus, ac damus, tradimus, et donamus antefato Conventui beati Francisci de Segnia in perpetuum irrevocabiliter, et pleno jure molendina, quae hactenus nostra fuerunt, posita ultra nostrum castrum Otoczacii prope villam nostram, quae dicitur *Vilichi*, et Molendina de *Vilichi* expresso vocabulo nominantur, cum decursibus aquarum, et aliis praerogativis, conditionibus, et utilitatibus, quibus ipsa molendina hucusque tenuimus, et progenitores nostri pro antea tenuerunt. Eandem donationem approbantes, et confirmantes eis vigore, et robore, quibus approbantur, et confirmantur donationes factae irrevocabiliter inter vivos. Declarantes tamen, quod Venerabiles, et Religiosi viri Dominus Frater Nicolaus de Durachio ad praesens Minister Provincialis Dalmatiae, nec non Dominus Frater Cyprianus de Sibenicho nunc Guardianus,

et lector Ecclesiae, et Conventus praedictorum, caeterique Fratres Conventuales Conventus ipsius, eorum nominibus propriis, ac nominibus successorum suorum pro tempore futurorum, volentes de huiusmodi eleemosyna, et beneficio grati esse, promiserunt, ac sponte, et liberaliter spoponderunt nobis praelibatis Dominis, ac nostris successoribus pro tempore secuturis attendere, et observare, et nullo unquam tempore quacumque occasione, vel causa revocare ea pacta, ac eas promissiones, quae inferius continentur. Primò videlicet, quod habebunt in dicto Conventu decem Fratres dicti Ordinis Sacerdotes bonae conditionis, et famae, qui possent Missas dicere, et celebrare, adjectis aliis Clericis, et Servitoribus pro servitio, dictorum Sacerdotum decem in numero competenti. Secundò, quo continuè singulis diebus celebrabunt duas Missas in praefata Ecclesia beati Francisci, unam videlicet in cantu pro animabus defunctorum nostrorum, et aliam legendo simpliciter pro salute, sospitate, et prosperis successibus eorum, qui vivunt de progenie nostra, ac erunt, ac vivent temporibus successuris. Tertio, quod singulis annis facient anniversaria temporibus debitis, ut moris est, pro animabus Avi et Patris nostri, ac etiam Matris nostrae, ac etiam alterius nostrum, et uxorum nostrarum, postquam misericors Deus ad se de hoc saeculo revocabit. Quarto, quod si casus dabit imposterum, quod aliquis nostrum, aut de filiis, aut de filiabus nostris, vel aliqua de nostris consortibus ex hoc saeculo transmigret ad Dominum extra Civitatem nostram Segniensem infra tamen confinia nostri domini, vel banatùs, quod Fratres Conventuales dicti Conventus, qui pro tempore erunt, dum id sciverint accedere teneantur ad locum, ubi erit talis defunctus, vel defuncta, et ipsum, vel ipsam associare personaliter usque Segniam. Si verò aliquis nostrum, aut ex successoribus nostris vel aliquis de Fratribus dicti Conventus, vel dicti Ordinis ullo unquam tempore contrafecerit, seu contrafacere, aut contradicere tentaverit alicui praemissorum, pars illa contrafaciens, vel contradicens ex tunc prout ex nunc, et ex nunc prout ex tunc iram, indignationem, excommunicationem, et maledictionem Omnipotentis Dei, et gloriosissimae Matris ejus Mariae Virginis, et beati Francisci, ac totius Curiae Caelestis habeat supra se. Has autem litteras appensionis sigillorum nostrorum munimine roboratas dedimus, et concessimus praefato Ministro, et Guardiano, caeterisque Fratribus in fidem, et testimonium omnium, et singulorum praemissorum perpetuis temporibus irrevocabiliter, et efficaciter valituras. Datum Brignis Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto mensis Januarii die duodecimo, Indictione tertiadecima.

(L. S. (L. S.) (L. S.) (L. S.) (L. S.) (L. S.) (L. S.) (L. S.) (L. S.)
pend.)

Ego Gulielmo quondam Petri de Padua publicus Imperialis auctoritate Notarius, ac Reverendi in Christo Patris Domini Nicolai Zanchani electi Episcopi Segniensis praesens privile-

gium propria manu scripsi dictante, et formam ipsius privilegii faciente Domino Episcopo praelibato de mandato, et jussione praefatorum Dominorum Comitum, et Banorum. Anno, Mense, die ac Indictione superius annotatis. Et ad abundantioris cautelae suffragium signum meum apposui consuetum.

(L. Si-
gni)

III. Quia haec Molendina â Turcis occupata, et destructa Conventui nil amplius fructificent, hinc etiam insertae conditiones, et obligationes ex parte Conventus ex se ipso cessarunt. Aliam foundationem fecit **Doimus de Frangepanibus** ex proventibus Mollendini *Sernouniza*, ex quibus Conventui quolibet anno decem aureos dari jussit **de dato Sluinii 14. mensis Septembris 1487.** prout **ex ejusdem patet litteris, quae ex Originali transumptae** sic sonant:

Nos Doimus de Frangepanibus Segniae Modrussiaeque Comes etc. tenore praesentium significamus, quibus expedit universis, quod considerantes devotionem, ac reverentiam, quam Praecessores nostri semper habuerunt erga Religionem beati Francisci, sub cujus nomine, et vocabulo Ecclesiam cum Monasterio prope muros Civitatis fundaverunt, seu aedificare fecerunt, ipsamque non paucis possessionibus, ac aliis bonis suis propriis ad cultum Divinum pertinentibus dotaverunt, et ornaverunt, ut Fratres dicti Ordinis commodè, et pacificè eorum vitam gerant, et preces Summo Deo impendere valeant pro animabus Praecessorum nostrorum, et aliorum benefactorum. Quocirca nos cupientes vestigia nostrorum Majorum imitari, et cupientes aliquid boni ob reverentiam amoremque Dei, ejusque Matris Mariae semper Virginis, ac beati Francisci contribuere praefato Monasterio in remissionem peccatorum, et pro salute animae, ac consortis nostrae charissimae Dominae Barbarae, et filii nostri dilectissimi Michaelis cum eorum voluntate, et assensu tenore praesentium concedimus, annuentes dedimus, et ita volumus, ordinamus, committimus, ac mandamus, quod Fratres dicti Monasterii Sancti Francisci civitatis Segniae praesentes, et futuri amodo perpetuis temporibus debeant habere omni anno in festo S. Michaelis de proventibus et redditibus Sernonicza nostrae Ledenizza ducatos decem auri nomine donationis, et eleemosynae perpetuae. Cum hoc, quod Fratres praefati Monasterii perpetuis temporibus teneantur dicere unam Missam omni hebdomada in dicta Ecclesia pro salute nostra, ac consortis nostrae charissimae, ac filii nostri dilectissimi, nec non defunctorum nostrorum, mandantes, et commitentes omnibus haeredibus, vel successoribus nostris, quatenus hanc ordinationem nostram, ac donationem, et eleemosynam dictorum decem ducatorum perpetuo firmum, ac ratum habeant, et manteneant, observent, et observari faciant inviolabiliter. Et si aliquis, cujusvis conditionis existat, pro tempore futuro attentaverit, aut contravenerit huic praesenti nostrae ordinationi, seu donationi, et eleemosynae praedictae, cadat in iram Dei, ejusque Matris

806, 806b

semper Virginis Mariae, ac beati Francisci. In quorum omnium praemissorum fidem, et testimonium has nostras litteras patentes ad perpetuam rei memoriam iussimus fieri, nostrique soliti majoris sigilli appensionis fecimus munimine roborari.

(L. S.) Datum Sluingii die 14. mensis Septembris 1487.

IV. Cum autem bona Frangepaniana partim ob divisionem eorundem partim quod plurima à Turcis occupata fuerint, diminuta fuissent, hanc eleemosynam **Nicolaus unus ex ultimis ejusdem Inclytae familiae palmitibus** nonnihil restrinxit, ac in aliam in natura videlicet 6. star. tritici ex castro Novi dandi commutavit, quam eleemosynam Conventus fideliter quotannis percipit. **Litterae autem donationales in Illyrico idiomate exaratae ex ipso Originali desumptae** hunc continent tenorem:

My Miklous Frankopan Groffh Tersaczki, Kerchki, Szeynski, y Modruski etc. Dajemo nasnaine usim, Kimsei dozthoy, kako buduchi perva urimena jedan od nashyh prighih od malina nasega Sernouwnicze Redu, y Clostrj Zuethoga Franciska V Segnyu jednu eleemosynu odluchih y oztavil bil usako letho davathi, à to dokleye imanye joshie Frankopansko skupa bilo y doke Turczy ovih crayenii nisu bili opustili, a zada buduchi tesno urime, y od Turak, y od drugih nepriatelou nasha imaina poroblana y odusetha. Zato my pousem tom odluchujemo, y zapovedamo nashemo Officialu, ili Prokolabu zadasniemu, y ki potle za nym budu v nashem gradu Novom, da imaju usako letho od rechenoga malina Sernounicze okolu zue-thoga Mihalia dne gori rechenomu Clostru, ali Fratrom S. Franciska u Szenyu zto-yechim v' ime eleemosyne sezt stari Richke ali Vinodolske mere davathi psenicze. I nato dasmo ta lizt rukom nashom podpizan, y navadnim pechatom podpechachyen. Datum Novi 5. Julii Anno 1632.

(L. S.) Nicolaus Comes de Frangepanibus

Versio.⁴⁸⁷

Nos Nicolaus Frankopan Tersacti, Vegliae, Segniae et Modrussiae Comes etc. notum facimus omnibus, ad quos spectat quomodo anteactis temporibus quidam Praedecessorum nostrorum proposuerit ac commiserit de Molendino nostro Sernounicze Ordini et Conventui Sancti Francisci Segniae dari Eleemosynam quamdam quotannis, et hoc quidem dum Dona Frangepanica adhucdum unita exstitissent, et dum Turcae haec Confinia necdum depopulassent, nunc autem sint tempora desolata, et Bona nostra et à Turcis et ab aliis hostibus depredata ac direpta. Hinc propter haec omnia proponimus ac praecipimus Officiali seu Provisori nostro praesenti, et futuris post eundem in Castro nostro Novi, quod omni anno circa Festum S. Michaelis de dicto Molendino Sernounicze suprafato Conventui seu Fratribus S. Francisci Segniae commorantibus debeant dare in Eleemosynam sex stari frumenti ad mensuram Fluminensem seu Vinodolensem. Et eapropter profentes exaramus litteras nostra manu subscriptas, et solito sigillo munitas.

Datum Novi 5. Julii 1632.

(L. S.) Nicolaus Comes de Frangepanibus

§. III.

**De gratiis, et beneficiis, â Regibus [Hungariae] Chroviae⁴⁸⁸,
ac postea â Domo Austriaca huic Conven-
tui clementer collatis.**

I. Primus [Hungariae] Chroviae⁴⁸⁹ Regum, qui specialem in hunc Conventum, et totam Seraphicam Religionem affectum pluribus beneficiis demonstravit, erat Mathias Hunyades, dictus Corvinus; is enim ex proventibus telonii Segniensis omni Hebdomada 40. solidos, seu 2. libras Conventui tribuendas assignavit. Haec eleemosyna, quam Mathias pro medietate auxit, originem trahere videtur, ex fundatione Stephani de Frangepanibus §. praec. n. 1. insinuata, is namque suo dato Segniae A. C. 1355. in suis litteris incip. *Universis, et*

singulis harum notitiam habituris assignavit ex suis Segniensibus proventibus Conventui quolibet mense 4. libras. Fieri quippe potuit, ut Mathias, ad quem defuncto Martino de Frangepanibus Civitas Segniensis denuo devoluta fuit, eleemosynam prius ex telonio Segniensi dari solitam, non tantum confirmatam, sed et auctam esse voluerit.

II. Quamvis verò Mathiae Regis nulla extent litterae huius eleemosynae confirmatoriae, sufficienter tamen *ex litteris ejus Successoris Uladislai Regis* colligitur, eundem hanc eleemosynam aut assignâsse, aut confirmâsse, et auxisse. En *litteras Uladislai signatas Budae A. C. 1505. ex Originali desumptas*:

Nos Uladislaus Dei gratia Rex Hungariae, et Bohemiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes, quibus expedit universis. Quare pro parte, et in personis Religiosorum Fratrum Ordinis Sancti Francisci de Observantia in claustro Segniensi degentium nostrae in hunc modum expositum extitit Majestati: Quomodo alias Serenissimus Princeps condam Dominus Mathias Rex praedecessor noster felicitis reminiscantiae, considerata ipsorum Fratrum egestate, praefato claustro, consequenterque ipsis Fratribus certam pensionem quadraginta scilicet denarios monetae Veneciensis facientem, in prima porta ipsius Civitatis nostrae Segniensis de thelonio isticidem exigi solito, pro sustentatione eorumdem Fratrum singulis hebdomadis omni videlicet anno in perpetuam eleemosynam dare deputâset. Quae quidem pensio licet ipsis Fratribus ad haec usque tempora, integraliter administrata fuerit, et de praesenti quoque administraretur. Ne tamen aliquo temporum in processu Fratres ipsi hujusmodi pensione per quoscumque privari, seu fraudari possint, ob hoc nos quoque tum supplicatione pro parte ipsorum Fratrum nostrae superinde oblata Majestati, benigne admissa, tum verò et potissimè ob singularem devotionem nostram, quam erga beatum, ac Seraphicum Patrem Franciscum, consequenter venerandam Religionem ipsius praedictam gerimus, et habemus, ejusmodi pensionem deinceps de eodem telonio nostro in prima, ut praemittitur, porta praedicta Civitatis nostrae eidem claustro consequenterque Fratribus in eodem degentibus in perpetuam eleemosynam amodo singulis annis omni hebdomada successivis semper temporibus de novo dandam duximus, et deputandam, imo damus, donamusque, et deputamus praesentium per vigorem.

Quocirca vobis fidelibus nostris Capitaneis dictae Civitatis nostrae Segniensis modernis scilicet et futuris, nec non Officialibus, et teloneatoribus eorumdem in praedicto telonio pro tempore constitutis, praesentes nostras visuris, harum serie firmissimi committimus, et mandamus, ut amodo deinceps singulis annis omni videlicet hebdomada successivis, ut praemittitur, temporibus praescriptam pensionem quadraginta denarios facientem, praedicto claustro, consequenterque Fratribus praedictis in eodem degentibus de dicto telonio sine omni exquisita occasione, et difficultate aliquali semper cum effectu dare, et administrari facere

singulis harum notitiam habituris modis omnibus debeatis, et teneamini, aliud gratia nostra sub obtentu nulla ratione facere audeatis, praesentibus perlectis, exhibentibus restitutis. Datum Budae in festo Ascensionis Domini anno ejusdem millesimo quingentesimo quinto. Regnorum nostrorum Hungariae etc. anno decimo quinto, Bohemiae vero tricesimo quinto.

III. Ludovicus II. Rex Hungariae non degener filius Uladislai eamdem donationem, et eleemosynam 40. solidorum monetae Venetae, ut eo firmitus consistat, **novo gratioso diplomate** confirmare dignatus est, praecipiendo Bano Croatiae, et Capitaneo Segniensi, ut eamdem Fratribus fideliter administrari faciant, ut **ex sequenti originali patet diplomate**:

Nos Ludovicus Dei gratia Rex Hungariae, et Bohemiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quoniam intelligamus ex litteris Serenissimi Principis quondam Domini Uladislai Regis, Genitoris nostri charissimi divae memoriae coram nobis in specie productis, illam deputationem sive pensionem quadraginta scilicet denarios monetae Veneциensis facientem, quam alias Serenissimus condam⁴⁹⁰ Dominus Mathias Rex immediatus praedecessor praefati condam⁴⁹¹ Domini, et Genitoris nostri claustro Fratrum Ordinis Divi Francisci de observantia in Civitate nostra Segniensi fundato degentium, in prima porta ipsius Civitatis nostrae Segniensis de telonio ibidem exigi solito, pro pia eleemosyna, in sustentationem eorumdem Fratrum, singulis hebdomadibus omni videlicet anno perpetuè suis litteris mediantibus fecisse perhibetur à temporibus eorumdem divorum Regum nostrorum scilicet praedecessorum eisdem claustro, et Fratribus semper usque huc integraliter fuisse restitutam. Volentes nos quoque vestigio ipsorum divorum Regum, maximè in tam pia, et salutari re, inhaerere: Ut igitur haec salutaris eleemosyna largitur etiam nostris temporibus, et deinde in perpetuum praefato claustro Segniensi, et ejusdem Fratribus sine aliqua recusa semper in isto loco deputato, et de dictis proventibus administretur. Eandem ipsam pensionem eisdem Fratribus Observantibus Sancti Francisci, et consequenter dicto eorundem claustro Segniensi cum ad humillimam ipsorum Fratrum supplicationem, tum verò et potissimè ob specialem devotionem nostram, quam erga ipsum beatum Franciscum, et ejus Ordinem Seraphicum piè, atque religiosè gerimus, in praedicta prima porta dictae Civitatis nostrae Segniensis de eodem telonio nostro, nos quoque instar praefatorum Serenissimorum Regum Mathiae videlicet, et Uladislai Patris nostri charissimi de novo singulis annis omni hebdomada successivis perpetuis temporibus dandam persolve-

ndam, et deputandam duximus, imo damus, donamus, et deputamus praesentium per Vigorem. Quocirca vobis fidelibus nostris Reverendo in Christo Patri Domino Petro Beryzlo Episcopo Ecclesiae Wesprimiensis Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Bano, nec non Capitaneo dictae Civitatis nostrae Segniensis, futuris etiam Banis eorundem Regnorum nostrorum, et Capitaneis ipsius Civitatis nostrae: Item Officialibus, et teloniatoribus eorundem in praedicto telonio pro tempore constitutis, praesentes nostras visuris, harum serie firmissimè committimus, et mandamus, quatenus amodo deinceps singulis annis omni videlicet hebdomada perpetuis, ut praemittitur, successivis semper temporibus praescriptam pensionem quadraginta denarios facientem praefato claustro Segniensi, et consequenter dictis Fratribus in eodem degentibus de dicto telonio, sine omni recusa, difficultateque, et exquisita occasione aliquali, semper cum effectum dare, reddere, darique, et reddi, ac administrari facere modis omnibus debeatis, et teneamini. Alius gratiae nostrae sub obtentu nulla ratione facere audeatis, praesentibus perlectis, exhibentibus restitutis. Datum Budae in festo S. Antonii Abbatis, et Confessoris Anno Domini Millesimo quingentesimo decimo septimo. Regnorum nostrorum Hungariae etc. anno primo Bohemiae verò similiter primo.

IV. Suorum praedecessorum piis vestigiis inhaerens Ferdinandus I. Romanorum Rex et Hungariae [Imp.]⁴⁹² Rex immediatus Ludovici Successor **dato anno 1548.** mandato ad Vice-Dominum Carnioliae praedictam hebdomadalem eleemosynam confirmare benigne dignatus est. **Regiam Resolutionem** D. Christophorus à Khüllenbergh Vice-Dominus Carnioliae, Exactori Segniensi D'no Sebastiano de Sackh his verbis intimavit:

Edler Vester, und lieber Einnemer, Eüch seye mein Willig dienst zuvor. Was gestalt mir die Röm. Kay. May. beuilcht bey eüch zu verordnen N. dem Convent des Closters Sandt Franciscen Ordens vor der Stadt Zenk das wochentlich almusen gelt in demselben beuelch begriffen, zu raichen, und zu geben, das werdet Ir auß Abschrift desselben merers, und nach lengs vernemen. Darauf ist in Crafft solchs beuelchs mein Verordnung, Ir wellet gemelten Convent dasselb verordnet Almusen gelt, was und wie viell dasselb von dato gemelts beuelchs anzuraitten, biß zue Außgang dits Jars bringen würdet, und ainst erlegen, des auch Quittung nemen: vnd damit aber das Neün und vierzigist Jars das Convent nit wochenlich quittierens bedurfft, auch Ir diese Außgaab bas leichter zu raittung stellen mügt, so wellet sie das Convent zu dem halben Jar solches Ires wochengelts miteinander gegen Quittung abrichten, und zu Außgang des ganzen Jars gleichfals

doch alß dan ein fällige Quittung Ires wochengelts, wie viell das selb bemelts Jars in Summa bringt, empfahen. Was Ir aber auf diesen Kay. beuelch, auch mein verordnung, und des Convents ordenlichen Quittungen ausgebt, das solle euch durch mich in Raittung gelegt, und für guet Außgaab passieret werden. An dem allen beschicht Kay. May. Mainung. Datum Laybach den 11. tag Novembris Im 1548. Jar.

Christoph von Khüllenbergröm. Kay.
May. Rath, und Vizdomb in Crain

V. Hanc eamdem eleemosynae deputationem confirmavit **Maximilianus II.** Ferdinandi I. et in Imperio, et in Regno Hungariae Successor **de dato 10. Martii 1574.** Haec eleemosyna Conventus pacifice fruebatur usque ad initium gubernii Augustissimae Imperatricis, et Reginae Hungariae Mariae Theresiae feliciter regnantis tempore sagacioris saeculi Aulici, et Officiales deputata, pensiones, et eleemosynas ex publico aerario dari solitasolvere detrectabant, usque ad productionem tituli, vi cujus similes pensiones solvebantur. Ut Conventus Segniensis hac eleemosyna non privaretur, titulum perceptionis ejusdem Serenissimo Principi Josepho Friderico Hildeburgshausen tunc Caes^o-Regio Commissario in his partibus demonstravit simulque supplicem libellum, pro contionanda hujusmodi eleemosyna humiliter eidem porrexit, qui visis justis Fratrum fundamentis iisdem consuetam 40. hebdomadalium solidorum (qui in anno exportant germ. mon. fl. 19. X. 39.) eleemosynam dari benigne indulsit hoc Rescripto: denen Supplicanten wird hiemit nachrichtlichen zurug bedeütet, das selben gleich vorhin, auch in das künftige das gebettene Allmosen geld pr' Jährlichen Neünzehen gulden 39. Xr' bey dem Kay. Königl. Oberamtb alhier gnädigst placidirt werde. Auß dem Kay. Königl. Oberamtb Zenk den 15. Julii 1746. Et hac eleemosyna Conventus usque in hodiernum diem pacificè fruitur.

VI. Inter speciales Regales Eleemosynas, quas Conventus isthic ex aerario Caesareo percipit, non ultimum occupat locum eleemosyna 100 fl. quos Aug^{ma} Imperatrix, et Regina Hungariae Maria Theresia ad preces P. Cyrilli Makay Guardiani anno 1756. ex proventibus telonii salis Conventui quolibet anno pendi jussit loco panis ob servitio, quae Conventus militi praesidiario cathechysando, conciones germanicas habendo, confessiones audiendo, et in arce Missas celebrando praestat. **Resolutio Caesarea, ex Legali, et authentica copia desumpta** talis est:

Von der Kay. Königl. Ministerial Banco geföhlen Administration in herzogthum Crain, und Littorali Austriaco wegen den Kay. Königl. Mauth Ober- und Salz Amt zu Zengg hiemit anzufügen.

Es hat das Saltz Amt durch bericht von 16. expirati anhero das Einrathen gemacht, womit denen Supplicirenden P. P. Franciscanern dortselbst in ansehung ihrer würllichen Armuth, und sowohl denen in der Stadt alda einquartirten Militar Invaliden, alß in den ~~Castel~~ Castel leistenden eifrigen Gottes- und Kirchen- diens-ten zu ihrer hinlänglichen Subsistenz ein Jährliches Allmosen pr' 200. f. auß disseitigen ~~Ærario~~ eingestanden, und verlichen werden mächte.

Ob nun zwar alle Merita, so diesen Geistlichen Supplicanten zugehen, in keinerley weise den Banco respiciren, Ihr eingereichtes Anlangen, und Gesuch auch nur um, und auf einen beytrag eines täglichen Comiss-brods für die denen Invaliden leistende Assistenz ob deren nunmehr zum Commercial-fundo gezogenen dasiger Stads Einkünften, als worauß Sie vorhin â Magistratu zum theil erhalten worden wären, gestellet ware.

So will jedoch eine hohe Instanz in Anbetracht, das in Zengg das Saltz-Negotium, oder Aerarium Bancale gelihen, diesen Supplicirenden P. P. Franciscanern zur beyhilf ihrer vnterhaltung Jährlichen ein hundert gulden Eleemosynae nomine â 1^{ma} Januarii gegenwärtigen Jahrs anfangend, auß disseitigen gefallen erfolgen zu lassen verwilliget, so forth also gemäss eingelangt hochlöbl. Kay. Königl. Minist. Banco Deputations Rescript dato Wienn den 9. et praesent. 21. finientis Ihme Mauth Ober- und Saltz Amt mitgegeben haben, erdeüte einhundert gulden denen P. P. Impetranten Jährlich gegen denen behörigen Quittungen auß denen unterhabenden Saltz gefählen abzufolgen, und sothaner Auflaag in Rechnung mittlest gegenwärtiger verordnung zu Legitimiren. Laybach den 22. Marty 1756.

Christoph Lorenz frey.

v' Flachenfeld.

Collationirt, und ist vorstehende mir vorgelegte Abschrift seinem bey hiesigen Kay. Königl. Saltz- und Mauth- Ober Amt aufbehaltenen Originali durchgehends gleichlautend befunden worden. Zengg den 6^{ten} April 1770.

(L. S.)

Albrecht Wolffgang Fritz

K. K. Hauptmann Amts

Verw. act.

VII. Capellania campestris, vi cuius unus sacerdos tenetur singulis diebus Dominicis, et festivis Missam celebrare, et militibus praesidiariis verbum Dei proponere, eosque in doctrina Christiana instruere, fuit Conventui collata anno 1690. ab Inclytis Provinciae Carnioliae statibus. Olim pendebantur quolibet mense 8. f. sicque in anno f. 96. nunc Carlostadio ex militari Generalatûs Cassa penduntur tantum f. 60. quod autem olim 96. f. dati fuerint, patet **ex ipso Rescripto** hujus tenoris:

Zu folge der denen herrn P. P. nach hiebevon gegebenen Vertröstung würdet denen selben der durch Ableiben herrn Joseph Pichi erledikte feld Caplaney-plaz mit monatlichen 8. f. hiemit, jedoch auf einer löbl. Landschaft wohlgefallen, und so gestalten verlichen, das sie H. H. P. P. die von alters hero gebrauchige Officiatur unerlaghaft verichten, auch dessen der herr Zall- und Proviant Amts Verwalter der Meergränizen nachrichtlich wurdet seyn solle. Datum Laybach den 13. 9'ber 1690.

G. S. Graff, und herr v' Gallenberg
J. H. Gr. v' Auersperg Lands Verwalter in Crain
Marx Antoni von Pillichgraz
Octavius Buccelleni Verordneten Amts
Praesident.

§. IV.

De aliis foundationibus, et legatis olim huic Conventui factis.

I. Dictum fuit supra §. 1. n. 1. quod Conventus anno 1272. jam habuerit unum hortum penes puteum, ibique alius hortus anno praecitato, ut ibidem adductum instrumentum demonstrat Conventui donatus fuit. Anno verò 1295. Comites de Frangepanibus non procul ab antiquo Conventu, et prope praedictos hortos alium hortum Conventui Fratrum Minorum donarunt, ut **ex subjuncto donationis instrumento, quod ex Originali** transumo, patet.

In aeterni Dei Nomine Amen. Anno â Nativitate Domini Millesimo ducentesimo Nonagesimo quinto, Indictione octava, die decimo intrante Novembri: Tempore quidem Domini nostri Andreae Dei gratia Serenissimi Regis Hungariae, et Domini Nicolai eadem gratia Segniensis Episcopi, ac Nobilis viri Domini Leonardi Veglae, Vinodoli, Modrussiae, et Seczeche Comitis, nec non Segniae Dominus Comes Stephanus Ungarius, olim felicitis memoriae Comitis Joannis socius cum consensu, et voluntate Comitis Leonardi praedicti, et Comitis Bartholi nepotis sui Divini Numinis intuitu, ac titulo purae, et irrevocabilis donationis

quae dicitur inter vivos, et pro suorum, ac Comitis Joannis antedicti remedio peccatorum coram me Notario, et testibus infrascriptis praesentem facit donationem. Donavit namque Covello Nodrogne Procuratori Conventus Fratrum Minorum de Segnia recipienti vice, et nomine Conventus Fratrum Minorum nunc, et per tempora futura in Segnia degentium quemdam suum hortum positum, ac situm prope puteum magnum et prope locum Fratrum Minorum de Segnia, vel si qui alii sunt Confines constituens ex nunc dictum hortum, donatum ipsi donatarii vice, et nomine, ipsius Conventui recipienti nomine, possidere, vel quasi. Et volens, ut ex nunc ipsius horti donati in ipsum Covellum Procuratorem dominium sit translatum, et ipsa res de caetero fiat ei. Quam quidem donationem nulla ex causis illis, quibus de jure salutis causa donationes revocari dicuntur, sive aliquo alio jure, ratione, vel causa, statuto, et consuetudine Provinciarum, Civitatum, vel locorum, seu Canonum, vel legum auxilio, per quod contra dictam donationem posset ire, vel allegare, aut ipsam infringere quoquo modo alio istud publicum instrumentum in aliquo impedire, penitus non obstante, perpetuò firmam, et ratam, et omnino irrevocabilem esse, praefatus Dominus Comes Stephanus scienter, et spontaneè passus set, voluit, et mandavit. Actum Segniae in domo Domini Mugne praesentibus Dominis Ricciardo de Venusia Vice-Comite Veglae, Ricciardo de Gaeta, et Scoto de Aretio, ac aliis testibus ad haec rogatis, et vocatis.

Jacobus Physicus quondam Guidonis filius Imperiali autoritate Notarius publicus in his omnibus interfui, et ut supra legitur, scripsi, atque firmari rogatus.

II. Cum ex hucusque adductis pateat, quod Fratribus Minoribus Conventus Segniensis diversis temporibus tres horti donati fuerint, et quidem omnes penes puteum magnum; quia vero Fratres nunc unicum hortum sat spatiosum possideant, signum est, quod praenominati tres horti in unum coaluerint; nisi malis dicere, quod alii horti post lapsum temporis denuo aut donatorum haeredibus restituti aut divenditi fuerint, ac pretium in fabricam Conventus, et Ecclesiae insumptum, magnis quippe sumptibus in *aedificatione*⁴⁹³ novi Conventus intra moenia Civitatis opus erat, ut Cap. seq. fusius videbitur.

III. Plures quoque vineas, et terras habuit olim Conventus praesertim tempore Conventualium quarum omnium donationum, aut emptionum instrumenta adducere longum nimis foret, unde pro habenda aliquali antiquitatis notitia eas synopticè commemorare sufficiet: Sic Anno 1339. Domina Elisabetha Comitissa de Legle donavit Conventui unum terrenum, ubi nunc est vinea dicta *Dolaz*. Anno 1371. donata fuit una vinea Conventui sita in Valle *Beshka*. Anno 1387. reliquerunt Conventui Jacobus Franciscus, et Elisabetha Paon quoddam terrenum. Anno 1404. Quaedam Domina Dragoglubi unam vineam supra hortum Fratrum Praedicatorum juxta viam, quae ducit ad Stermaz donavit Conventui Minorum. Anno 1406. quidam Presbyter Padrigno donavit unam vineam. Anno 1417. Quidam Domulus

legavit Conventui certas possessiones. Anno. 1420. Matthaeus Mazurata legavit unam vineam. Anno 1468. Georgius Rizzani donavit Conventui unum terrenum in *Beshka*. Plures etiam erant, qui de vineis, et domibus ad certos census, quos *livellas* vocant, Conventui quotannis dandos suos haeredes in testamentis obligârunt.

IV. Multae quoque domus Fratribus Minoribus Conventus Segniensis â benefactoribus relictæ erant, et quidem: Anno 1292. D. Michael Vesanello donavit unam domum Segniae sitam. Anno 1293. D. Petrus de Barthe civis Jadrensis donavit unam domum. Anno. 1339. denuo 2. domus Conventui donatae erant. Anno 1350. Ill'ma Domina Elisabetha vidua Domini Duimi Comitis Segniensis donavit unam domum Segniae sitam. Anno 1354. Eadem Comitissa donavit aliam domum cum una vinea. Anno. 1374. quidam donavit unam domum Conventui cum hac conditione, ut habeat sepulturam in Ecclesia nostra. Anno eodem quaedam Maria donavit Conventui unam domum. Anno 1379. iterum una domus Conventui donata fuit. Anno 1380. D'na Elisabetha Comitissa â Frangepanibus donavit unam domum Conventui. Anno 1546. Domina Lucia Cramariza donavit unam domum. Anno 1549. Georgius Woinitsch legavit unam domum Conventui. Anno 1570. erat etiam una domus Conventui donata. Flumine quoque duas domos possidebat Conventus Segniensis, quas circa annum 1596. inhabitabat quidam D. Bono. Plures item domus relictæ erant Conventui, ita tamen, ut haeredes eas inhabitarent, cum obligatione Conventui quolibet anno certum censum praestandi.

V. Ut autem de praedictis domibus Fratribus Minoribus Conventus Segniensis ex Provincia Bosnae noviter introductis (quibus licet de **Observantia ex privilegio Sixti IV., ut supra p. 2. c. 12. §. 2. fol. 194.** visum, licuit bona stabilia ob excursiones Turcarum, et asperitatem loci possidere) census fideliter pendatur, demandavit Mathias Rex Hungariae anno 1475. Capitaneo Segniensi, ut sollicitam curam gerat, ne Fratres in suis juribus, privilegiis, libertatibus, ac possessionibus â quovis sub quocunque praetextu turbentur. **Litterae Mathiae Regis ex Originali desumptae** hunc continent sensum:

Mathias Dei Gratia Rex Hungariae, Bohemiae etc. Fidelibus nostris Capitaneis Civitatis nostrae Segniensis de Regno nostro Croatiae praesentibus, et futuris praesentium notitiam habituris, ipsorumque vices gerentibus salutem, et gratiam. Quia nos tam propter singularem devotionem, quam erga beatum, ac Seraphicum Patrem Franciscum et consequenter venerandam Religionem, Fratres ipsius de Observantia â teneris annis nostris gessimus continuo, atque gerimus: Tum verò propter justitiam, et aequitatem (quarum nos veros fautores, et indubitos esse cognoscimus dispensatores) cupientes eosdem Fratres sub felicitis nostri ditione regiminis, et tutela, quantum fas est, omni inquietudine fieri immunes, ut eo liberius Regi famulari valeant sempiterno. Idcirco Fratres praetitulatae Religionis Sancti Francisci de Observantia in ipsa Civitate nostra Segni-

ensi commorantes vice Majestatis nostrae personis vestris comisimus, committimusque per praesentes protegendos. Idcirco fidelitati vestrae serie praesentium firmissimè praecipimus, et mandamus, quatenus ammodo imposterum praenominatos Fratres videlicet Vicariae Bosnae praesentes, et futuros, ac ipsorum claustrum de Segnia contra quoslibet impetitores, et turbatores protegere, tueri, ac indemnite manuteneri debeatis, et teneamini. Signanter autem in domibus, et censibus earumdem domorum, quas videlicet Fratres ipsi in illa Civitate nostra ex indulto Sanctissimi Domini nostri Papae tenent, et habent, quos census eisdem Fratribus solvi debendos nulli omnino hominum turbare, aut se ad ipsos quomodocunque ingerere permittatis, nec permitti faciatis, sed integraliter eis administrari procuretis. Si quid autem per quemquam adversus praedictos Fratres, eorumque claustrum occasione domus, et censuum hujusmodi contra formam nostri mandati qualitercunque foret, aut fieret attentatum talium damnosam impetitorum licentiam per omnia opportuna gravamina compescatis auctoritate nostra Regia, praesentibus vobis in hac parte specialiter attributa mediante. Praesentes autem, quas secreti sigilli nostri appensione communiri fecimus, post earum lecturam semper reddi volumus, et mandamus praesentanti. Datum Budae Sabbato proximo post festum beati Barnabae Apostoli. Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. Regnorum nostrorum anno Hungariae scilicet decimo octavo, Bohemiae verò septimo.

VI. Uladislaus Rex Hungariae Mathiae Corvino non tantum in Regno Hungariae, sed et pietatis, et propensionis erga Minoriticum Coetum, praesertim verò Conventum Segniensem successor sui immediati praedecessoris vestigiis inhaerens, Fratres Minores Conventus Segniensis sub suam tutelam, curam, et protectionem Regiam suscepit, Capitaneoque Segniensi firmissimè demandavit, ut Fratres praedicti claustrum contra quoscumque iniquos impetitores, et molestatores protegat, ac domorum eorumdem injustos invasores compescat, prout id **ex ejusdem gratiosis litteris, quae ex Originali prostant**, desumitur, quos **signavit Budae in festo Ascensionis Domini Anno 1505**. Quia verò hae litterae Uladislai Regis fermè coincidunt cum prioribus Mathiae Regis, eas hic, ut brevitati consulam, consultò ommittendas esse judicavi.

VII. Non obstante hac sapientissima Regia provisione, mox anno sequenti 1506. quidam Hieronymus de Froneis iniqua usurpatione aliquas domos ad Conventum Segniensem spectantes suae subiecit potestati, cujus audaces conatus praeaudatus **Uladislaus** Regia potentia **sequenti ex Originali desumpto Rescripto** confectos esse voluit:

Uladislaus Dei gratia Rex Hungariae, et Bohemiae etc. Fidelibus nostris Magnificis Andreae Both de Bayna, et Marco Horvath de Camichar Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Banis salutem et gratiam. Ex querelis et supplicationibus Religiosorum Fratrum Minorum de Observantia Conventus, ac Ordinis Sancti Francisci extra muros Civi-

tatis nostrae Segniensis fundati degentium Nobis expositum extitit, qualiter his annis superioribus, inter ipsos exponentes ab una, ac quadam Jeronymum de Froncis, partibus ab altera ratione quarundam domorum lapidearum, aliis eisdem exponentibus, et exponentium Ecclesiae legatarum primum in praesentia Judicis, et Juratorum Curiae dictae Civitatis nostrae Segniensis mola fuisset quaedam causa, et pro parte ipsorum exponentium adjudicata, ac tandem per viam appellationis in primam fidelis nostri egregii Alberti Lomyay, alias Capitanei Segniensis deducta, et rursus pro eisdem exponentibus adjudicata, deindeque in Curiam Majestatis nostrae provocata extitisset. Quamvis jus, et proprietas hujusmodi domorum hic quoque in Curiam Majestatis nostrae eisdem exponentibus, et praefatae Ecclesiae Segniensi readjudicata extiterit, et post factam hujusmodi adjudicationis iidem exponentes in pacifica possessione hujusmodi domorum per certa tempora perstiterint, tamen ex post dictus Jeronymus, nescitur quorum ductus consilio, extractis pro se ex cancellaria nostra, quibusdam litteris nostris Reverendo Vincentio Episcopo Ecclesiae Otthocensis sonantibus, quarum vigore easdem domos ab ipsis exponentibus, et dicta Ecclesia Segniensi readjudicari, et alienare fecisset. Unde Nos intellecta hujusmodi supplicatione, pro parte ipsorum exponentium Nobis superinde oblata, nolentes eosdem exponentes sic indebite dictis domibus ipsorum privari, volumus, et damus fidelitati vestrae, harum serie firmiter, ut acceptis praesentibus, et rebus sic stantibus, si compereritis causam ipsam in facto domosque ipsas per litteras nostras, aut judicium Regni nostri Ordinariorum eisdem Fratribus, et dictae Ecclesiae Segniensi readjudicatas extitisse; Ex tunc non obstantibus litteris nostris dicto Episcopo Otthocensi concessis, easdem domos de manibus dicti Jeronimi vel etiam ab his, in quorum manibus eadem nunc existerent, recuperare,isque exponentibus, et dictae Ecclesiae Segniensi restituere, ac eosdem in eisdem contra quoslibet illegitimos impetitores defendere debeatis, et teneamini aliud non facturi. Praesentibus perlectis, exhibentibus, restitutis. Datum Budae feria quarta proxima post festum Nativitatis B'mae Mariae Virginis Anno Domini Millesimo quinquagesimo sexto.

(L. S.)

VIII. Quoniam Hieronymus de Froncis coram Curia Regia causa cecidit, urgebat suum negotium coram curia Apostolica, obtinuitque pro se quasdam litteras Apostolicas subreptitie; tacebat enim, quod per tres sententias condemnatus fuerit ad restituendas Fratribus Minoribus à se iniquè possessas domos: Resciens id **Julius II. Romanus Pontifex** demandavit Archidiacono, Archipresbytero, et Primitivo Dioecesis Modrussiensis, ut re mature discussa praedictum Hieronymum ad restitutionem controversarum domorum compellant, ut id clarius **ex ejusdem Julii Litteris incip. *Suae Nobis datis Romae tertii Kal. Feb. 1511.*** patet, quas **ex Originali** adduco:

Julius Episcopus Servus Servorum Dei
 Dilectis filiis Archidiacono, et Archipresbytero, ac
 Primicerio Ecclesiae Modrussiensis salutem, et
 Apostolicam benedictionem.

Sua nobis dilecti filii Guardianus, et Fratres domus Sancti Francisci extra muros Segnienses Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum petitione monstrarunt, quod licet alias postquam ipsi super quadam domo in Civitate Segniensi consistente domui dictorum Guardiani, et Fratrum per certam mulierem piè relictæ coram certis iudicibus in partibus illis ordinaria, seu etiam Apostolica auctoritate deputatis contra Jeronimum de Fronci laicum Civitatis, seu Dioecesis Segniensis litigando tres successive pro se, et contra dictum Jeronimum, ejusdem domus relictæ adjudicatorias sententias reportaverint, et illarum vigore possessionem domus hujusmodi relictæ assecuti fuerant, illamque per triennium, vel circa possederant, dictus Jeronimus super domo hujusmodi quasdam Apostolicas nulla tamen in eis de sententiis hujusmodi mentione facta ad certum iudicem in Dioecesi Arbeni sub certa forma sub litteras impetravit, et cum ultimus Iudex litteris prædictis sibi forsitan præsentatis earum prætextu in causa hujusmodi procedere recusasset, dictus Jeronimus falso prætendens exinde inter alia indebite se gravari, ad Sedem Apostolicam, ut dicitur, appellavit, sed quia appellationem legitimo cessante impedimento prosequi non curavit, appellatio hujusmodi deserta remansit. Quare pro parte dictorum Guardiani, et Fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sententias hujusmodi robur faceremus firmitatis debitum obtinere, aliasque eis super his opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Quocirca cum, ut dicti Guardianus, et Fratres asserunt, in dicta Civitate, et Dioecesi Segniensi aliquis iudex competens, cui causa hujusmodi committi possit, non resideat de præsentis, discretionis vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si vocatis dicto Jeronimo, et aliis, qui fuerint evocandi, de tribus sententiis hujusmodi vobis legitime constiterit, sententias ipsas sicuti rite prolata sunt, faciatis auctoritate nostra, appellatione remota firmiter observari, ac expensas, in quibus dictus Jeronimus condemnatus fuit, si taxatae non fuerint, provida moderatione prævia taxare curetis, et si taxationem ipsam per vos fieri contigerit, faciatis eisdem Guardiano, et Fratribus per censuram Ecclesiasticam appellatione cessante de expensis ipsis debitam satisfactionem impendi. Quod si non omnes his exequendis volueritis interesse, duo, aut unus vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quingentesimo undecimo tertio Kal. Februar. Pontificatûs nostri anno nono.

(L.
 Plumbi)

IX. Praeter multiplices domos olim Conventui donatas, Conventus Segniensis adhuc praedia possidet duo, prata faenilia pro sustentandis equis, quos Conventus pro conducendis lignis, aliisque rebus in collectura acquisitis necessariò habere debet, quae prata **Domina Helena Crussich Domina in Lupoglau in Istria** Conventui donaverat cum onere unius Missae in festo S. Valentini dicendae, ut **ex ejusdem testamenti paragrapho** desumitur, qui sic sonat:

Anno Domini 1565. scritto in Castello di Lupoglavo adi 21. Gennaro, Indizione 8. avanti li testimonij, e me Notario publico infrascritto al presente la Magnifica, ed onoratissima Sig^{ra} Ellena Crussich Padrona di Lupoglavo con sua benevolenza, reale considerazione, e forma ha lasciato, e lascia alli Frati di san Francesco in Segna due prati chiamati Sintitina sopra Segna, de' quali due prati, uno tengono li sopradetti Frati, ed altro Tomaso Crajaz chiamato Bubinaz in Segna, e che loro detti Frati doppo la morte di detto Tomaso abino da ricevere, il prato con patto, e condizione, che sopradetti Frati syno obligati in perpetuum nel giorno di S. Valentino à dire una Messa in Chiesa dove **G** giacciono li suoi morti per l'anime loro: e questa è sua ultima volonta, e determinazione: In quorum etc.

Al presente furonò testimonij il R^{do} in Cristo Padre Frà Mariano Bosnyanin Praedicator di Tersatto, Biagio Uranci, Antonio Ongaro tutti due servitori del Sig^{ra} Crussich in Ongaria con Madonna Maria Firenze governatrice in Castello.

Io Gioanni Ciller di Gorizia publico Imperial Notario ed al presente Cancelliere del Castello di Lupoglavo scrissi il presente scritto con sotto posto, il mio solito segno.

X. D. Franciscus Christophorus Portner donavit Conventui Segniensi suam partem piscaturae, vulgo *Tonnera* in *Lukovo* cum onere, ut Conventus quolibet anno celebret unam Missam pro defuncto Domino Joanne Carolo Portner, prout **ex instrumento illyrico idiomate anno 1693. concinnato** patet:

U Segnu na 18. Febrara 1693.

Spoznajemo mi zdola podpisani, kako smo vidili med sobom od suih, i suakih partid racznu do danasnega dneva; i tako obnadosmo med sobom, da neotosmo jedan drugomu nistar duzan, i suise toga dase Gospodin Franac Portnar Gospodinu Pateru Guardianu za takou del Tumner vikovienim nacinom suako letto govoritti jednu Missu od Conventa sa pokoiniga Gospodina Ivana Carla Portnara vice Kapitana biusega u Segnu, na to boglie tuerdosti rad naprosise strane obe zdola podpisane, mene zdola podpisana ovako upisati.

Fr Marcus Cragui Guard^{mus}
 Fran Cristof Portnar
 Luka Uragnianin upisah

Praemissam copiam cum suo originali mihi exhibito, et exhibiti restituto comportatam concordare testor infrascriptus. Datum Segniae in Cancellaria die 14. mensis Martii 1770.

(L. S.)

. Georgius d' Danicich Cancellarius

XI. Omnes praedictae domus, terrena, et vineae, aliaque bona stabilia olim ad Conventum spectantia partim divendita, partim restituta ipsis fundatoribus, aut eorum haeredibus fuere domus pleraeque cum aliis domibus permutatae, dum novus Conventus intra muros jussu Imperatoris Ferdinandi I. aedificaretur, ut Cap. seq. videbitur. Residuae domus domorumque census tempore, quo Provincia ad reformationem transivit, alienata erant ita, ut Conventus nil stabile possideat praeter hortum penes puteum, et unum pratum, quod pro sustentandis animalibus necessario habendis omnino necessariam judicabatur.

Caput III.

De demolitione Conventus extra Civitatem ac novi intra muros Civitatis erectione, ejusque variis restorationibus.

§. I.

De Translatione Fratrum ad Civitatem.

I. Extra omne dubium est, quod Conventus Fratrum Minorum Sancti Francisci primitus erectus fuerit extra Civitatem post modernos hortos, et vineas in ipsa valle Segniensi, id enim non tantum traditio suadet, set et **ipsae Scripturae originales**, quarum aliaquas cap. praec. adduxi, luculenter demonstrant: in iis quippe, ubi sermo est de Fratribus Minoribus, aut eorum Conventu semper ferme additur: *Extra moenia*, vel *muros Civitatis Segniensis sitos*, vel *situm*: Quinimo extantia adhuc rudera id loquantur. Postquam verò Turcae vicinas Regiones *Licam*, scilicet, et *Corbaviam* sub suam potestatem redegissent, simul Ferdinandus I. Romanorum, et **[Hungariae] Chroviae**⁴⁹⁴ Rex, ne, si Turcas huic regioni conterminos obsidendae Civitatis cupido incessisset, ipso Caenobio aliquando potiti, tamquam ex tuto peterent oppidanos, et infesta oppugnatione ad ditionem compellerent, hinc jussit per Commendantem, et suas vices gerentem Segniae D. Joannem Lenkovitsch Anno Domini 1547. Conventum extra Civitatem solo aequari, et loco hujus illis attribuit Ecclesiam S. Spiritus penes modernum Conventum sitam in qua divina peragebant usque ad moderna Ecclesiae, et Conventus extructionem.

II. Hanc Conventus demolitionem, et concessionem Ecclesiae S. Spiritus **Summus Pontifex Paulus III.** ratam habuit, et adprobavit, prout **ex ejusdem Bullis** mox adferendis, quas **P. Joannes à Luca Venetus** in continuatione **P. Lucae Waddingi** tom. 18. fol. 43. n. 33. Item Reg. Pont. fol. 461. Bullâ 73. et. fol. 462. Bullâ 74. citat. ex Regesto familiae Cismontanae fol. 136. et 137. clarius patet, quarum primae tenor iste est:

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

Inter multiplices curas, quibus rerum occurrentium varietate distrahimur, illam libenter amplectimur, per quam Religiosa loca construere, et personarum in illis pro tempore degentium status confoveri, ipsaeque personae Deo duce quietius, et commodius Divinis vacare possint, usque, quae propterea processisse dicuntur, ut firma perpetuo, et illibata persistent, libenter, cum à Nobis petitur, Apostolici muniminis adjicimus firmitatem. Sane pro parte dilectorum filiorum moderni Ministri, et Fratrum domus Segniensis regni Croatiae, Ordinis Fratrum Minorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias, cum alia eorum domus, quam tunc prope et extra muros Segnienses sitam habebant, per tunc in Civitate Segniensi pro charissimo in Christo Filio nostro *Ferdinando Romanorum, et Croatiae Rege* † [...] ⁴⁹⁵ illustri existentem Capitaneum de ipsius Regis jussu funditus diruta, et solo aequata fuisset: ne, si eandem Civitatem ab immanissimi Christiani nominis inimico Turca, aliquando, quod Deus avertere obsideri contigisset, ut jam erat tunc illius finibus conterminae, in ipsa domo hostis diverticulum, indeque expugnandae Civitatis commoditatem, facultatemque cum maximo regnorum, et dominiorum ejusdem Ferdinandi Regis, ac totius Reipublicae Christianae damno, et jactura haberet, et deinde idem Capitaneus in recompensam praedictae domus dirutae, praefatis Ministro, et Fratribus quamdam Ecclesiam, Capellam Sancti Spiritus nuncupatam intra muros ejusdem Civitatis consistentem, veluti ad ipsum Ferdinandum Regem, ac ipsius dispositionem plenè spectantem concessisset, et assignasset: Praefatus Minister, et Fratres ad dicti Regis Ferdinandi clementiam supplices accedentes ab eodem Ferdinando Rege petierunt, ut cum ad Omnipotentis Dei laudem, et gloriam, aliam domum intra eandem Civitatem construere, ac aedificare intenderent, concessionem, et assignationem sibi, ut praemittitur, factas, gloriosè approbare, et confirmare, seu etiam, si opus esset, Ecclesiam ipsam eis de novo concedere, et assignare dignaretur: quorum tam justis devotisque petitionibus praefatus Ferdinandus Rex benigne annuens concessionem, et assignationem de eadem Capella per dictum Capitaneum, ut praefertur, factas hujusmodi ex certa ejus scientia, et de Regiae potestatis plenitudine approbavit, et confirmavit. Suo tamen, et alieno jure in omnibus semper salvo, ac tam tunc, quam pro tempore existenti Capitaneo praefatae Civitatis sub suae indignationis poena quatenus contra dictam confirmationem et approbationem praefatam domum, aut illius Ministrum, et Fratres pro tempore existentes super dicta Ecclesiae, et illius possessionem nullatenus impedire, aut molestare auderet, neque ab aliis id fieri permetteret, et alias sub certis forma, et modo mandari prout in ejusdem Ferdinandi Regis desuper confectis patentibus litteris dicitur plenius contineri. Quare pro parte moderni Ministri, et Fratrum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessioni, et assignationi, ac con-

firmationi, et approbationi hujusmodi pro eorum subsistentia firmiori robur Apostolicae confirmationis adjicere, aliasque in praemissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignemur. Non igitur, qui personis universis, praesertim Religionis, per quas Divini Nominis, et fidei Catholicae cultus protenditur, opportuna commoditatis auxilia libenter impendimus, litterarum praedictarum veriore tenorem praesentibus pro expresso habentes, ac modernum Ministrum, ac Fratres hujusmodi, ac eorum singulos, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, at absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, concessionem, et assignationem, ac confirmationem, et approbationem, nec non litteras Ferdinandi Regis hujusmodi, atque prout illas concernunt, omnia, et singula in dictis litteris contenta, licita tamen, et honesta auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae firmitatis robur adjicimus, nec non omnes, et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui forsitan intervenerunt in eisdem, supplemus, ac illa suos plenarios effectus sortiri, sicque per quoscumque judices, et Commissarios quavis auctoritate fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et definiendi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere: Nec non quidquam secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, adjectionis, suppletionis, et decreti infringere, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quingentesimo quadragésimo septimo. Quarto Nonas Julii, Pontificatus nostri anno decimo tertio.

III. Tenor verò aliarum **ejusdem Pontificis litterarum**, in quibus praecipit Episcopo Caesenatensi, et Archidiacono, ac Vicario Generali Dioecesis Segniensis, ut Fratres in dictae Capellae Sancti Spiritus possessione manuteneant, et contra quoslibet molestatores eosdem defendant, et protegant, et sequens:

Venerabili Fratri Episcopo Casenat., ac dilectis filiis
Archidiacono Ecclesiae Segniensis, et Vicario Venerabilis Fratris nostri Episcopi Segniensis
in Spiritualibus Generali.

Hodie certas assignationem, et concessionem de quadam Ecclesia, Capella Sancti Spiritus nuncupata intra muros Civitatis Segniensis

consistente, alias per tum Capitaneum in dicta Civitate pro Charissimo filio nostro Ferdinando Romanorum, et Croatiae Rege illustri existentem dilectis filiis Ministro, et Fratribus domus Segniensis regni Croatiae Ordinis Fratrum Minorum, et deinde per eundem Ferdinandum Regem factas per alias nostras litteras, perpetuo approbavimus, et confirmavimus, prout in eisdem litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum postquam dictae litterae vobis praesentatae fuerint, per vos, vel alium, seu alios faciatis, auctoritate nostra concessionem, et assignationem praedictas inviolabiliter observari, non permittentes eosdem Ministrum, et Fratres per quoscumque contra concessionis, et assignationis, ac approbationis dictarum tenorem quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, et rebelles per censuras, et poenas Ecclesiasticas appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, et poenas praedictas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus omnibus, quae in dictis litteris volumus non obstare, seu si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romae apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, quarto Nona Julii Pontificatus nostri anno decimo tertio.

IV. Ex adductis n. 2. et 3. Pauli III. Summi Pontificis litteris clarè apparet **Ferdinandum Romanorum, et Hungariae Regem** ⁂ [...] ⁴⁹⁶ **dedisse litteras** patentes Ministro Provinciali et Fratribus Minoribus Conventus Segniensis, in quibus eisdem et Ecclesiam S. Spiritus consignavit, novum Conventum construendi licentiam dedit, et Capitaneis praesenti, et futuris demandavit, ut Fratres ab omnibus iniquis molestationibus tam quoad praedictam Ecclesiam Sancti Spiritus, quam quoad novi Conventus erectionem defendant. Quamvis verò **Ferdinandi litterae in Archivis quaesitae inventae non fuerint**, minimè inferendum est, eas nunquam emanasse, quia non est supponendum, quod Fratres in sua Summo Pontifici porrecta supplicatione, vi cujus ab eodem confirmationem concessionis Ecclesiae S. Spiritus à Ferdinando I. ipsis Fratribus factae petierunt, falsas rationes allegassent, minus, quod Pontifex non habita informatione suas confirmatorias edidisset litteras.

V. Tradita itaque Fratribus Minoribus Segniensis Ecclesia S. Spiritus, et facta eis aedificandi novi Conventus facultate tam à Ferdinando Rege, quam à Paulo Pontifice continuò cogitare coeperunt, de loco opportuniore aedificandi Conventus. Habita matura discussione eum locum pro

fabricando Conventu delegerunt, in quo pleraque domus ad ipsos pertinentes consistebant, quas maluerunt in aedificium Conventus, et Ecclesiae convertere, quam alias coemere. Quia tamen in hoc loco existebant aliquae domus ad alios proprietarios spectantes, è contra Conventus habebat etiam certas domos in aliis Civitatis partibus sitas, hinc fuit quaedam permutatio domorum intra Cives, et Conventum facta, ita, ut Conventus cesserit alias domos alibi existentes, et Cives, ac Procuratores hospitalis Sancti Spiritus dederunt Conventui aliquas domos penes hospitale, et etiam ipsum hospitale.

VI. Porrò, ut haec permutatio firma persisteret, **de consensu utriusque partis, confectum est publicum instrumentum** sequentis tenoris:

In Christi Nomine Amen.

Anno Nativitatis ejusdem millesimo quingentesimo quadragésimo nono, Indictione VII. die verò Vigesima sexta mensis Augusti. Actum Segniae in curia domus propriae habitationis Domini Joannis Sischovich Nobilis Segniensis, praesentibus spectabili, et generoso Domino Spalatino Vice-Capitano Segniensi, Domino Cypriano Urtichievicz, et Domino Francisco Zudchovich honorandis Judicibus Segniensibus, et quampluribus aliis Nobilibus, et Civibus Segniae, testibus ad infra scripta habitis, vocatis, et rogatis, ibique personaliter constituta infrascriptae partes, videlicet Reverendus Pater Frater Gregorius Rudessich Minister Generalis Provinciae Bosnae Ordinis Minorum regularis observantiae, unà cum caeteris Patribus, et Fratribus Custodibus, et Guardianis Provinciae dictae ibidem praesentibus, et haec omnia facientibus consensu, et voluntate totius Provinciae dictae. Et Dominus Franciscus Mediolanensis Nobilis Segniensis, ac Magister Georgius Muratoi, Procuratores, seu Gastaldi Ecclesiae, et hospitalis Sancti Spiritus Segnien. agentes hujusmodi auctoritate ipsorum ordinaria, nec non etiam ex consensu, et voluntate totius consilii hujus civitatis, sponte, et nullo errore ductae amicabilem, communiter, et de plano, devenerunt ad infrascriptas conventiones, et permutationes circa infrascriptas ambarum partium domos, et muraleas in hac civitate sitas, et positas. Imprimis namque praefati Reverendi Patres, et Fratres dederunt, contulerunt, mandaverunt, alienaverunt, et quantum melius potuerunt, perpetualiter tradiderunt, et permutaverunt sine spe alicuius revocationis unam domum, sic vulgo dictam *pictam* positam retro Ecclesiam Sancti Francisci in angulo ex opposito domus Thomasiae Maccellatoris. Item domum positam in platea hujus Civitatis in angulo ex opposito loggiae [(loggia dicitur mensa nummaria, item locus, in quo mercatores conveniunt)]⁴⁹⁷ communis, et unam muraleam, seu Mirischium positum ante castrum contiguum murale. Eis, in quibus Ecclesiam Sancti Spiritus aedificare, seu construere volunt, liberas, francas, et expeditas, nemini obligatas, seu hypothecatas cum omnibus earum juribus, et jurisdictionibus, proprietatibus, et pertinentiis ad dictas domos, et mirischium spectantibus, et pertinentibus intus, et extra, et cum accessibus,

et egressibus usque ad viam publicam, et hoc praefatis Procuratoribus, seu Gastaldis ibidem praesentibus, et superscriptis domos pro se, et futuris Procuratoribus dictae Ecclesiae, et hospitalis Sancti Spiritus acceptantibus, stipulantibus, recipientibus, et ad superscripta, et infrascripta contentantibus. Qui quidem Procuratores auctoritate, et potestate superius expressa eisdem Reverendis Patribus, et Fratribus ibidem praesentibus, acceptantibus e converso, et in contra cambium, seu permutationem pro ipsis bonis stabilibus sic, ut suprâ receptis, dederunt, contulerunt, et perpetualiter transtulerunt sine spe alicujus limitationis, aut revocationis domum magnam, et parvam supra hospitale, unâ cum ipso hospitali, balatoriis ambabus, et campis, item Mirischium contiguum dicto hospitali et domui illorum Costenicz â parte superiori, pro cujus livello ipsi Procuratores praesenti, et futuro Reverendo Capitulo, seu Ecclesiae Cathedrali Segniae respondere annuatim tenentur. Item domum versus Castrum Segniae ante puteum contiguum domus illorum Costenicz â parte inferiori, liberas, francas, et expeditas cum omnibus juribus, et jurisdictionibus, et proprietatibus ad dictas domos, et mirischium spectantibus, et pertinentibus cum accessibus, et egressibus usque ad viam publicam, et hoc ad habendum, tenendum etc. Quae quidem omnia, et singula sic, ut supra facta, data, et grata habere, tenere, et observare, et non ad minus devenire, quinimo una altera in, et altera alteram in ipsa permutatione manutenere, defendere, et destrigare ab omni homine, communi collegio, et universitate suis propriis sumptibus, et expensis in iudicio et extra sub poena, et obligatione omnium suorum bonorum, ac refectioe damnorum, expensarum, et Interesse.

Ego Andreas Veronensis â Sancto Bonifacio filius Domini Jacobi publicus alta Imperiali auctoritate Notarius, et Judex Ordinarius, nec non ad praesens Cancellarius Magnificae Communitatis Segniensis superscriptis omnibus, et singulis, dum sic agerentur, et fierent, unâ cum praenominatis testibus praefui, et rogatus scripsi, deinde in hanc publicam, et authenticam formam redegi, et authenticavi sub nomine, cognomine, signoque meis solitis et consuetis.

(L. Si-
gni)

VII. Ex hucusque dictis apparet, quod anno 1547. Conventus extra muros Civitatis jam dirutus, ac Ecclesia Sancti Spiritus eisdem tradita fuerit, quia **Paulus III., ut supra n. 2. visum, in suis litteris 4. Julii 1547. exaratis** ipsam concessionem Ecclesiae confirmat, confirmatio autem supponit, traditionem: Tum quia, dum loquitur de Conventû extra muros destructione, semper loquitur in praeterito. Fratres mox anno sequenti 1548. penes Ecclesiam Sancti Spiritus Conventum aedificare coeperunt, quia verò per Capitulum, et Communitatem Segniensem Ferdinando Regi informatio data fuit, quod eo in loco aedificium Conventû praejudiciosum esset Castello Caesareo, quod et ipsi Commissarii â Ferdinando missi die 3. Septembris 1548. agnoverunt.

Unde anno sequenti 1549. Fratres permutatis quibusdam domibus trans plateam â diametro Ecclesiae S. Spiritus et Conventum, et Ecclesiam tanta celeritate aedificarunt, ut anno sequenti 1550. Ecclesia cum aliquibus altaribus ab Alberto Episcopo Veglensi, ut cap. sequ. videbitur, jam consecrata fuerit, licet nondum totalem perfectionem attigerit, nam totalem perfectionem primò assecuta est anno 1552. ut patet *ex lapide in frontispicio Ecclesiae penes januam posito, cui haec inscriptio incisa est:*

Regnante Serenissimo Principe, et Domino, D. Ferdinando Divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rege, Infante Hispaniae, Archiduce Austriae etc. Invictissimo, tempore Capitaneatus Domini Joannis Lenkoviz Suae Majestatis Commissarii, et Capitanei MDLII.

§. II.

De variis Conventus restaurationibus.

I. Quod Conventus valde exiguus ab initio fuerit, patet ex tot subsequentibus additionibus, et augmentis, nam post 39. annos post sui erectionem jam indigebat reparatione, pro qua ad supplicationem Fratrum Serenissima Archidux Austriae Caroli Archiducis relicta vidua 100. f. dari mandavit, ut ex sequenti Rescripto apparet ad Capitaneum Segniensem dato:

Ihro fürstl. Durchläucht vnser gnädigste frau habenden Closter leüten alda zu Zenk auf ihr beschehenes Suppliciren zu ihres Closters, oder wohnung besserer erhebung, und restaurirung 100. f. auß dem Quarentes gefällt zu St. Veith am Pflaumb dergestalt raichen zu lassen bewilliget, das solche nemblich zu Eüern handen erlegt, und allein zu obstehenden Ende durch Eüch außgezelt, und dargeben werden solle.

Weil dan dem H. Vizdomb in Crain albereith auferlegt worden bey dem Einnember daselbst zu St. Veith zuverfüegen, das ermelte 100. f. ehist zu eüern handen überschike, so werdet ihr dennoch, wan Eüch solches gelt zuekhomt, verstanden Ihren fürstl. durchl. gnedigsten verordnung würllichen zu geleben wissen. Daran beschicht Ihrer *gnedigster* fürst. durchl. gnedigster willen, und Mainung. Datum Laybach den 18. Januarii A^o 1591.

II. Saepius Conventus Segniensis in suis necessitatibus ab Augustissima Domo Austriaca charitativum subsidium gratiosè obtinuit. Anno quippe 1640. obtinuit pro sua reparatione f. 116. Haec eleemosyna non fuit applicata in aliquod novum aedificium, sed tantum in reparationem Conventus ruinam minitantis, ut *ex supplici P. Guardiani Nicolai Zaurichevich* colligitur. Anno 1709. Conventus diversorum benefactorum eleemosynis pro una contignatione forum magnum versus sub Provincialatu P. Romualdi Sitter, et Guardianatu P. Georgii

Lucich elevatus fuit. Aedificium hoc jam anno 1701. inchoatum fuit expensis prae-
cipuè Domini Strassoldo, ut **inscriptio supra portam lapidi incisa** denotat **sequenti**
Chronographico:

pLeno StrassoLDIano aMore ereCta

III. Anno 1732. sub Provincialatu A. R. P. Sigismundi Skerpin, et locali
gubernio P. Anselmi Brattina altera pars Conventûs chorum versus elevari coepit,
et anno sequenti terminata fuit, pro hoc aedificio expensi erant 450. ducati ex di-
venditis livellis accepti, inter exteros benefactores speciali nota dignus est R'mus
Dominus Joannes Pohmajevich Episcopus Segniensis, et Modrussiensis seu Corba-
viensis Ecclesiarum canonicè unitarum, qui pro dicta fabrica 1000. f. contribuit hac
lege, ut post mortem ipsius quilibet Sacerdos unam Missam per totam Provinciam
pro refrigerio suae animae celebret. Tertia superioris contignationis pars, in qua 5.
vel 6. cellae fieri possent, supra Refectorium elevata fuit anno 1770. tempore Vica-
riatus Provincialis P. Hugonis Vodnik opera P. Constantini Lakovich Segnia oriun-
di pro tunc Conventus Guardiani munificentia Perillustris familiae de Stauber, sed
hic tractus suam intrinsecam perfectionem nondum est nactus.

IV. Dum verò Conventus circa annum 1744. adeo ruinosus evasit, ut non
tantum contignari, sed et ligari debuerit, hinc Patres suae **Caesareae Regiae Majes-**
tati Mariae Theresiae humiliter supplicarunt pro subsidio lignorum, et ferri, quae
perpensa Conventus pauperie **per Cameram Graecensem** pro ferro 100. f. ac pro
ligno 200. f. ex suo aerario benigne dandos **sequenti Rescripto** resolvit:

Edl gestrenger, lieber freünd, Wohl Edler, auch Edl vester. Auf unser we-
gen der von denen P. P. Franciscanern zu Zengg angesuchten verwilligung einer
beyhilfe in Eysen, und holz zur reparation ihrer baufählichen Kirchen, und Closter
nach vernommener allseithiger gehörde untern 8^{ten} Febr. lauffenden Jahrs erstattet
unterthänigstes Guttachten haben S^r König. May. denen Supplicanten in ansehung
ihrer vorgestellten armuth, und das sie ohne mindesten fundation sich mit den blos-
sen anjezo gar bethlend eingehenden allmosen kümmerlich erhalten könnten, zur nö-
thigen reparation ihres die ganzliche zusammen fahlung androhenden Convents, und
Kirchen ingerathnen massen in favorem piæ causæ zwey hundert gulden gehilt-
zwerk von Buccariza, und Ein hundert gulden Eysen in natura dergestalt gnädigst
verwilliget, das selbe Ein- so anderes ohne entgelt des ærarii nacher besagten Zenk
bringen zu lassen besorgt seyn sollen.

Alß wird auß in sachen hereingelangter König. allernädigsten Resolution
Wienn den 8^{ten} dits den he[†] demselben, und Eüch solches zur nachricht, und
verfügung des weithern, an das holz datz Amt Buccariza, und das Eysen Agenten
Ambt allda zu Buccari, damit denen Impetranten Ein, so anderes nach verlangen

gegen Quittung außgefolget werde, hiemit intimiret; allermassen auch solches denen Supplicanten erinert, und die Nothdurfft an das löbl. Coll. erlassen worden ist. Dan etc. Gratz den 1^{ten} Aug. 1744.

V. Anno 1680. die 16. Martii sub Guardianatu P. Wolffgangi Koll fuit quaedam **relatio data â P. P. Discretis, et Procuratore de Conventu Segniensi** propria eorum manu subscripta inter quae sequentia leguntur: Primum est, quod Conventus habeat tres campos pro tritico seminando, derelicti autem campi isti sunt â Fratribus nostris antecessoribus, quorum numerus erat centum triginta tres, qui non tantum hos tres campos, sed totum districtum possidebant, imo et telonium, dum autem praedicti Fratres S. Francisci ob metum Turcarum non tantum districtum totum camporum, et hortorum, sed et ipsum Monasterium (ex quo Monasterio aedificatum est fortalitium) dereliquerint. Ill'mi Domini Leonardus, et Duimus Frangepani nos petierunt, et se obligarunt nobis aedificare Conventum in Civitate, in quo defacto nos miserè vivimus, totum districtum camporum, et hortorum praedicti Domini Fundatores nostri nobis obtulerunt, videntes autem Patres nostri Superiores totum districtum camporum esse proprietatem, noluerunt accipere, nisi praenominatos tres campos ob puram necessitatem, et sustentationem vitae nostrae, quoniam, quoniam nullo nos vertere possumus eleemosynando, ubi non essemus in faucibus Turcarum, inimicorumque et ideo tradiderunt Fundatores praedictos tres campos, quia alios Superiores nostri habere noluerunt etc.

VI. Ex hac relatione plura desumuntur notatu digna, et quidem, quod Leonardus, et Duimus Comites Frangepanes fuerint Fundatores posterioris Conventus in Civitate aedificati, non primi extra Civitatem siti, ut jam superius tetigi; nam memoria horum Comitum circa hoc tempus etiam in Scripturis publicis reperitur. Dein, quod Fratres magnam partem Vallis Segniensis possederint, et hoc vel ideo, quia ob continuas Turcarum excursiones extra Civitatem eleemosynam quaerere prohibebantur, alienatis verò campis, et vineis ob defectum alimentorum, et grassantem Lutheri haeresim Fratres adeo diminuti erant, ut subinde vix 4. aut tres Conventum incoherent, imo anno 1628. non erant, nisi duo tantum Patres in Conventu, ut **ex informatione â R^{mo} D'no Joanne Baptista Agatich Episcopo Segniensi Ferdinando II. data 22. Apr.** patet, quae hujus est tenoris: In quo (scil. Conventu) actu ob paupertatem vivere non possunt plures, quam duo, aut tres Fratres, et praesenti tempore reperiuntur in eo R. P. Ludovicus Vollar Praesidens illius, et V. P. Dionysius Ivancovich Praedicator hujus Civitatis, ambo natione Fluminenses, bonae vitae, famae, et exemplaritatis, facientes egregium fructum in Verbo Divino, confessionibus, et devotionibus tali modo, quod populus sit devotissimus ergà eandem Seraphicam Religionem, nec reperitur ulla haeresis, sed boni Catholici, milites Suae Majestatis, et defensores Christianitatis in his confiniis Turcicis.

VII. Quamvis verò antiquus Conventus sat spatiosus fuisse credendus est, utpote cum ex lapidibus ejusdem non tantum Conven-

tus modernus cum Ecclesia saltem in quantum domus pro Conventu applicatae non erant sufficientes, extinctus fuerit, sed etiam ipsum fortalitium â Joanne Lenkovich Capitaneo Segniensi anno 1558. erectum: quamvis etiam Conventus multos campos, vineas, hortos, et domos habuerit, vix mihi quis persuadebit, quod in hoc Conventu 133. Fratres unquam *constanter* habitaverint, quia Montes vicini asperi, infrugiferi sunt, in valle autem praeter aliquos hortos, et vineas exigui sunt campi, demus, quod tota Vallis ad Fratres Minores spectâsset, quod tamen minime est dicendum, quia et alii cives suos hortos, et vineas habuerunt, et Patres Dominicani non exiguam partem possederunt, vix tamen continuò 133. Fratres in eo nutriri potuissent, eò vel maxime, quod vineas, hortos, domos, quae Fratribus legata leguntur, Fratres non semper simul, et semel possederunt, sed acquisita una v. g. vinea, alia vendita erat, et sic practicabatur successivis temporibus, ut plurima desuper confecta instrumenta edocent: verè, si Fratres ex collectis eleemosynis vivere potuissent, non fuisset opus tot domos divendere.

VIII. Dixi notanter *constanter*: Nullatenus enim nego, quod subinde 133. Fratres in Conventu Segniensi (intellege de Conventu antiquo, nam hic nunquam tot personis capiendis capax fuit) degerint, sed tantum ad tempus, eo nempe tempore, quo vicini Conventus â Turcis destructi erant; utique enim Fratres horum Conventuum, qui fugam capere poterant, fugerunt ad partes securiores, qualis et tunc Segnia erat. Et quia plurimi Conventus eodem ferme tempore combusti erant, non est mirum, si 133. Fratres Segniam profugi advenerint, ut ibidem iisdem securè delitescere, et nonnihil respirare liceret; Anno quippe 1537. Conventus Clissensis, et Obravacensis: Anno 1540. Zriniensis et Stinischnacensis: Anno 1543. Bellastinensis, et Othochensis â Turcis Fratribus partim occisis, partim profugis demoliti erant, ut refert Cl. D. Paulus Ritter, alio nomine Vitezovich Eques auratus. Ubi, quaeso, hi intra sex annos ex sex Conventibus pulsi Fratres securum locum invenire potuissent? nisi aut Tersacti, aut Segniae, utpote Conventibus vicinioribus, et tutioribus ac magis â Turcicis invasionibus semotis. Hi itaque profugi Fratres Conventus Segniensis ad 133. numerum auxisse censendi sunt.

IX. Conventus modernus triangularis est, nam partem orientalem Ecclesia occupat. Refectorium ferme in terra est praesertim ex parte meridionali, nam ex medio ambitu supra Refectorium directa ad Sacristiam itur, et hic ambitus aequalem cum platea exteriori habet elevationem. Supra Refectorium sequens est **numerus incisus 1693.** ex quo desumitur, Refectorium si non novum saltem notabiliter, hoc anno reparatum fuisse. In medio ambitu sunt 14. Religiosorum cellae, in superiori verò 12. universim 26. cellae, communiter hic habitant 18. vel 19. aut ad summum 20 Religiosi. Inter quos sunt duo Praedicatores, quorum unus diebus Dominicis, alter diebus festivis populo in idiomate illyrico Verbum Dei proponit. Tertius Concionator militibus praesidiariis in lingua germanica doctrinam Christianam exponit, qui etiam in Schola Normali Cathechistae munere fungitur.

Caput IV.

De Ecclesia, ejus Consecratione, de Aris earumque fundatoribus, de Epitaphiis, virisque conspicuis in ea sepultis, ac de confraternitatibus.

§. I.

De Ecclesia antiqua, et moderna, ejusque Consecratione.

I. Cujus magnitudinis, quibus altaribus ornata fuerit antiqua Ecclesia extra moenia Civitatis sita? nulla extant monumenta, ex quibus quidpiam conjicere possemus: ex pluribus tamen scripturis apparet eam fuisse S. Francisco Seraphico dicatam: **Consecrationis beneficium** percepit **anno 1298.** ut constat **ex litteris in Originali existentibus Petri Episcopi Stacnensis,** qui certas Indulgentias pro die, et anniversario Consecrationis concessit, quaeque hujus sunt tenoris:

Petrus miseratione Divina Episcopus Stacgnensis, ac Crozolensis [**Curzulensis**]⁴⁹⁸ dilecto sibi in Christo Fratri Mario Guardiano Fratrum Minorum Segnae salutem in Domino. Intellecto, quod vos, et Fratres Ordinis Vestri intenditis Ecclesiam, quam habetis in Civitate Segna facere consecrari, Nos qui libenti animo fideles ubicunque existentes, ad pietatis opera in quantum possumus animamus. Si de Episcopi Dioecesani processerit voluntate, de Omnipotentis Dei, et Gloriosae Virginis Mariae, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum etiam auctoritate confisi, vobis tenore praesentium concedimus potestatem, ut omnibus verè paenitentibus, et confessis, qui ad dictam Ecclesiam annuatim die ipsius consecrationis, et per septem dies sequentes causa devotionis accesserint, possitis vice nostra unum annum de injuncta eis paenitentia misericorditer relaxare. In cujus rei testimonium has litteras vobis transmittimus nostri sigilli munimine roborata. Datum Ragussae Kalendis Maji Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo.

II. Postquam verò **Ecclesia** extra civitatem una cum Conventu, ut supra dictum diruta fuisset, et nova intra muros Civitatis opem vel maxime ferentibus Ill'nis Comitibus de Frangepanibus aedificata fuit ea anno 1550. licet nondum totalem perfectionem attigisset, **unà cum tribus Altaribus consecrata à R'mo D. Alberto Episcopo Veglensi,** ut **ex originali desumitur Instrumento** hujus tenoris:

In Christi Nomine Amen. Anno à Nativitate ejusdem Domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo Indictione octava, die autem Dominico ultimo mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini D. Julii Divina providentia Papae tertii anno primo: Et tempore magnifici Domini Joannis Lenkoviz Capitanei civitatis Segnae dignissimi Guardianatus Reverendi Domini Fratris Francisci de Clissia ordinis Sancti Francisci de Observantia: Nos Albertus Dnymius Dei, et Apo-

stolicae Sedis gratia Episcopus Veglensis, Ecclesiam, et Altare magnum S. Francisci ipsius Civitatis Segnae ad honorem S. Francisci, S. Bernardini, et S. Marci Evangelistae: In eadem Ecclesia alterum altare intitulum S. Antonii Patavini, et S. Catharinae per nobilem virum D. Matthaeum de Biasiolis Segnensem constructum: Et in praedicta Ecclesia tertium Altare ad honorem Nativitatis Virginis Mariae, S. Thomae Apostoli, S. Nicolai Episcopi, et S. Apollonii ad instantiam, et requisitionem praefati Reverendi Domini Guardiani, et praefati spectabilis Domini Matthaei consecravimus, quibus Reliquias beatorum Antonini, et Innocentii inclusimus; omnibusque, et singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversarii consecrationum praefatarum ipsa devote visitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiae consueta in Domino concedentes, et in praemissorum fidem et robur nostro solito sigillo communiri mandantes etc. Acta fuerunt haec in Civitate Segnae praesentibus Reverendis Dominis Presbyteris Francisco Zischovicz Primicerio, et Vicario in Spiritualibus Generali, Michaelae Milelich Archipresbytero, et Thomasso Cartedravich Abbate S. Georgii, Nobilibusque viris Dominis Antonio Tadiolo, Francisco Paulich, et Joanne Zischovicz omnibus Segnensibus testibus.

Ego Dominicus filius quondam Domini Viti Blasina nobilis Veglensis publicus Imperiali auctoritate Notarius, Judexque ordinarius, et Curiae Episcopalis Veglensis Cancellarius, praemissis omnibus, et singulis unà cum praenominatis testibus interfui, et rogatus scribere scripsi, authenticavi, et in hanc publicam redegi formam apponendo signum, nomenque meum consuetum, in quorum fidem manu propria me subscripsi etc.

(L. Si-
gni)

III. Ex adducto consecrationis instrumento liquet, quod praeter Ecclesiam, etiam tria Altaria, majus nempe in honorem S. Francisci Seraphici, et duo lateralibus unum in honorem S. Antonii Patavini, et aliud in honorem, et sub titulo Nativitatis B. V. Mariae consecrata fuerint: quibus posterioribus temporibus reliqua altaria cum suis Capellis adjuncta erant, ut §. seq. videbitur. Quia verò Ecclesia parva nimis à principio extructa erat, fuit Sanctuarium protensum circa annum 1725. pro cuius extensione D. Georgius Danicich suam domum post Ecclesiam sitam cessit, Ecclesia est semifornicata, Sanctuarium vero tabulatum, habet tota Ecclesia demptis Capellis in longitudine orgias 14. et in latitudine 4. Viennenses ... Occasione praedictae extensionis, et aliquarum novarum Capellarum fuit Ecclesia anno 1749. die 25. Januarii, [qua]¹⁴⁹⁹ in quam incidit Dominica tertia post Epiphaniam (quā nunc semper anniversaria Consecrationis dies recolitur) solemni ritu consecrata ab Illustrissimo, et Reverendissimo Domino D. Georgio Wolffgango Chiolich de Lewensperg Episcopo Segniensi, et Modrussiensis. Pro aeterna memoria Consecrationis Ecclesiae, et debita gratitudine erga Seraphicae Religioni addictissimum Antistitem Fratres Minores sequens mo-

numentum marmori incisum in Ecclesia posuerunt:

Illustrissimo, Reverendissimo Domino, Domino Georgio Wolffgango Chiolich de Lewensperg Episcopo Segniensi, Modrussensi, Corbaviensi, Abbati S. Georgii infulato etc. etc. In arte gubernandi Magistro, in Scientiis tam Sacris quam profanis doctore, in zelo animarum viro Apostolico, in amore Seraphicae Religionis Patri, Ecclesiam in honorem Sancti Francisci solemniter situ dedicanti octavo Kalendas Februarii 1749: Monumentum hoc Fratres Minores grati posuere.

§. II.

De Altaribus Ecclesiae Segniensis, eorumque fundatoribus, et consecrationibus.

I. In Ecclesia Segniensi octo numerantur Altaria *primum* est Altare majus in honorem S. Francisci Seraphici dicatum, in cujus festivitate nempe die 4. Octobris celebratur hujus Ecclesiae patrocinium. *2^{um}* Altare est S. Crucis ex parte Epistolae. *3^{ium}* S. Joannis Evangelistae pariter ex parte Epistolae. *4^{um}* pariter ex Cornu Epistolae est S. Francisci de Paula. *5^{um}*, et *primum* ex parte Evangelii est Capella et Altare in honorem B. V. Mariae Lauretanae. *6^{um}* est B^{mae} Virginis Mariae de Monte Carmelo. *7^{um}* Est S. Josephi Sponsi B. V. Mariae. *8^{um}* est S. Antonii Patavini. Hae Arae non erant omnes uno, eodemque tempore factae, sed successivis temporibus; apparet enim **ex instrumento suprâ §. 1. n. 2. allato**, quod mox ad initium noviter in Civitate erectae Ecclesiae, fuerint tantum tres Arae, quarum una in honorem S. Francisci, altera S. Antonii Patavini, et tertia honoribus B^{mae} Virginis Mariae dedicatae erant. Si enim tunc plures Arae erectae fuissent, utique etiam eodem tempore consecratae fuissent. Ut autem omnium Altarium notitia posteris innotescat, de singulis sermo instituetur.

II. Et quidem incipiendo ab Ara Majori, ea fuit cum Ecclesia, et probabiliter expensis D. D. Comitum de Frangepanibus constructa, ac ab Alberto Episcopo Vegliensi anno 1550. ut supra innui consecrata. Haec Ara stetit annis 110. nempe usque ad annum 1660. quo anno priori vetustate corrosae alia eleemosynis diversorum benefactorum substituta fuit. Haec verò Ara, quae nunc stat, erecta fuit circa annum 1736. à Domino Petro Wickel, consecrationis beneficio donata fuit anno 1749. quo Ecclesia consecrata fuit, ipsissimo enim die etiam reliquae Arae consecratae erant.

III. Secunda in ordine Ara, et prima ex parte epistolae est Ara S. Crucis, quae anno 1712. sumptibus D. Petri Wickel, qui eam denuo anno 1738. suis sumptibus reparavit, ac pro ejusdem conservatione 200. ducatos legavit, quibus ejus uxor alios 50. adjunxit, qui simul sumpti faciunt germ. mon. f. 283.

Xr' 20. Expensae verò in ejusdem restauratione anno 1738. factae exportant f. 416. X. 20. germ. mon.

IV. Tertia Ara et secunda ex parte Epistolae sub titulo S. Joannis Evangelistae fabricata fuit ex marmore una cum Capella circa annum 1739. sumptibus, et impensis Domini Joannis Demeli Nobilis Segniensis.

V. Circa eundem annum 1739. fuit Ara quarta, ac tertia ex parte Epistolae in honorem S. Francisci de Paula erecta à Domino Petro Stauber Syndico Conventus propriis sumptibus. Ad hanc Aram etiam instituta est Novenna ante festum S. Francisci de Paula.

VI. Quinta Ara, et prima ex cornu Evangelii sita est in Capella Lauretana, quae una cum Capella anno 1761. ex marmore extracta erat in honorem B^{mae} Virginis Mariae de Loreto à Domino Francisco Rosanich: quae eodem anno ab Ill^{mo} Et R^{mo} D. D. Georgio Wolffgango Chiolich de Lewensperg Episcopo Segniensi consecrationis gratia donata fuit.

VII. Sexta Ara, et secunda ex cornu Evangelii primitus facta fuit expensis D. Joannis Wolffgangi Hreglianovich anno 1630. sub Provincialatu A. R. P. Michaelis Chumar. Huic Arae pro dote assignavit ducatos 300. seu germ. mon. f. 340., vetustate corrosa fuit ea noviter ex marmore à Confraternitate Scapularistica in honorem B. V. Mariae de Monte Carmelo facta anno 1761., quam etiam eadem Confraternitas suis nunc sumptibus intertenet: quae etiam cum priori consecrata fuit.

VIII. Septima Ara, et tertia ex parte Evangelii unà cum Capella erecta erat in honorem S. Josephi Sponsi Dei Genitricis Virginis Mariae anno 1691. sub Provincialatu ARP. Conradi Ziegler sumptibus D. Georgii Desantich, qui pro ejusdem manutentione, et illuminatione ordinavit Ducatos 300. Venetae monetae, qui germ. mon. faciunt f. 340. Haec Ara anno 1751. noviter erecta fuit expensis f. 221. X. 4.

IX. Octava, et ultima Ara, ac ex cornu Evangelii quarta erecta erat in honorem S. Antonii Patavini ab Egregio Domino Joanne Michovich, seu Miossicich circa annum 1664. pro cujus manutentione, et illuminatione assignavit ducatos 266. qui germ. mon. faciunt f. 301. X. 28.. Haec Ara anno 1751. restaurata erat expensis Conventus, nisi fors dicere mavis, quod praedictae foundationes in novorum Altarium erectiones insumptae fuerint. Arae omnes partim cum Ecclesia anno 1749. partim anno 1761. consecratae erant.

§. III.

De Epitaphiis, et viris conspicuis in hac Ecclesia sepultis.

I. Haec Ecclesia ferme tot numerat sepulturas, quot lapides; nam mos est hic sepeliendi cadavera effossâ, et superinjecta humo

suprà tumulum ponuntur quadrati **lapides**, quorum plurimis **incisa inspiciuntur primorum Epitaphia**, ut paulo infra videbitur. Nihilominus plures existunt in Ecclesia cryptae formatae, quas diversae familiae sibi, suisque posteris fieri curarunt: nam in Sanctuario penes Cryptam mediam, quae tumulandis Fratribus inservit, sunt tres cryptae, prima est D. Alberti Lang penes Aram Majorem **cum hac inscriptione**: *Domicilium hoc aeternitatis sibi suisque fieri fecit DoMinVs Ioannes ALbertVs Lang fidelis Sac. Caes. Majestatis Vigiliarum Magister*. Altera est penes Capellam Lauretanam D'ni Portner **cum hac inscriptione**: *Arca D'norum Portner de Hoefflein S. extructa â Domino Joanne Carolo Portner Supremo Segniensi Capitaneo in memoriam sui fratris Jodoci Friderici Portner S. C. R. Maj. Capitanei: ideo ... cum 7. globorum ictibus obrutus ... [quae punctantur, legi non poterant.]*⁵⁰⁰ Tertia Crypta est ante portam Sanctuarii Domini Georgii Danicich **cum hac inscriptione**: *Gener: ac stren. D'nus Georgius Danicich Conter^s Civit^s Segn^s Capit^s Arcis Prosor^s, nec non S. R. M. Egreg^s miles procumb^s Deo animam, Patriae corpus, famam aeternitati consecrare voluit. Pro se suisque haeredibus erigi fecit anno D'ni MDCCII.*

II. Extra Sanctuarium etiam plures extant Cryptae, ante Aram S. Crucis sunt duae Cryptae **absque inscriptione**. Ante Aram S. Joannis Evangelistae sunt pariter duae Cryptae. **Supra quarum lapides emortuales** sequens reperitur **inscriptio**: *Sibi, et suis haeredibus pro requie sempiterna in proprio Sacello erigit exequias â Carolo Rom. Imper. VI. creatus S. R. I. Eques Patritius Segniensis, et nominatus Capitaneus Joannes Demelli Nobilis de Lewensfeld*

*Si numeras annos, annos tibi postulo canos,
devota Requiem dicere mente precor.*

Ante Aram S. Francisci de Paula sunt duae Cryptae spectantes ad Familiam Stauber **sine inscriptione**. In Capella Lauretana est una Crypta D'ni Rosanich **cum hac Illyrica inscriptione**: *Ovo je Raka plemenitoga Gospodina Franciska Rosanicha y sinou negovih, nestausi spola muskoga, spada na spol zenski v Segnu na 12. Novembra 1769*. Ante Aram S. Josephi est una Crypta Familiae Desantich **cum sequenti inscriptione**: *Generos. ac Perillustris Dominus Dominus Georgius Desantich Nobilis Civitatis Segniensis, nec non S. C. R^{ae}que Maj. Vaivoda pie obiit in Domino 1707*. Tandem ante Aram S. Antonii est unica Crypta **cum hac inscriptione**: *Perill. ac Gener. D'nus Joannes Miossicich Nobilis Segn. Sac. Caes. R^{ae}que Mat'tis ejusdem Civitatis vexillifer germanorum, et â Nobili Comite ad eandem Sac. Mattem. delegatus existens, postmodum in publica Regni Congregatione Montis Graeczens. Zagrabien. electus, et declaratus Arcium maritimarum vice Comes, pro se suaque uxore D'na Magdalena nata Homolich vivus posuit die XIII. Junii 1687. D'na Magdalena obiit 21. mens. April. anno 169 [(ultimus numerus discerni non potest)]*⁵⁰¹ *aet. suae LXX. vixit cum suo Domino annis 50.*

III. Per Ecclesiam licet nullae sint Cryptae, multi tamen **lapides cum suis inscriptionibus** ad denotandum locum, ubi quisque sepultus jaceat, has **inscriptiones** juxta annorum seriem adduco, *prima inscriptio* est de anno 1552. quo Ecclesia quoad suum aedificium completa fuit Domini Francisci Mudrosscich sequentis tenoris: *Strenuus Franciscus Mudrosscich Brigniarum Praefectus viriliter contra Turcas resistendo ipsorum occubuit telo, cujus sub hujus lapidis mole ossa teguntur 1552. 2^{da} inscriptio* sic sonat: *Petrus Radoevic Bosnensis, alio nomine Milasin militia expertus tumulum hunc sibi, suisque posteris vivus pos. 1552. 3^{tia} est D'ni Bassanisachi hujus tenoris: Dum Spiritus Bassanisachi Patricii Segniensis regebat artus, hanc lapidis molem ad suae, suorumque subsequentium ossa tegenda struere instituit 1552. 4^{ta}: Sepulchrum Ger. Xanicagnac, et haeredibus suis posuit 1552. 5^{ta} hunc continet tenorem: Matthaëus Goichich alias Mogoraevich de Novach in Licha civis Segniensis sibi suisque posteris vivus posuit 1555. 6^{ta} Jacobus Suminic honoratus miles à Turcis interemptus hic jacet 1556. 7^{ma} prope Capellam Scapularisticam **inscriptio** ita sonat: Sepulchrum Joannis Wuchotcich, et suorum haeredum anno Domini 1558. 8^{va} Hic strenui viri Gregorii Pa[†]xevich⁵⁰² ossa requiescunt, Magdalena ejus uxor viro pientissimo post fatum hanc lapidis molem posuit 1561. 9^{na} Hic Nobilis viri D. Matthaëi de Blasiolis Patricii Segn. ossa requiescunt: Catharina uxor f. f. sibi, suisque haeredibus 1564. 10^{ma} Vincentii Battaglie Elena uxor fieri fecit sibi, et suis haeredibus anno Domini 1564. 11^{ma} **inscriptio** infra Sanctuarium est sequens: Hic jacet Gener. ac Perillustris Dominus D. Vitus Chidinovich Nobilis Sac. Caes. Re^{ae}que Maj. Vaivoda Segn. una cum conjuge sua Margarita nata Homolich, qui obiit die 12. Augusti 1659. aet. suae LIII. quem LXVI subsecuta est ipsa die ... Martii 1675. 12^{ma} Matthaëus Tuerdislavich Segn. Vaivoda Sac. Caes. Maj. sibi, suisque posteris vivus posuit 1578. 13^{tia} S. [S. denotat sepulchrum]⁵⁰³ strenui Pauli Assinovich Sac. Caes. Maj. et Ser. Arch. Austr. Vaivoda Segn. haeredumque et successor. suorum vivus posuit Anno Domini 1578. 14^{ta} Sepulchrum Wice Chararadich, et suor. haeredum 1580. die 22. Octobris. 15^{ta} S. stren. Vincentius Smoglian Sac. Caes^{ae} Maj. et Ser. Arc. Austr. Waivoda Segn. civis sibi, haeredumque, et successor. suor. vivus posuit Anno D'ni 1587. 16^{ta} S. Georgii Hreglianovich, alias Sfenda Sac. Caes. Maj. et Ser. Arch. Caroli Aust. miles Segn. haeredum, et suorum successor. vivis posuit 1587. 17^{ma} S. Marii Radibratovich S. C. M. et Ser. Arc. Aust. miles Segn. haeredumque, et successorum suorum vivus posuit anno 1587. 18^{va} Hic jacet Nobilis, ac Generos. D'nus Andreas Skradignianin S. C. R^{ae}que Maj. Burggrassius, Ledenicensis Commendans, et Carlobagensis status membrum, nobilis communitatis Segniensis, qui vitam suam in fidelitate S. C. R. M. sub Bichacz finivit anno 1689. 1. Octobris. 19^{na} Georgius Celovich civis Segn. sibi, suisque posteris vivus posuit 1693. 20^{ma} S. Matthaëi Cuhachevich, et suis haeredibus vivus posuit anno 1697. 21^{ma} Hic Mag. ac Nobilis viri D'ni Antonii Stipsich ossa requiescunt. Egregius D'nus Georgius ejus filius Praef. Arcis Segniae ob honorem patris*

hunc lapidem sibi, ac suis vivus posuit anno Domini MDCC. 22^{da} et ultima sepulchralis inscriptio sine anni determinatione est hujus tenoris: Dominicus Smile-tich Archidiaconus, et Vicarius Segniensis sum possessor hujus sepulturae.

IV. Multi quique ex Inclita Familia⁵⁰⁴ Frangepaniana tam in antiqua, quam moderna Ecclesia sepulti requiescunt, etsi nulla prostent Epitaphia, praeter unicum, quod in antiqua Ecclesia erat D'nae Iscotae Stephani Comitis Segniensis uxoris hujus tenoris: *Hic jacet corpus Magnificae Dominae Iscotae, filiae quondam Domini Nicolai Marchionis Estensis, et Consortis magnifici Domini Stephani Segniae, Vegliae, et Modrussiae Comitis An. 1456. die 29. Januarii.* Supra portam Capellae Lauretanae sequens Dominae Mariae comitissae ab Edling prostat Epitaphium: *D. O. M. Mariae Marlianae Mediolanensis Patritiae dilectissimae conjugis piis cineribus Rudolphus ab Edling Generalis Vigiliarum Praefectus, et Supremus Civitatis Segniae Capitaneus monumentum hoc posuit die 25. Junii anno 1693.* Multi alii et Nobilitate fulgentes, et ab arte militari apprimè commendandi in hac Ecclesia tumulati erant, quorum notitia desideratur.

§. IV. De Confraternitatibus in hac Ecclesia institutis.

I. Prima Confraternitas est Sanctissimi Scapularis Gloriosissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo, quae erecta fuit anno 1654. **vi generalis licentiae datae P. Ministro Provinciali, et Guardianis Provinciae Bosnae Croatiae à R^{mo} P. Theodoro Straccio Vicario Generali Carmelitarum die 20. Junii 1615.** sequentis tenoris:

FR. Theodorus Straccius Magister, ac humilis Procurator, et Vicarius Generalis Ordinis Carmelitarum.

Dilectis nobis in Christo R. R. Patribus Ministro Provinciali, et Guardianis Provinciae Bosnae Croatiae Ordinis Minorum de Observantia nunc, et pro tempore existentibus salutem in Domino sempiternam.

Qui aliis praesunt, id potissimum considerare debent, ut omnibus prosint: Ideo cum Religio nostra beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo plurimis, et maximis privilegiis à diversis Summis Pontificibus sit cumulata, convenit maximè nobis, qui ejusdem Religionis curam gerimus, operam dare, ut hujusmodi gratiarum omnes Christifideles participes reddantur. Quapropter auctoritate nostra, et Apostolica harum serie vobis R. R. Patribus Ministro Provinciali, et Guardianis Provinciae Bosnae Croatiae Ordinis Minorum de Observantia nunc, et pro tempore existentibus supradictis licentiam damus habitum nostri Ordinis benedicendi cum omnibus gratiis, privilegiis, et Indulgentiis à Summis Pontificibus nostrae Sacrae Religioni concessis. In quorum fidem praesentes nostra manu nostrique Officii sigillo munitas fieri jussimus. Dat. Romae die

836

XX. Junii 1615.

(L. S.)

FR. Theodorus Straccius Procurator
et Vicarius Generalis Carmelitarum.

Praesentibus valituris usque ad beneplacitum nostrum, Generalis, et Successorum.

Concedimus liberum usum in nostra utraque dioecesi Authoritatis praedictae concessae R'ndis P. P. Franciscanis Segniae 8. Junii 1654.

Petrus Mariani Episcopus Segniensis, et Modrussensis.

II. Hanc eamdem Confraternitatem R^{mus} P. Ludovicus Benzoni Sacrae Theologiae Magister, et Doctor, humilis Prior Generalis totius Ordinis Fratrum B^{mae}, semperque Dei Genitricis Mariae de Monte Carmelo, antiquae Observantiae Regularis, nec non Commissarius, et Visitator Apostolicus ejusdem Ordinis anno 173[†]⁵⁰⁵ die 6. mensis Januarii.⁵⁰⁶ Altera Confraternitas Cordigerorum S. P. N. Francisci erecta fuit anno 1740. die 30. Januarii Authoritate R^{mi} Patris Felicis à Roma Cismontanae Familiae Ordinis Fratrum Minorum Commissarii Generalis, annuente Ill^{mo} et R^{mo} Domino Joanne Antonii de Benzoni Episcopo Segniensi, prout litterae in Originali extantes luculenter demonstrant. Praeterea propagatur indies Tertius Ordo S. Francisci cum ingenti piorum aedificatione, magna itidem devotione quotidie obire solet populus Segniensis stationes S. Viae Crucis, quae etiam ob populi devotionem saepius praeunte Sacerdote dari solet.

Caput V.

Catalogus Fratrum (quorum notitia haberi potuit) in Conventu Segniensi defunctorum.

- 1606. circiter ARP. Franciscus Bogdanich, fuit Praedicator, Cantor, et Organista, ac anno 1598. Minister Provi'alis.
- 1650. 3. Sept. P. Bartholomaeus Pussich.
- 1661. 2. Aug. Rel. Fr' Petrus Filkovich laicus S. Custodiae Ladislai filius.
- 1695. 8. Maji VP. Joannes Nonni ann. 31. Rel. 14.
- 1698. 11. Januar. VP. Aegidus Marno ann.... Rel. 17.
- 1706. 24. Sept. MVP. Eustachius Retter Ann. 64. Rel. 37.
- 1713. 14. Maji MVP. Juniperus Mershnig Con'or, et Vicar. act. Ann... Rel. 27.
- 1715. 20. Nov. Rel. Fr' Martinus Dolliniz cler. Ann. 24. Rel. 3. Vippac.
- 1729. 29. Dec. MVP. Chrysostomus Perdan Labac. Ann. 73. Rel. 54.
- 1730. 1. Dec. MVP. Octavius Chiarpei Gorit. Ann. 50. Rel. 34.

1732. 27. Febr. Rel. Fr' Fabianus Kobler laic. Neost. Ann. 34. Rel. 17.
 1738. 24. Feb. MVP. Clemens Pillepich Con'or, et Guard. Ann. 61. Rel. 41.
 1739. 24. Junii V.P. Thomas Obermacher ann. 34. Rel. 14.
 23. Julii Rel. Fr' Franciscus Buglioni cleric. Ann. ... Rel. 7.
 26. Aug. VP. Athanasius Rachar Flednicens. Ann. 40. Rel. 19.
 1742. 10. Octob. MVP. Anselmus Brattina saepius Vicar., et Guard. Ann. ... Rel. 35.
 1743. 17. Feb. Rel. Fr' Franciscus Allitsch, laic. Ann. 55. Rel. 33.
 1747. 1. Maji Rel. Fr' Jacobus Ziegler Lab. laic. Ann. 76. Rel. 52.
 1748. 22. Maji Rel. Fr' Quirinus Tollmayr Canal. laic. Ann. 59. Rel. 37.
 1750. 1. Mart. Rel. Fr' Bartholomaeus Brigant laic. sut. Ann. 57. Rel. 36.
 1757. 4. Jan. V.P. Bonifacius Winkler, Carinth. Ann. 75. Rel. 52.
 1758. 7. Julii MVP. Zacharias Matko Con'or Ss. Theol. lect. Ann. 49. Rel. 28.
 1759. 28. Febr. M.V.P. Cyprianus Cyganich Flumin. Con'or Lect. gener. Ann. 46. Rel. 29.
 6. April. V.P. Justus Verier Tergest. Jub. Ann. 73. Rel. 53.
 1763. 22. Julii V.P. Mauritius Stanta Ann. 53. Rel. 34.
 1766. 1. April. Rel. Fr' Joannes Nepomucenus Meiss laic. Ann. 46. Rel. 25.
 18. Aug. Rel. Fr' Onuphrius Gözfrid Bavar. laic. Ann. 74. Rel. 45.
 1768. 12. April. Rel. Fr' Venantius Wasserpurger Tert. Ann. 59. Rel. 29.
 1770. 29. Mart. Rel. Fr' Sergius Michelitsch Tert. Ann. 58. Rel. 36.
 1772. 30. Decemb. V.P. Cajetanus Ingolitsch Org. Ann. 69. Rel. 51.
 1774. 22. Maji V.P. Gabriel Margan Drag. multorum annorum in lingua Illyrica-Praedicator zelosus Ann. 67. Rel. 45.
 13. Aug. V.P. Quirinus Juha Flumin. Con'or fest. act. Org. Ann. 29. Rel. 11.

838

1778. 14. Jun. Rel. Fr' Rochus Poeti laic. coqu. Ann. 63. Rel. 45.
1780. 17. Jan. M.V.P. Simon Kappus Flumin. Con'or Ordin. ann. 56. Rel. 36.
1781. 25. Dec. Rel. F. Hilarion Kistler laic. Austr. an. 74. Rel. 47.
1785. 22. Dec. VP. Hubertus Inamo Carn. Vipac. an. 53. Rel. 35.

Caput VI.

Elenchus Patrum Guardianorum, quorum notitia ex monumentis innotuit.

Quamvis Conventus isthic primò circa annum 1475. Provinciae Dalmatiae P. P. Conventualium adeptus, et Patribus Observantibus Provinciae Bosnae traditus fuerit, tamen non abs re fore judicavi etiam aliquod Conventualium Guardianos adducere.

P. Marcus N. fuit Guardianus 1298.

P. Quirinus de Veglia 1345.

P. Domarus de Antibaro 1360.

P. Tryphon N. 1371.

P. Marcus de Veglia 1374.

P. Nicolaus Storth 1380.

P. Nicolaus de Veglia 1384.

P. Georgius â Pellench 1395.

P. Nicolaus de Spaletto 1410.

P. Gregorius de Modrussa 1412.

P. Antonius d'Arbo 1415.

P. Michael de Jadera 1420.

P. Gregorius de Modrussa 1421.

P. Michael de Jadera 1422. 1423.

P. Joannes de Jadera 1430. 1431.

P. Paulus de Segnia 1434.

P. Cyprianus de Sibenicho 1435.

P. Benedictus N. 1458.

Sequentes erant de Observantia

MVP. Franciscus â Ragusio 1484.

MVP. Martinus de Bihacz 1490.

MVP. Ammonius de Hrastoviza 1510.

MVP. Franciscus de Clissa 1546. 1549. 1550.

A.R.P. Nicolaus Zauriczevich de Flumine Prov. Pater 1596. 1606. 1613. 1614.
1619. 1620.

MVP. Bernardus Horcha de Gradisca 1621.

A.R.P Nicolaus Zauriczevich Prov. Pat. 1622.

MVP. Ludovicus Volar Praesid. 1628.

MVP. Josephus Stropagievich 1630.

MVP. Elzearius Shente Gvard. 1632.

MVP. Leonardus Buttorchich 1634.

A.V.P. Bernardus Horcha Ex-Diff^{or} 1635. 1636.

A.R.P. Nicolaus Zauriczevich Prov. Pat. 1640.

MVP. Adjutus Sokolich 1641.

AVP. Bernardus Horcha bis Ex-Diff'or 1642.

MVP. Joannes Haberle Con'or Praesid. 1643. 1644. 1645.

MVP. Ludovicus Volar Praes. 1646. 1647.
 MVP. Franciscus Benkovich Con'or 1648.
 A.V.P. Leonardus Buttorchich Con'or, Ex-Diff'or Praes. 1649. 1650. Guard. 1651. 1652.
 M.V.P. Ludovicus Bandar 1653. 1654.
 M.V.P. Carolus Perion 1655.
 M.V.P. Benignus Decolaris 1656. 1657. 1658.
 A.V.P. Uriel Bennas Ex-Diff'or 1659. 1660. 1661.
 M.V.P. Laurentius Thomassich Con'or 1662. 1663.
 A.V.P. Uriel Bennas Ex-Diff'or 1664. 1665.
 M.V.P. Stanislaus Remus Con'or 1666.
 M.V.P. Didacus Figar Con'or 1667. 1668.
 M.V.P. Paulus Flessar Con'or 1669.
 M.V.P. Bartholomaeus Zulliani Con'or, lect. Thl'gus 1670. 1671.
 M.V.P. Andreas Romani Con'or 1672.
 M.V.P. Michael Angelus Obershnel Con'or, lect. 1673.
 M.V.P. Joannes Baptista Magnetich 1674. 1675.
 M.V.P. Paulus Flessar Con'or. 1676.
 M.V.P. Michael Angelus Obershnel Con'or, lect. 1677.
 M.V.P. Wolffgangus Koll, Con'or 1678. 1679. 1680.
 M.V.P. Josephus Bossich Con'or 1681. 1682. 1683.
 M.V.P. Joachimus Perger Con'or 1684. 1685. 1686.
 M.V.P. Bartholomaeus Zulliani Con'or, lect. gener. 1687.
 M.V.P. Joachimus Perger Con'or 1688.
 M.V.P. Franciscus Scalletar Con'or, lect. 1689. 1690.
 M.V.P. Marcus Cragui 1691. 1692.
 M.V.P. Georgius Lucich Con'or 1693. el. 2. Mart.
 M.V.P. Marcus Cragui el. 26. Nov. 1693.
 M.V.P. Juniperus Mershnig 1694. 1695.
 M.V.P. Franciscus Kimerle Con'or 1696.
 M.V.P. Felix Chiarpei 1697.
 M.V.P. Georgius Lucich Con'or 1698.
 M.V.P. Vitus Juriavitsch Con'or lect. 1699.
 M.V.P. Marcus Cragui 1700. 1701.
 M.V.P. Bonaventura Metternig 1702. 1703.
 M.V.P. Sigismundus Babel Con'or lect. 1704.
 M.V.P. Constantinus Kauffman 1705.
 M.V.P. Sigismundus Babel Con'or, lect. 1706. 1707.
 M.V.P. Malachias Bersoglia Con'or 1708.
 M.V.P. Georgius Lucich Con'or 1709.
 M.V.P. Joachimus de Gratia 1710. 1711.
 M.V.P. Eugenius Gottschever 1712. 1713. 1714.
 M.V.P. Georgius Lucich Con'or 1715.
 M.V.P. Zephyrinus Francovich Con'or 1716.
 M.V.P. Constantinus Feitel Con'or, lect. 1717.

M.V.P. Eugenius Gottschever Con'or, lect. gener. 1718. 1719.
 M.V.P. Clemens Pillepich Con'or 1720.
 M.V.P. Ildephonsus Pomayr Con'or 1721.
 M.V.P. Clemens Pillepich Con'or 1722. 1723. 1724.
 M.V.P. Eugenius Gottschever Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or 1725.
 M.V.P. Clemens Pillepich Con'or, [lect]⁵⁰⁷ 1726.
 A.V.P. Eugenius Gottschever Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or 1727. 1728.
 M.V.P. Clemens Pillepich Con'or 1729.
 M.V.P. Damasus Pasquan Con'or 1730.
 M.V.P. Anselmus Brattina 1731. 1732.
 M.V.P. Felicianus Brattusch Con'or 1733.
 M.V.P. Anselmus Brattina 1734. 1735. 1736. Praes. 1737. 1738. usque ad 6. Dec. 1739.
 M.V.P. Deodatus Cebull Con'or, lect. gener. 1739. 1740.
 M.V.P. Alexander Bresciak Con'or 1741.
 M.V.P. Franciscus Suppantshitsch con'or 1742. 1743. 1744.
 M.V.P. Felicianus Brattush Con'or, Ex-Diff'or 1745. 1746.
 M.V.P. Josephus Bachovitsch Con'or 1747.
 M.V.P. Cherubinus Standler Con'or 1748.
 M.V.P. Felix Rosencranz Con'or 1749.
 M.V.P. Cyprianus Cyganich Con'or lect. gener. 1750.
 M.V.P. Capistranus Zuppari Con'or 1751.
 M.V.P. Wolfgangus Ettl Con'or 1752. 1753. 1754.
 M.V.P. Cyrillus Makay Con'or 1755.
 M.V.P. Nicolaus Premur Con'or 1756.
 A.V.P. Petrus Moysè Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or 1757. 1758.
 M.V.P. Wolfgangus Ettl Con'or 1759. 1760. 1761.
 M.V.P. Borgias Fabris Con'or 1762.
 M.V.P. Daniel Arzon [Con'or]⁵⁰⁸ 1763.
 M.V.P. Hermelandus Marchioli Con'or, lect. 1764. 1765.
 M.V.P. Chrysogonus Shustertschitsch Con'or, lect. gener. 1766.
 M.V.P. Constantinus Lakovich Con'or 1767. 1768. 1769.
 M.V.P. Probus Penky Con'or 1770.
 M.V.P. Rogatianus Mladenich Con'or, lect. gener. 1771. 1772.
 M.V.P. Juvenalis Smodin Con'or, lect. gener. 1773. 1774.
 M.V.P. Laurentius Tomada Con'or, lect. gener. 1775.
 M.V.P. Damianus Matschig 1776. 1777.
 M.V.P. Agnellus Geislmann Con'or 1778.
 M.V.P. Maxentius Delneri Con'or 1779. 1780. 1781.

842

M.V.P. Constantinus Lakovich Con'or 1782.
 M.V.P. Bernardus Garzarolli Con'or, Ss. Th. lect. 1783. 1784.
 M.V.P. Elzearius Pasconi Con'or 1785. 1786. 1787.
 M.V.P.⁵⁰⁹ Bernardus Garzarolli 1788. 1789. 1790.
 M.V.P. Damianus Matscheg 1791. 1792. 1793.⁵¹⁰
 M.V.P. Lucius Velischig Praesidens 1794.⁵¹¹
 M.V.P. Hermagoras Palladini Coñ'r 1795. 1796. 1797. 1798. 1799. 1800. 1801.
 M.V.P. Barlaam Kešer Coñ'r 1802. 1803. 1804. 1805. 1806. 1807. quo anno in
 Aprili Segniensis Familia per Decretum Tersactum translata, quia Coñ'tus in
 Seminarium Episcopale fuit transmutatus.

Sigillum

Conventus Segniensis praesefert effigiem S. P. N. Francisci stigmata â Christo in
 modum Seraphim efformato recipientis **cum hac inscriptione: SIG. CONV. SEGN.**
ORD. MIN. REFORM.

26. Aug. 1779.

VI. CONVENTUS

Ad

D. JACOBUM APOSTOLUM

in

Civitate Lithopolitana, seu Camnicensi

In

Ducatu Carnioliae

Caput I.

De civitate Camnicensi.

I. Civitas [*Camnicensis*]⁵¹² Lythopolitana, seu *Lithopolis*, Germanis *Stain*, vel *Stein*, vulgo *Kamnik* vel *Kamnek* dicta, â nonnullis desumpto nomine â vulgari vocabulo *Kamnik*, *Camnicium* appellari solet, quo nomine et ego per decursum hujus historiae, non quia melius, sed quia apud nos magis in usu est, utar. Civitas tribus mill. germ. septentrionem versus Labaco semota est, ac Superiori adnumeratur Carnioliae. Ab amne Feistricio irrigatur, quamvis hic fluvijs non est magnus, est tamen rapidus, ac tempore subitaneae pluviae adeo excrescit, [*et*]⁵¹³ ut ingentia civibus causet damna, imo etiam integras domos secum abripiat; duabus milliaribus infra Camnicium sese cum Savo fluvio conjungit. Civitas in temporalibus Domui Austriacae paret, in spiritualibus olim Dioecesis Aquilejensis erat, nunc Archidioecesis Goritiensis. Nomen, quod gerit, â lapidibus, quorum magna copia circa Civitatem visitur, sortita est.

II. Quatuor habet portas, prima est, per quam ex suburbio Shutt ad Civitatem itur, altera est penes aquam [*Suhgbaah*]⁵¹⁴ *Shußbach*, tertia viam per pontem ad aliud suburbium sub Monte, et Arce Oberstein situm pandit, quarta, quae superior dicitur, transitum ad suburbium Graben concedit. Praeter hebdomadales qualibet feriâ 3^{tia} institui solitas nundinas, quinque aliae solemniore in anno celebrantur: *primae* olim Dominica prima Adventus, nunc semper in festo S. Barbarae, si non cadat in diem Dominicum, *secundae* Dominica prima in Quadragesima, nunc in festo S. Gregorii Papae, si pariter extra Dominicum diem cadit, quia ex novo Sapientissimo Aulico Decreto diebus Dominicis et festivitatibus de praecepto nundinae celebrari prohibentur: 3^{tae} in festo Sanctorum Primi, et Feliciani Martyrum: 4^{tae} in festo S. Jacobi Apostoli, ac 5^{tae} in festo Sancti Bartholomaei Apostoli.

III. Fertur, uti etiam *Valvasorius Topogr. Carn. lib. 11. pag. 541.* adserit fuisse olim, ubi nunc Civitas est, lacum, ex quo aqua effluebat per locum; ubi nunc porta Shut-tensis est: deinde verò semel solutis coeli cataractis ingens aquarum exundantia disrupto monte (nam monticulus Kleinfest conjunctus erat cum monte, cui insidet Oberstein) viam, quam nunc tenet, sibi efformavit. Per hanc violentam Montis disruptionem

aqua totum Monspurgensem campum lapidibus replevit. Hujus asserti lacus quondam existentiam praeter perpetuam traditionem, etiam quidam ferrei circuli, quos ipsemet vidi muro obfirmati in Monte Kleinfest, qui navibus alligandis serviebant, non enim alius eorum usus assignari potest. Interim rem tanquam certam, et omni omnino dubio carentem utpote destitutam certis documentis, vendere nolo.

IV. In suburbio Schutt extat Ecclesia Parochialis sub titulo B^{mae} Virginis Mariae Elisabetham visitantis, quae anno [...] ⁵¹⁵ è fundamentis reaedificata fuit, continet haec Parochia sub se 4. Vicariatus videlicet in Neul, S. Marini in valle Tuhainensi in Tuhain, ac in Neuthal, omnes Vicarios, ac reliquos Sacerdotes curatos ponit Parochus Camnicensis. Parochum praesentat Episcopus Labacensis, cui Ferdinandus II. tempore Thomae Chrön Episcopi Labacensis pro diversorio, quando iter Oberburgum faceret, donavit. Praeter Ecclesiam Parochialem sunt in Coemeterio aliae tres Capellae una S. Mariae Magdalenae, altera S. Michaelis, et tertia S. Dorotheae. In Civitate est Ecclesia S. Jacobi Apostoli cum Monasterio P. P. Franciscanorum, de qua infra: Item in monticulo Kleinfest sunt tres Ecclesiae, una supra alteram extra Civitatem in Monte Sallenberg fuit Ecclesia in honorem S. Josephi aedificata anno 1675. penes quam in loco adhuc eminentiori constructa est non adeo pridem Capella, communiter mons Calvariae dicta, in honorem B. V. Dolorosae.

Caput II.

De Prima introductione Fratrum Minorum ad civitatem Camnicensem, et Conventus desertione.

§. I.

De aedificatione Conventus Fratrum Minorum.

I. Variae sunt circa primordia hujus Conventus sententiae. **P. Glavinich** in Orig. Prov. Bosn. Croat. pag. 25. reponit initium hujus Conventus ad annum 1413. Aliqua vetusta relatio originem ejus ad annum 1462. collocat. **Valvasor Topog. Carn. lib. 8. pag. 810.** ex sequenti numero 1495. in quadam Conventus fenestra reperto, initia Conventus ad praedictum annum reponit. Valvasorii sententiae ultra subscribo, non tam illius conjectura motus, quam auctoritate **Friderici III. aliis IV. Romanorum Imperatoris** convictus, qui ad instantiam civium Camnicensium sub dato Lincii Sabbatho post festum S. Margaritae anno 1493. eisdem licentiam tribuit penes Ecclesiam S. Jacobi aedificandi Conventum pro Fratribus Minoribus de Observantia. Sicque contigit, ut Conventus anno 1493. habita Caesaris facultate initium sui aedificii sumpserit, anno verò 1495. saltem quoad majorem sui partem completus fuerit.

II. Porro tenor litterarum, quae in Archivio Civitatis Camnicensis adhuc in Originali asservantur, Friderici Imperatoris talis est:

Wir Fridrich von Gottes Gnaden Römischer Kayser zu allen zeiten Mehrer des Reichs zu Hungarn, Dalmatien, Croatien König etc. Herzog zu Österreich, zu Steier, zu Karndten, und zu Crain etc. bekennen, das Wir vnsern, Lieben, getreüen *dem Richter, Rathe, und Vnsern Burgern zu Stain*⁵¹⁶ in Crain von fleyssiger bitte wegen, und sondern gnaden zu Mehrung des Gotts-diensts, dessen Wir auch hoffen theilhaftig zu werden, vergunt, und erlaubt haben wissentlich mit dem brieff, das sie St. Jacobs Capellen in derselben vnser Stadt gelegn, nach dem kein Meess darin, als wir vernemen, gestift, auch sunst kein Gotts-dienst, ~~dessen wir~~ in der bemelten vnserer Stadt, und in darauß zu der Pfarr Kirchen, und Capellen in den Kriegsleüffen, oder von Inzug wegen der Türken sorglich zu kommen ist, zu einen kloster zu richten, bauen, und darin Münich St. Franciscen Ordens der Observanz nemen, und darin mit Ihren Gotts-diensten halten mögen von meniklich ungehindert ungevörllich.

Dauon gebieten Wir den Edlen, unsern Lieben, getreüen, allen vnsern haubtleüten, Grauen, Freyherrn, Rittern, und knechten, Verwesern, Viztumben, Pflegern, Burggrauen, Land Richtern, Burgermeistern, Richtern, Räten, Burgern, Gemeinden, und allen vnsern Ambtleüten, vnterthanen, und Getreüen, besonder dem Ehrbarn, unsern Lieben, Andächtigen *Jörgen Hertenfelsers*⁵¹⁷ Pfarrer zu Stain, oder wer künfftiglich Pfarrer dasselbst seyn wirdet, ernstlich, und wöllen, das sie die obbenanten vnsern Burger bey diesem unserm vergunen, und erlauben, wie vorstehet, beruhblich bleiben lassen, und Ihnen daran keine Irrung nach hindernuß thun, nach des Jemands andern zu thun gestatten in keiner weiß ungerlich, mit vrkund des brieffs. Geben zu Lynz am Sambstag nach St. Margarethen tag nach Christi geburd vierzehn hundert, und in drey, und Neünzigisten, unsers Kaysertumbs in zwey, und vierzigisten, unserer Reiche des Römischen in vier, und fünfzigisten, und des hungarischen in fünf, und dreyssigisten Jahren.

(L. S.
Civ.)

Das obstehende Abschrift dem Originali
von worth zu worth gleich laute, und Coll.
worden, bezeiget mein vntershrift.
Stadt Stein den 15. 9'ber 1770.

Franz Georg Hogen
Stadt Syndicus m'ppa.

III. Ex hoc gratioso Caesareo Rescripto omni disputationi circa annum erectionis Conventus finis imponitur, ejusque erectionis annus 1493. aut saltem sequens, quantum ad initium ponitur, et stabilitur. Si enim Conventus initia ante prae-

dictum annum posita fuissent, nugarentur cives cum Imperatore petendo ab eo facultatem aedificandi Conventus; quod verò Conventus anno 1497. omnino perfectus fuerit, patet **ex P. Herzog, qui in Cosmogr. Austriaco Franciscana c. 3. §. 2. fol. 66.** refert anno 1497. fuisse Camnicii mortuos duos Fratres Clericos Gregorium de Nördling, et Casparum de Athesi. Unde perspectum omnino est Conventum ab anno 1493. usque ad annum 1497. omnibus numeris absolutum fuisse, totalemque attigisse perfectionem.

IV. Secundò: **ex hoc Caesareo Rescripto** desumitur, Cives Camnicenses plurimum contulisse ad aedificationem Conventus, quia illi apud Imperatorem pro licentia aedificandi Conventum institerunt, et illis **Rescriptum Caesareum inscriptum** fuit, **et transmissum**, quod usque in hodiernum diem fideliter servant. Quapropter perperam asserit **Valvasor loc. supra cit.** hujus Conventus fuisse fundatores Dominos à Thurn, et Hochenwart, si enim isti primarii fuissent fundatores, indubiè Rescriptum Caesareum ad illos directum fuisset, illudque conservassent. Per hoc tamen non nego, Nobiles circumvicinos, quorum tunc magna copia circa Civitatem erat, signanter Comites à Thuri, et Gallenberg, Barones de Lamberg, Schwab, Rasp, Rain, Isenhausen, Ramschissel, Bersan, Hasiber, Raising, Gall, Buthalizi, alique viri illustres multum contulisse ad aedificium Conventus, ut in **quodam MS.** legi.

V. Tertio: Ex hoc eodem Rescripto retunditur eorum opinio, qui ajunt primos hujus Conventus incolas fuisse Patres Conventuales usque ad annum 1513. quo anno pulsus Conventualibus PP. Observantes Provinciae Austriae introducti erant; errant, inquam, qui ita putant, eorumque error **ex illis verbis Rescripti Caesarei: und darin Münich St. Franciscen Ordens der Observanz nemen** detegitur. Deinde minime credendum est, quod Imperator, qui alios Conventus Conventualibus abripuit, ac Observantibus tradidit, prout anno 1491. quatuor nempe annis ante aedificationem Conventus Camnicensis, Conventum Labacensem Conventualibus alio abire jussis Patribus Observantibus tradidit, ut **supra de Conv. Lab. c. 3. §. 2. per tot. pag. 235.** dictum est, hunc noviter aedificandum Conventum Patribus Conventualibus dare voluerit. Denique dum anno 1538. Patres Conventum deseruissent, erant ii Patres Observantes Provinciae Austriae, **ut innuit Ferdinandus Romanorum Rex et Archidux Austriae in suis litteris**, vi quarum Fratribus Conventum deserendi licentiam tribuit, ubi sic habet: *Religiosus nobis dilectus, ac devotus N. Minister Austriae Ord. Min. Discalceatorum.* Quando, quaeso, P. P. Conventuales *discalceati* appellati sunt? Quem itaque locum intra 43. annos, quibus hic Conventus inhabitatus fuit, videlicet ab anno 1495. usque ad annum 1538. Patribus Conventualibus relinques?

Tandem Conventus hic annis praedictis semper reperitur in Catalogo Provinciae Austriae de Observantia sub nomine *Conventus Stainensis Ss. Primi, et Feliciani in Carniolia*.

VI. Nec juvat dicere 1^{mo} quod Conventuales Conventum occupaverint post discessum PP. Observantium; quia anno mox sequenti post discessum P. P. Observantium, ut §. sequ. videbitur, fuit ad instantiam civium Parochia ad hanc Ecclesiam translata. Nec juvat dicere 2^{do} Patres Conventuales hunc Conventum incoluisse ex eo, quia Conventus habuit bona stabilia, quae non licebat Observantibus possidere, nam aliqua bona erant bona Ecclesiae, alia verò necessitate compulsi acceptare cogeantur, quia grassante Lutherismo non poterant victui necessaria mendicando acquirere. Nec juvat dicere 3^{io} Conventum prius ad Conventuales spectasse ex eo, quia P. Minister Provincialis Conventualium Ferdinando II. supplicavit, ut Conventus sibi tradatur; etenim P. Michael Chumar Minister Provincialis Provinciae Bosnae Croatiae de Observantia etiam pro eo supplicuit: nullus tamen ex hoc infert, quod Conventus prius ad Patres praedictae Provinciae spectaverit.

§. II.

De discessu Patrum Provinciae Austriae de Observantia ex Conventu Camnicensi.

I. Postquam Patres Observantes Provinciae Austriae hunc Conventum annis 43. inhabitassent, infelix Martini proprio cognomine *Luder*, quod, ne, qualis sit, ipso cognomine prodatur, in cognomen *Luther* commutavit, secta totam ferme Carnioliam infecit, quam homines libertatis amatores, cui haec secta apprimè favebat, absque multa cunctatione à potiori amplexati sunt. Qui cum viderent, Religiosos viros se omnibus viribus huic sectae opponere, eis consuetam eleemosynam victui necessariam dare interdixerunt, eorumque proventus violenta manu, quae nec ipsis Deo sacratis domibus parcebat, diripiebant, ac sua subiciebant potestati, quam crudelitatem etiam hujus Coenobii incolae non sine magna amaritudine experti sunt: Unde *Patres Austriacae Provinciae in Comitibus Provincialibus ad S. Hippolytum die 5. Maii 1536. celebratis, decreverunt, ut quaedam loca in Carniolia, in quibus Fratres ab haereticis cum magna saevitia tractantur, nec ob Sclavonicae linguae ignorantiam eleemosynam debite colligere possunt, in Nomine Domini deserantur. Dein sequens prodiit Decretum: Locus in Stein eo quod Fratres longo tempore ab Haereticis vexentur, maximam angustiam, et pressuram, ac vitae necessariorum penuriam patiantur, cum Regio etiam consensu deseratur.*

II. *Petitum Regium consensum* deserendi Conventum obtinuerunt Patres, sed aegre admodum, à *Ferdinando I. Romanorum Rege et Archiduce Austriae [sequitur]*⁵¹⁸ die 16. Nov. 1538. sequentis tenoris:

Ferdinandus D. G. Romanorum, Hungariae, Bohemiae Rex etc. Dilecti, fideles. Humiliter significavit Venerabilis, Religiosus, Nobis dilectus, ac devotus N.

Minister Provincialis Austriae Ord. Min. discalceatorum Monasterium Ord. *Steinense* dictum, et in nostro Carnioliae principatu situm, etsi per plures annos ibi dicti Fratres sat numerosi ex eleemosyna, quam ipsi colligebant,

se sustentarent, ac detinerent, ob praesentium temporum calamitates, perniciose ubique grassantes haereses, et Religionis scissuras ulteriori habitaculo haud aptum fore; cum eleemosyna antea à fidelibus largiter data adeo deficere incoeperit, quod numerus Fratrum jam ad binarium redactus, posthac nequaquam se sustentare posset, adeoque Fratres extrema necessitate compulsi supradictum Conventum derelinquere intendant, dummodo et Nos benignum assensum, pro quo humillime supplicant, eis praestiterimus. Tametsi autem hujusmodi consensus difficilis nobis evadat, perpendendo praecipuè Religionem, et laudem Divinam exinde pati jacturam; quia tamen ad multiplicatas eorum preces ac demonstrationes advertimus, se nullatenus ibi diutius posse morari, benignum illis tribuimus consensum, hunc locum deserendi, ac alibi pro vitae sustentatione eleemosynam quaerendi. Hinc nostrum est mandatum, ut Monasterium eorum cum rite disposito inventario in tuam curam accipias, Fratres alio pergere permittas: de claustro verò usque ad aliam ordinationem debitam sollicitudinem geras: si autem res aliter se haberet, protinus nos informes. In hoc siquidem facies nostram voluntatem. Datum in nostra Civitate Viennensi die 16. Novembris Anno 1538. Romani nostri Regni anno octavo, aliorum duodecimo. Ferdinandus.

III. Quamprimum Conventus abeuntibus Fratribus Minoribus vacuus relictus fuit, mox Cives propter majorem commoditatem petierunt à praedicto Ferdinando Rege, ut Parochia cum Scholis, et hospitali ad dictum Conventum transferrentur; qui eorum precibus sequenti **Rescripto in Archivio Civitatis in Originali reperibili die 11. Septemb. 1539.** clementissime annuit:

Wir Ferdinand von Gottes Gnaden Römischer König zu allen zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien, zu Hungarn, Böhheim, Dalmatien, Croatien, und Sclauonien etc. König, Infant in Hispanien, Erzherzog zu Österreich, Herzog zu Burgund, zu Steüer, Karnten, Crain, und Wirtenberg etc. Graue zu Tyrol etc. bekenne, alß Vnß unser getreüe, Liebe N. Richter, und Rath unser Stadt Stein in unsern fürstenthumb Crain nun mehrmals unterthäniglich fürgebracht, wie das Baarfüssen Closter bey ihnen in der Stadt dermassen ihres selbst unvermögens, und anderer ursach halben in Abfaal kommen, das sich nun mehr kein ordens Persohn wohl enthalten, nach das bemelte Closter mit dem dachwerk, oder in ander weeg vor grosser baufälligkeit, und endlichen vntergang verhüetet werden mag, und dieweil sie aber sonderlich in diessen laüffen, winterszeiten Ihr Pfarr Kirchen, die sie ausserhalb der Stadt haben, mit sonderer beschwerung besuchen müssen, darauß ge-

fahr, und Nachtheils zu besorgen, haben sie vns mit aller gehorsamb angelangt, und gebetten, das Wir ermelter vrsach halben gnediklich bewilligen, und vergönnen wolten, das die ermelte Pfarr Kirchen sambt der Schull, und Spital, weil doch sunst das Closter, wie vor stehet, immer besezt, versehen, oder erbauet werden mag mit verichtung des Gotts diensts, und auch dem Einkommen, und Vnterhaltung der Priester in das jezt bemelt barfüsser Closter transferirt wurde, mit mehrer, und länger Außführung des selben ihres unterthänigen bitts, das Wir auf genugsame gründliche Erkundigung, so Wir derhalben genommen, und befinden, das die Sach ermeltes Closters halben, dermassen, wie hievor gemeld, und Vnß durch die von Stain fürgebracht worden ist, gestalt in solch Ihre deren von Stain unterthänigste bitt gnediklich bewilliget, thun das auch hiemit in crafft dieses brieffs, also die bemelte Pfarr Kirchen mit ihren Einkommen, Renten, und Gülten, sambt der Schuell, und Spital in ermeltes barfüsser Closter in der Stadt transferirt, und der Gotts dienst, immassen daselbst beschehen, nichts weniger in der Stadt verichtet, und danach die Sepultur, und freydhof vor der Stadt nothdürfflich versehen, und in dem allen guete Christenliche verordnung gethan werde, wie Wir dan derhalben unsern Rat Vizdomb in Crain, und getreüen, Lieben Sigmunden von der Dirr in sonderheit beuelich gethan haben. Mit vrkund dieses brieffs besiglet mit unsern Königlichen anhangenden Insigel, der geben ist in vnserer Stadt Wienn den 11^{ten} tag des Monats Septembris nach Christi geburde tausend fünfhundert, und in neün, und dreysigisten unserer Reiche des Römischen in neüntem, und deren andern in dreyzehenden Jahren.

Ferdinand m'ppa

Ad mandatum Domini
Regis proprium.
Le. Wersperg hh.

(L. S.
Civ.)

Concordat de verbo ad verbum
Dat. Stain die 15. Nov. 1770.
Franciscus Georgius Hogen
Syndicus.

IV. Ex his manifestum est, quod anno 1538. Patres Observantes locum Stainensem deseruerint, quia hoc anno

1593. dum Cives Imperatori supplicâssent, ut Parochia cum Scholis, et Hospitali ad Conventum transferatur, supplici inseruerunt, quod Conventum nullus Religiosorum amplius inhabitet, ut **ex praecitato Caesareo Rescripto** clarè desumitur. Unde veritate consentanea non est illorum opinio, qui post discessum Patrum de Observantia, Patres Conventuales hunc Conventum occupâsse autumant.

Caput III.

De introductione Patrum Observantium Provinciae Bosnae Croatiae ad Conventum Camnicensem, et ejusdem reparatione, et reaedificatione.

§ I.

De introductione Fratrum Minorum ad Conventum Camnicensem.

I. Dispulsis ê Carnioliae finibus Lutheranae perfidiae tenebris zelo Serenissimi Principis Ferdinandi, Archiducis Austriae, et spirituali solitudine Celssissimi, et Reverendissimi Domini Thomae Chrön, Episcopi Labacensis, hic Conventus oblatus fuit â praeaudato Episcopo anno 1623. Patribus Observantibus Provinciae Bosnae Croatiae inhabitandus, sed quia Provincia tempore Lutheranismi adeo coarctabatur (etenim optimi Juvenes partim Sacram Religionem ingredi prohibebantur, partim in deviam haereticae pravitatis semitam declinantes, Religionis habitum flocci pendebat) et deficiebat, ut pro tunc tot Religiosi non invenirentur, qui sine praepudicio aliorum Conventuum, quos actu incolebant, in eo collocari potuissent, sequens **responsum ad petitionem Episcopi Thomae Chrön ex Venerab. Diffinitorio in Conventu Labacensi die 20. Augusti congregato** emanavit: *Protulit etiam P. Commissarius Generalis Episcopi postulationem, ex prima liquido apparet, Suae Ill'mae Celsitudini gratum fore, si Provincia haec Monasterium illud Stain indigitatum acceptaret, Fratresque illuc pro Divino Servitio locaret. Ad quod Capitulum respondit, rogavitque quatenus per unius, atque alterius anni spatium sustinere et hanc nostram impossibilitatem aequo animo accipere dignetur, donec Fratrum numerus magis excrescat. Labaci 29. Aug. 1623.*

II. P. Franciscus Glavinich lib. de Orig. Prov. Bosnae Croatiae pag. 25. refert, hunc Conventum fuisse acceptatum anno 1625. sub Ferdinando II. Romanorum Imperatore, et Archiduce Austriae: Ast bonus vir, dum anno 1648. praedictum librum scripsisset, non fuit amplius recordatus, quid **in Capitulo Provinciae** (in quo ille in Diffinitorem Provinciae coaptatus erat) **die 4. Octobris in Monte Sancto anno 1626. celebrato de Conventu Camnicensi conclusum fuerit, in Actis enim Diffinitorialibus praedicti Capituli** haec formalia leguntur: *Antequam locus Camnicensis recipiatur, â duobus Patribus Provinciae inqui-*

ratur, an duodecim Fratres ibidem vivere valeant, secus à Ministro Provinciali recipi non potest. Ex allatis proinde Diffinitorialibus resolutionibus patet, Conventum nec anno 1623. nec 1625. nec 1626. fuisse a Provincia acceptatum, sed anno sequenti nempe anno 1627. ut mox infra clarescet.

III. Videns P. Minister Provincialis Provinciae Austriae Ord. Min. Conventualium, Patres Provinciae Bosnae Croatiae de Observantia cunctari, et deliberare de acceptando Conventu Camnicensi, optimam occasionem se nactum arbitrabatur acquirendi hunc Conventum: quare propediem supplicem porrexit Ferdinando Imperatori libellum, ut Conventus hicce suo tradatur Ordini: Quo audito P. Michael Chumar Minister Provincialis Provinciae Bosnae Croatiae de Observantia etiam suum supplicem libellum eidem Augustissimo Romanorum Imperatori omni, qua par est, humilitate praesentavit, in quo postulabat, ut Conventus Camnicensis, quem prius Patres de Observantia inhabitabant, et necessitate compulsi deseruerant, denuo Patribus Minoribus de Observantia tradatur: cum aequitati magis consonum videatur, ut Coenobium citra Fratrum culpam derelictum, cessantibus derelictionis causis, si non eidem Provinciae illud non curanti saltem eidem Ordini, ac ejusdem Regulae professoribus denuò restituatur.

IV. Ferdinandus Imperator capta debita informatione **sub die 3. Maji 1627.** rejectis postulatis P. Ministri Provincialis Ord. Min. Conventualium, Conventum P. Ministro Provinciali Provinciae Bosnae Croatiae extradi, ac Hospitale cum Scholis alio transferri jussit, sequenti, quod **ex Originali adduco, Rescripto:**

Ferdinand der Ander Von Gottes Genaden Er-
wälder Römischer Kayser, auch zu Hungern, und
Behaimb Khönig, Erzherzog zu Österreich etc.

Getreüer, Lieber. Dir wirdet nach unentfallen seyn, was massen bey Vnß so wol Fra. Joan. Bap'ta Commissarius Generalis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci in namben der ganzen Provinz, alß auch Pat. Provincialis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Fra. Michael Chumer per Einantwortung des hieuor Ihren Orden zuestendig gewesten Closters zur Stain in Crain demittigist einkhomben. Wan Wür Vns nun auß erhöblichen Vrsachen, und deren allerseits hierüber einkhombenen gehor. berichten dahin genedigist resolviert, und entschlossen, das gedachter Commissarius Generalis von seinen des angeregten biß dato verlassenen gewesten Closters halber gethanenen Ansuchen, nur abgewisen, und entgegen dem Patri Provinciali Strictioris Observantiæ dises zu seinen Orden gestifttes Closter widerumben eingantwortet, und beinebens bey denen von Stain, das Sye für die Schuell, und Spital, welche sich in demselbigen Closter befinden, ein anders bequembes ort

verordnen sollen, damit bemelte Schuel, und Spital dahin überlegt, und die Religionen, so in das Closter gesetzt an Ihrem Gotts dienst, und Ihres Ordens gewöhnlichen gaistlichen verichtungen nicht verhindert, nach perturbirt werden[†]. Alß wirst du dise unsere genedigste resolution in ainem und andern zuuolziehen, und in sonderheit wegen Einantwortung die ehiste würlkhliche geleitung zuuerfüegen wissen. Geben in Vnserer Stadt Graz den 3. May 1627.

Leonhardt Bisch. zu Lavant
Stadhalter m'ppa
IIa.[†] v' Dornisperg Canzley
Ampts Verwalter m'ppa

Commissio Sac^{tae} Caes^{tae}
Ma^{ti} in Consilio.
Georg Phillip herr
v' Lerra.

V. Ex hac benignissima Caesarea Resolutione patet, quod Hospitale, et Scholae adhuc in Conventu fuerint anno hoc 1627. quo Conventus denuo traditus fuit Fratribus Minoribus Provinciae Bosnae Croatiae de Observantia anno videlicet 89^{no} post ejusdem desertionem, cum Imperator **in hac Resolutione** praecipiat, ut Scholae, et Hospitale ad alium locum commodum transferantur. Parochia probabilius jam ante hunc annum denuo in suburbium Schuttense reposita fuit, quia si adhuc in Conventu fuisset, tunc **Imperator** etiam **in hoc Rescripto** de ea mentionem fecisset, ac sicut Hospitale, et Scholas jussit aliò transferri, ita et Parochiam in suum pristinum locum reponi mandasset, cum ergo Is nullam hic facit mentionem Parochiae, signum est, eam jam prius ad suum locum translatam fuisse. Quo vero anno Parochia denuo ad suum pristinum locum reposita fuerit? id **in Scripturis Conventus** reperire haud potui.

VI. Ex cap. praec. §. 2. n. 2. adducto Caesareo Rescripto patet, quod Ferdinandus I. dum Fratribus Minoribus licentiam dedisset Conventum deserendi, jussit omnium rerum ad Conventum spectantium accuratum confici Inventarium: sic Ferdinandus II. dum Conventum Fratribus Minoribus denuo consignasset, jussit sub die 28. Maji ejusdem anni 1627. res olim ad Conventum spectantes Fratribus noviter introductis fideliter extradi. Non obstante **hoc Caesareo mandato** D. Georgius Kniffez tunc temporis Civitatis Judex Ecclesiam, Sacristiam, et Conventum rebus omnibus spoliavit: qui propterea à Domino Octavio Panizoll Vice Domino Carnioliae sub comminatione graviorum poenarum ad restitutionem compulsus fuit **sequenti ex Originali desumpto Rescripto dato 14. Sept. 1627:**

Von der Röm. Khay. May. etc. etc. herrn herrn Ferdinanden des Andern dieß Namens, Erzherzogen zu Österreich etc. Vnsers aller genedigisten herrn, und Landsfürstens wegen, dem Richter zu Stain, dem Ehrenvesten fürnembten Geörgen Khniffez, mit zustellung dieses anzuzeigen. Er wirdet sich zu erindern haben, was für ein gemessene Verordnung, auf höchst ermelter Khay. May. etc. allergene-

digiste einkommene Resolution den 28. May dieß lauffenden 1627. Jahrs, an Ihne Richter, und den Raht alda, dieses Inhalts außgefertigt worden, das Nemblichen Sy alles, und jedes, so zu dem Franciscaner Kloster aldort gehörig, und welches mehr höchstgedachte Khay. May. etc. dem hochwürdigen Geistlichen herrn Michaeli Chumer Provinciali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia einzuraumen befohlen, Ihme herrn Patri Provinciali ohne Abgang erstatten, und überhändigen sollen.

Dieweillen dan anjezo so vill fürkombt, das Er Richter, und Rate alda sich Jüngst understanden, so woll die zu ernenten Kloster, alß auch gemeiner Stadt gehörigen Privilegien, und freyheiten, mit gewalt auß der Sacristey zu nemen, alß wirdet in oft höchstermelter Khay. May. etc. Namen, und von Ambts wegen, Ihme Stadt Richter alls besondern ernsts, auch bey Ihrer Khay. May. p. schwären Vn-gnad, und Straff hiemit auferlegt, das Er von hinnen nicht verruke, Er habe dan dieses vereglten fräffels halber, der hochlöbl. Cammer 100. ducaten in Goldstraff erlegt, sich auch mit vor ermelten herrn Patre Provinciali wegen dieses straffmässigen Eingrießs, wie er weiß, und kan, verglichen. Dan an dem beschicht höchster- nenter Ihrer Khay. May. aller genedigister will, und Mainung. Laybach den 14. Septembris A^o 1627.

Ottavio Panizol m'ppa Landts
Vizdomb in Crain

VII. Res, quae in dicta Sacristia asservabantur, prout testatur D. Joannes Komoriz olim Civitatis Syndicus, se eas propriis oculis vidisse, erant sequentes: unus in lino involutus Calix cum patena, una argentea patina seu orbis pro lavandis digitis sacerdotis ad Aram celebrantis: in una rotunda Scatula aliqui argentei annuli, inter quos unus erat 4. vel 5. pretiosis lapidibus emicans. Item aliquae antiquae litterae medii digiti longae supra unum Breviarium. Item in alia Scatula simul erant **omnes Scripturae privilegia**, et **Indulgentias Ecclesiae S. Jacobi continentes**, ex quibus (ait praecitatus Dominus) apparet, in Ara S. Annae fuisse Reliquias S. Laurentii, et S. Apollini Africani Patriarchae asservatas, aras verò S. Catharinae, et S. Sigismundi fuisse maximis Indulgentiis condecoratas. Fuisse etiam ibi **asservatum Inventarium dictae Ecclesiae**, ac ferrum pro pinsendis hostiis, praeterea etiam **aliqui libri ex Bibliotheca** ablati erant. Praedictas igitur res, quia Judex, et Cives iniqua usurpatione abstulêre, non absque ingenti suo damno restituere compulsi erant.

VIII. Cum **ex mox allegatis litteris Vice Domini Carnioliae** elucescat, quod Judex contra fas etiam mobilia quaeque ex Conventu abstulerit, facile conjici potest, quod etiam Hospitale, et Scholae ad alium locum translocata fuerint, ac circa finem Augusti, aut

854

initium Septembris P. P. Franciscani introducti. Quod verò die 28. Aprilis 1628. jam effectivè Conventum incoluerint, patet **ex Originali testimonio Judicis, et Senatorum** Fratribus de eorum exemplari conversatione praedictis die, mense, et anno dato, quod hujus est tenoris:

Nos Georgius Kniffecz Judex Civitatis Stanensis
cum Magistratu, et Juratis Civibus ejusdem loci, omni-
bus, et singulis praesentes nostras patentes literas visuris,
lecturis, et legi audituris, salutem, et prosperitatem.

Tanta est virtutis excellentia, et efficacia, ut suum possessorem quibusvis hominibus etiam longè distantibus, et ab ipso etiam verae fidei lumine remotis, reddat charum, amabilem, desiderabilem, et venerandum. Quapropter mirum est, quod homines peculiari quodam modo Divino Servitio mancipati, et in virtutum palestra diu, multumque exercitati, omnibus fere sint grati, et accepti. Inter hos non postremum obtinent locum R. R. Patres Minores S. Francisci de Obser^{tia}, qui in vinea Domini nocte, dieque strenuè et indefessè laborant. Quod cum ita sit, non immeritò dolore, et maerore affici possunt, qui eorum carent opera, studiis, et servitio, gaudere autem, et exultare ii possunt, et debent, quibus dicti R. R. Patres suam impendunt operam. Hoc re ipsa nos (laus sit superis) optimè experimur cum magno nostro emolumento et consolatione Spirituali. Ad memoratorum ergo Rn'dor: Patrum requisitionem harum patentium nostrarum literarum serie, et vigore ingenue fidem facimus, et attestamus, quod quemadmodum octoginta, et amplius annis, quibus eorum Monasterium desolatum remansit, non mediocrem passi sumus rerum Spiritualium jacturam, ita exiguo hoc tempore, quo rursus ad nos Deo sic disponente, redièrè, magnum indies sentimus emolumentum, et profectum Spirituale, cum die, noctuque frequentes, et assidui sint in divinorum Officiorum decantatione, Missarum celebratione, in Confessionum Sacramentalium exceptione, sive auditione, verbi Dei praedicatione, denique Haereticorum conversione, et in reliquis exercitiis Spiritualibus ita, ut multum Divinus honor, et gloria, et animarum salus aucta esse videantur; et indies magis, ac magis augenda speramus. Pro majori dictorum firmitate Sigillum Civitatis imprimere mandavimus, et manu propria subscripsimus. Datae in Stan 28. Aprilis 1628.

Georgius Kniffecz Judex m'ppa
(L. S.) Florian Sagar m'ppa
Josephus Jogenteibell m'ppa
Adamus Sobant m'ppa

M. Greg. Scappe
Notarius ibidem m'ppa

IX. Ex hucusque allegatis confectum manet, quod Fratres Minores Provinciae Bosnae Croatiae de Observantia intra 3. May 1627. et intra 28. Aprilis 1628. possessionem Conventus Camnicensis acceperint: imo **ex praecitato Civitatis testimonio**, licet ibidem dicatur: *Exiguo hoc tempore, quo ad nos Deo sic disponente rediêre* non obscure colligitur, eos aliquot mensibus ante exaratum testimonium Camnicii moram traxisse, cum tam sedula eorum opera in vinea Domini exaltatur, quae intra brevissimum tempus non facile dignoscitur: Tum quia **Imperator jussit D. Octavio Panizoll Vice-Domino Carnioliae sub die 3. Maji 1627.** ut quam primum Conventum Fratribus Minoribus extradat: *In sonderheit wegen Einantwortung die ehiste wûrkliche gelebung zu verfüegen wissen.* **Ex praecitato testimonio** pariter desumitur, quod ad annum 1628. adhuc aliquae reliquiae Lutheranae pravitatis Camnicii superstites fuerint, quia ibidem dicitur, quod Fratres sedulam operam navent in conversione Haereticorum.

§ II.

De reparatione, et reaedificatione Conventus.

I. Tempore, quo Patres Franciscani Camnicio extorres fuerant, et Parochia cum hospitali, et Schola in Conventu collocata erat, Conventus fermè ad totalem ruinam devenerat; unde Patres, quamprimum in pristinam Conventus possessionem immissi fuissent, mox eò suos cogitatus jaciebant, ut imminenti Conventus necessitati occurrerent, unde acquisitâ hinc inde à diversis benefactoribus elemosyna, sarta tecta reparare, aliaque magis necessaria restaurare coeperunt, labor ob mediorum defectum lente processit, ita ut anno 1632. nondum fuerit completus, ut patet **ex Diffinitoriali decreto**, vi cujus tempore aedicii permittebatur ingressus ad Conventum utriusque sexus benefactoribus: sic enim **verba Capituli Provinciae in Conventu Labacensi die 17. Octobris 1632.** celebrati sonant: *Ad Conventum Camnicensem in aedificatione existentem introitus utriusque sexus benefactoribus permittitur, dummodo duo ex Diffinitorio adsint.*

II. Postquam Conventus 63. annis à sui reparatione stetisset, totalem minabatur ruinam, unde necesse erat eundem ê fundamentis novum pro perenni stabilitate suscitare. Pro tanto opere faciendo eo tempore Deus (qui sibi ex corde fideliter servientibus in omni necessitate, et angustia constitutis misericorditer subvenire solet) duos nullo unquam tempore obliterandae memoriae viros excitavit, A. R. P. Antonium Lazari tunc temporis actualem Ministrum Provinciale, et Diffinitorem Generalem: ac Perillustrem D. Jacobum Schell à Schellenburg, quorum primus in alliciendis benefactorum animis admirabilis extitit dexteritatis: secundus verò adeo exardescibat in Divini cultus propagandi fervore, ut omnes suas sibi à Deo copiosè concessas facultates eò impenderit, ubi majorem Dei gloriam promovendam videret: Unde Divino amore succensus, et singulari affectu erga Seraphicam Religionem motus ad promovendum ê fundamentis Conventus, Pannificii, et Ecclesiae aedificium (quod

die 18. Aprilis 1693. sub secundo Provincialatu praelaudati P. Antonii Lazari, ac locali gubernio P. Antonii Plank inchoatum fuit, et anno 1705. ut **ex subscriptione in ejusdem imagine in Refectorio posita** sequentis tenoris **eCCe fVnDatoreM** patet, feliciter absolutum fuit) 16000. f. dico sexdecim millia florenorum germanicae monetae eximia liberalitate contribuit firmiter sperans, in se verificatum iri illud Salvatoris effatum, qui haec temporalia, id est *divitias* (ut **loquitur S. Hieronymus lib. 3. in Matth. c. 19.) et saeculi voluptates reliquerit, isti centuplum recipient, et vitam aeternam possidebunt.**

III. Tantum beneficium grati animi contestatione prosequi volens **Ven. Diffinitorium, eum sub dato Labaci die 16. Julii 1703. declaravit fundatorem** hujus Conventus cum omnibus praerogativis, et privilegiis fundatoribus competentibus, **sequentibus litteris:**

In Namen der Allerheiligsten dreyfaltigkeit
Amen.

Als des alten Testaments Keischer Joseph nach lang außgestandener Kerker, zur belohnung seiner weißheit, vielmehr aber seiner Vnschuld in ganz Aegypten beherrschlich war vorgestellet worden. Ehe dan der Hunger selbiges land ängstigte, gebahre Ihme Aseneth zwey Söhn, den ersten benambsete Er Manasses sprechend: Gott hat mich aller meine Mühe, und Arbeith, und meines Vatters hauses machen vergessen, den andern aber benambte er Ephraim. Wordurch Er gefliessen scheinen wolte, die namhaffte wohlthaten Gottes in das nach zarte Fleisch der kinder durch die Ihnen gegebene Namben einzuschreiben, und dardurch die Vergessenheit derselben von Ihnen zu entfernen, wissende, das umb aller laster verargwohnet zu werden, undangbar zu seyn genug seye. Solches veranlasset vns ends unterschriebene dieser Crainerischen Provinz der Reformirten Mündern Brüeder des Seraphischen H. Vatters Francisci, wie nicht weniger in Erwägung was gestalten Ihro gnaden der Wohl Edl gebohrne herr herr Jacob Schell von, und zu Schellenburg, auß besonderer Vorsicht Gottes vnsers hiessig Laybacherischen Closters hochwertister, und Guettherzigster Geistlicher herr Vatter, seiner täglichen wohlthaten unaufhörlich theileth, und albereits mit mehrfältiger Stüftungen weltkündig gemacht; Alß erstens Einer ewigen H. Meess zur vnsern Laybacherischen Sacristay mit der Erneüierung, und fast völliger aufführung der Capellen, so Er unser gnädiger Herr Vatter in bemelten Closter gegen der Sacristay, und den ganz marmelsteinenen des H. Crucifix Altars mit grossen vnkosten Jedermäniglich zur Andacht, guetherzig machen lassen, und nach spatzen ableiben vor selben Ihme das Ruhe bett erkisset hat.

Item zu Stain unser Kirchen, und Closter von grundt

auf neu zu bauen nicht allein ergebigen grund gelegt, sondern auch so nöthiges, alß Gott wohlgefälliges Werkh volkomentlich zu volziehen mit Sechzehen tausend gulden, so liebeich veranlasset, und als gnädig verursacht, und dardurch seiner wohlthaten vnaußlöschliche buchstaben in unser aller, alß seiner diemütigsten Kinder, herzen, und gemüther zu unmöglicher vergessenheit tieff eingeschrieben hat nicht allein, sondern auch solche seine hohe verdienstligkeit kund, und offenbahr gemacht.

Dahero gleichwie unser gesamptes Diffinitorium von Neüstadtcl auß de dato 8. Octobris 1695. sorgig entstundt Ihme gnädigen Herrn vattern, und ungemeynen Guthäter die schuldige Erkantlichkeit zu beglaubigen, alß hat man auch bey jeziger versamlung des Diffinitorii hier in Laybach mit neuen, und füglicher verfasten Instrumento, derselben geflüssen zu seyn wollen, befehlende jeziger, und künftiger Obrigkeiten des Laybacherischen Closters, das jedwederer unser Priester, so bey dem H. Crucifix Meess lesen wird, besondere gedächtnuß, oder Memento des herrn Stüfters haben solle, also das ober des kleinen Tabernaculs, wie, und wo es füglicher zu seyn wirdet befunden werden, zur Anmahnung der Priester auf blöhenen Zettul geschrieben werde: Memento Fundatoris.

Zu Stain aber gleichwie der gnädige herr Vatter im Werkh selbst den Stüfter worden ist, also gelobet, und will die Provinz Ihme vor einem solchen anzunehmen, und krafft dits zu erklären, also das Ihro Gnaden der Wohl Edlgebohrne herr herr Jacob Schell von, und zu Schellenburg, alß des Stainerischen Closters Fundator, und Stüfter hiemit erkennet, geehrt, und geprisen werde mit ganzen fueg, und Recht aller solcher Stüfftern von Päbstlichen Stull verlichenen Privilegien, freyheiten, und verdienstlichkeiten sich nach belieben nebst der theilhaftigkeit aller geistlichen werkh, und übungen des ganzen Ordens zu gebrauchen.

Besonders aber wird der Sacristay unsers Closters Stain, wie vorhin unter obigen dato, bey dem H. Gehorsamb aufgetragen für, und für zu ewigen zeiten täglich ein H. Meess zu seiner, und seiner liebsten frauen gemählin, und unserer gnädigen frauen Mutter Intention, und Mainung zu lesen, dreymahl aber in der wochen das grosse Officium, oder Canonische tagzeiten zu appliciren, am 25^{ten} Julii aber alß am tag des H. Jacobi, und am St. Catharinæ Jungfrauen, und Martyrer tag ein gesungenes Ambt, so nach Ihren todt, wolle ganz spatzen Ableiben, in zwey Anniversaria (mit dem Respons. Libera me etc.) oder Jahrs täg Ihrer Seelen zu trost gehalten werden sollen.

So vill ist unsers vermögens, umb allein Ihme Gnädigen herrn vattern, und Fundatori, unserer allfältig willige denks pflichte zu beglaubigen, also zwar, das sie in dem Protocoll

unserer Provinz eingetragener aller vergessenheit solle an ewige zeiten entgangen seyn, bittende dem Allmächtigen Gott mit seinem reichen Seegen die vngenugsamkeit unserer Erkantlichkeit zu ersezen, und uns zu einer mehrern zu betüchtigen.

Er herr gnädiger herr Vatter aber sich diese unsere kindliche devotion, und dankssorge guttmüthig gefallen lasse und uns annoch seiner Väterlichen Liebe, und werthigster Zuneigung bewürdige, und theile, keines weegs aber gestatte, das uns unsere vnwürde, und vnverdienst die pforten seiner gnaden spere, indeme eben desthalben sein verdienst grösser entstehet, alß wir guttherzig bekennen seiner wohlthaten weniger werth zu seyn. Übrigens wollen Wir zu allen obgesagten vnser, und unserer Nachkombligen gewissen, auch jeden Mangel vor dem gericht Gottes zu verantworten schuldig und verbunden seyn: Alles Göttlicher Obhuet, Schuz, und reichen Seegen empfehlende.

Laybach in gesambten Diffinitorio den

16. Julii 1703.

Fr' Romualdus Sitter		Fr' Conradus Ziegler
Prov'iae Diff'or		Prov'iae Pater et Diff'or
Fr' Carolus Janesitsch		Fr' Franciscus Uzollin
Prov'iae Diff'or	(L. S.)	Prov'iae Pater
Fr' Petrus Francetich		Fr' Antonius Lazari
Prov'iae Diff'or		Ord. Pat. et Custos Prov'iae
Fr' Bernardinus Gregoritsch		Fr' Ludovicus â Gallenfels
Prov'iae Pater		Min'r Pro'alis

IV. Quia verò pro extensione horti, et Ecclesiae, ac Pannificinae erectione spatium nimis angustum erat, hinc erant aliquae domus partim dono datae, partim â Fundatore coemptae pro dictis aedificiis applicatae, et praepremis erant duae domus Comitum ab Aversperg Conventui dono datae, una erat in foro, ex qua Conventus materialia quaedam tantum accepit, altera ubi nunc pannificina est, item duae domus quondam D. Stephani Wutalizi, dein D. Joannis Baptistae Maynis, quae dein devenerunt ad manus D. Caroli Sigismundi Pilpach, qui eas Conventui cessit erga annuè 12. Sacra legenda, et 1. Anniversarium decantandum. Steterant autem hae Wutalizianae domus â foro versus Ecclesiam nostram penes plateam, per quam ex Civitate ad nostram itur Ecclesiam. Alia item domus steterat in angulo Ecclesiae ex adversa parte Hospitalis spectans ad D. Laurentium Scharner civem, quae pro extensione Ecclesiae emptata fuit: sexta Domus spectans ad D. Michaellem Kushinar stetit in eo loco, ubi nunc porticella horti est versus Sallenberg, quae etiam pro extensione horti emptata fuit. Stabulum quoque idem Fundator Jacobus â Schellenburg emit pro Conventu f. 50. Quia autem donatio domorum D. Caroli Sigismundi Pilpach pro Pannificio applicatarum perpetuum onus 12. annuatim

Missarum, et unius Anniversarii annexum habet, hinc, ne Conventus absque aliquo emolumento Sacra celebret, constitutum fuit, ut Pannificinae quotannis pro dictis Sacris, ac victu duorum Fratrum Pannificum Conventui subministret 28. *Bratsch* de habituali, et 10. de Tunicali panno, cum ultronea obligatione vestiendi utrumque Laicum quacumque specie Vestiarii.

V. Quia verò praedictae 6. domus pro fabrica applicatae **Urbario Civitatis** insertae erant, hincque Civitas ab illis certum annuum emolumentum percipiebat, annuam quoque contributionem tum ordinariam, quam extraordinariam terrae Principi solvebat etiam destructis jam praedictis Domibus: et quidem de duabus domibus Averspergicis, et duabus Wutalizianis de extraordinaria (nam ab ordinaria jam prius liberatae erant per correspondentis Capitalis investitionem) contributione f. 18. X. 20. L. w. de domo Laurentii Scharner de ordinaria, et extraordinaria contributione f. 8. Xr' 35. L. w. de domo Michaelis Kushinar pariter de ordinaria, et extraordinaria steura f. 4. X. 17. d. 2. L. w. quibus addendus f. 1. X. 1. d. 1. L. w. tanquam Civitatis emolumentum: tota summa facit f. 32. X. 14. L. w. E contra erant aliqua Capitalia, seu pia legata partim cum onere Missarum, partim sine tali onere pro utilitate Conventus facta, apud Civitatem deposita, et investita, ut Adami Sagar f. 300. t. w. Stephani Wutalizi f. 200. t. w. Adami Floriantschitsch f. 100. L. w. Agnetis Arnesin f. 100. L. w. Ex his Capitalibus Interesse quolibet anno à 5. pro Cento obveniebat Conventui in f. 33. Xr' 30. t. w.

VI. Cum autem Civitas nimis onerata fuisset et contributionem de domibus, quae illi nullam utilitatem adferebant, et Interesse Conventui solvendo, fuit per deputatos Commissarios **die 11. Januarii 1730. inter Conventum, et Civitatem transactio facta**, ut nec Conventus de praefatis domibus quidquam solvat Civitati, nec Civitas Conventui de praefatis legatis Interesse pendat, ut **ex sequenti transactionis contractu** magis patet, qui hujus est tenoris:

Zu wissen, das an heünt zu end gemerkten tag zwischen Ihro hochwürden P. Provincial, P. Guardian, und dem löb. Closter Ord. Min. S. Francisci Stricteris Observantiae alda in der Stadt Stain an einer; dan denen Ehrsamem h. N. Richter, und Rath dieser Landsfürstlichen Stadt Stain anderseits, umb willen einiger bey besagter Stadt Stain von verschidenen Creditoren vorlängst angelegten Capitalien, und deren darvon Jährlich lauffenden, nachgehends dem Closter zu nuzen cedirten Interessen, wie zumahlen wegen der durch wohlbenente Patres bey Erbau- und Erichtung ihres neüen Closters Kirchen, und gartens eingenommenen Stadthäuser, einer Stadtgassen, und was deme mehr anhängig, mittels deren von beyden theillen hiezu erküsten, und erbettenen h. Commissarien, alß pro parte des Closters des Wohl Edlgestrengen herrn Johann Baptista Felber J. U. Doctorn, und des Ordens Syndici Apostolici, und pro parte der Stadt des hochwürdig, wohl Edlgebohrnen h. h. Max Leopold Raspen Stadt Pfarrers zu Stain ein willkürlicher stät- und ewiger, auch unwiderrufflicher vertrag, und respective gegen verrechnung aufgericht, geschlossen, und zu Papier gebracht wor-

den, wie hernach folgt.

Erstens. Nachdem erteilte Patres in Jahr 1695. und 1696. ihr gänzlich ruinirtes altes Closter, und die Kirchen, so wohl allen volkh zu grösserer forderlichkeit, nuzen, und gelegenheit alß auch ihnen selbst zu besserer abwartung des Gottes diensts von grund zu überbauen, nicht weniger den Closter Garten zu erweitern sich entschlossen, haben dieselbe zu diesen Ende etlicher Stadthäuser (welche die damahlige Possessores zu solch vorhabenden gebäu dargeben) noth gehabt, nemlich des Grossen auf den Plaz gestandenen Graf Auerspergerischen, dauon Sie die materialien hergenomben; Item der zwey auf den Plaz ligenden, und von den Plaz in die Franciscaner Gassen sich erstreckenden Stephan Wutalitschischen, welche Sie zu der Tuchmacherey gewidmet, wie auch der von den Plaz zwischen den Jacob Zerrerischen, und Gregor Cirkovitzischen häusern haltenden, hinter ernenten Zwey Wutalitschischen häusern außgehenden Stadtgassen, so durch die Patres mit ihren gebäu gesperrt worden. Mehr des Lorenz Sharnerischen am Ek der Kirchen von den Mathia Scharzischen hauß gegen über gestandenen hauß, so zu gelegsamer Erbaung der Kirchen abgetragen worden. Dan endlich des Michael Kuschinarischen ausser der Stadt (alwo der zeit das kleine törlein von den Clösterlichen Garten zu sehen ist) Situirten hauß, so zu Erweiterung des Closter Gartens applicirt worden, deren in allen Sechs häuser gerechnet werden; von welchen sechs häusern der Ehrsamten gemeinen Stadt die Steuer, contribution, und alle andere so wohl ordinary, alß extraordinary von denen Burgern zu tragen gewöhnliche onera, alß wachtgeld, tischpfening und derley mehr unwidersprechlich gebühren mit diesen unterscheid, und Außnahm, das von den grossen Graf Auerspergerischen hauß, wie auch von denen zwey Wutalitschischen häusern die Steuer mit besondern bey der Stadt investirten Capitalien belegt worden, und dieselbe von Reichung der Jährlichen Steuer befreyet seyn sollen, dahingegen, und

Andertens. Seynd dem Closter alda vor, und bey Erbaung der neüen Kirchen, und des Closters von mehr verschiedenen Capitalien, so bey der Stadt Stain angelegt sich befinden, durch deren Creditores die dauon fallende Interessen theils cum onere Missarum, theils Sine tali onere lauth der in handen habenden Instrumenten zugestüfft, und vermacht worden, alß benantlich: Ein Stephan Wutalitschisches Capital pr' 200 f. t. w. mit 6 pr' Cento Interesse Sine omni onere, dafür sich aber sie Patres gratitudinis causa auf 12. Jährliche ewige Meessen von sich selbst obligirt. Item ein Adam Floriantschisches Capital pr' 100 f. L. w. mit 6 pr' Cento Interesse lauth Schuldbrieffs unter dato Stain den 4. Feb. A^o 1684. cum onere sechs H. H. Jährlichen ewigen Meessen, deren 4 für die todte, und zwey für die lebendige applicirt werden sollen. Mehr ein Agnes Arne-

sisches Capital, so in zwey Posten außmacht 100 f. L. w. mit 6 pr' cento Interesse, Lauth Schuldbrieffs de dato Stain den 1. Julii A^o 1683. Sine onere der H. H. Jährlichen ewigen Meessen.

Dan endlich ein Adam Schagarishes Capital von 300 f. t. w. mit 6 pr' cento Interesse lauth obligation unter dato Stain den 6. October A^o 1676 cum onere einer wochentlichen, und zwelff quaternberlichen Jährlichen ewigen H. H. Meessen. Von welchen allen Capitalien die de A^o 1700. verfallene Interessen dem Closter von der gemeinen Stadt unzweifentlich und geständig zu vergüetten, und zu entrichten seyn, hierauf, und

Drittens, ist beyderseits der calculus der jezt angezogenen gegen praetensionen durch die herrn Commissarios gezogen, gegen einander gehalten, und genau beobachtet worden, und haben sich beyde theil auf interposition mehr ernenten h. h. Commissarien dahin veranlasset, das ponderatis omnibus ponderandis, et discussis utriusquae partis allegatis, et documentis, de praeterito alles, und jedes, was die Stadt an denen Stadt-Anlaagen wegen oberzehltter häuser, und was denen anhängig bey dem Closter, was gegenseits das Closter wegen der daselbst bey der Stadt anliegenden Capitalien, und obgehörter massen von deren Creditorn bedeüten Closter zum nuzen hinab gelassenen Interessen an solchen albereith caduc wordenen Interessen durch Ihren Geistlichen Vattern bey der Stadt qualitercunque zu fordern, und zu ersuchen haben kunte von A^o 1700. biß nächst kommende Sⁿ Georgii fest instehenden 1730. Jahrs zu ratten, völlig aufgehoben, gegen einander absumirt, und gänzlich abgethan seyn solle, ohne das ein theil dem andern etwas zu vergüetten, oder herauß zu geben schuldig seyn solle. Was aber, und

Viertens, das zukünftige anbetrifft, bleibt es eben bey deme, das in ansehen der allschon gebräuchigen reduction der Interessen von 6. auf 5. pr' cento einer seits, wie zumahlen der linderung der Stadt Anlaagen bey denen andern Stadt häusern anderseits; führohin die Jährliche von der Stadt dem Closter obverstandener massen zu reichen habende Interessen von denen auß den Closter wegen anerwennter häuser der gemeinen Stadt abzuführen schuldigen Anlaagen absorbirt werden, und gegen einander aufgehen solle. Mithin die vor inserirte Capitalien ewig bey der Stadt anligend, und dieselbe von Reichung des Interesse überhebt; dagegen das Closter pr' sothanes Interesse wegen der hieoben begriffenen häuser von aller ersinlichen Gaab, was nahmens sie seye, je, und allzeit befreyet verbleiben solle. Dabey aber zugleich dieses per expressum abgeredt worden, das immassen das Closter den von dem abgetragenen Graff Auerspergerischen grossen hauß übergebliebenen grund, und boden (welcher dem Closter zu keinen nuzen an dato gewesen ist) der Stadt in eigen zurug zu geben gewilliget, auch würllich zu

deroselben freyen disposition zurugstellet, und überlasset und in Kraft dits überlassen haben will, das die Stadt ohne des Closters, oder mänigliches Irrung, und Widerredt solchen grund, und boden zu nuzen, zu gewinn, und zu besten der Stadt, wie es sie verlust, sich machen, wenden, und keren könne, und möge. Sie Stadt hingegen dem Closter alljährlich längst umb Sⁿ Georgii 10 f. L. w. sage zehen gulden Landswehrung durch den Ober Stadt Cammrer unfehlbar, und ohne aller Widerredt, verweigerung, und Aufzug für, und für auf ewig bezahlen solle, zu welchen sich die Stadt auch mit Verhypothezirung ihrer Ober Stadt Cammrer Ambts gefählen verbindet, und in kraft dits in optima juris forma verbunden haben will. Vnd diese Gabigkeit (Gäbigkeit?) der Jährlichen zehen gulden Landswehrung solle vornächst künftigen Sⁿ Georgii fest zu lauffen anfangen, und zu Sⁿ Georgii über ein Jahr das erstemahl sich verfahren.

Fünftens. Belangend das oben in fine Secundi paragraphi angezogene Adam Shagarische, auch bey der Stadt angelegte Capital der dreyhundert gulden teütscher wehrung immassen solches mit einen allzugrossen, und ungebrauchigen onere der H. H. Meessen beladen, darmit das Closter biß an diese zeit sehr, und über die kräftten beschwert sich erklaget, und solches für ~~W~~ was unmöglich tragen zu kennen sich erklärt, ansonst solche Stüftung von der geistlichen Obrigkeit an des herrn Ordinarii statt[†] niemahlen confirmiert, ratificirt, und bestättet worden ist, auch nirgends anderwärtig mit diesen onere vernünftig angenommen werden kan, alß ist für rathsam, förderlich ja nöthig befunden worden, das solches onus imprimis Autoritate seiner hochwürden, und Gnaden des herrn Erz-Priesters an des herrn Ordinarii statt, wie nicht weniger mit einhelliger Einstim-bewilligung, und Guttheissen der gesambten Adam Shagarischen Erben, und befreündten ad pauciorum Missarum numerum reducirt, constringiert, und eingezogen werde, gestalten es dan praemissa Superioris Ecclessiastici autoritate, et interessatorum, ac consanguineorum libero consensu benantlich auf 2 monatliche, und ein quaterberliche, mithin in allen auf 28 Jährliche H. H. Meessen harum tenore würllich reducirt worden, und ad hunc numerum eingezogen ewig beharen, und verbleiben soll. Welche 28. H. H. Meessen nun das Closter für, und für auf ewige weltzeiten unweigerlich von Jahr zu Jahr treülich zu verichten, und deren verichtung nach Ihren Ordens brauch in die bücher, oder Register der ewigen gestüfften Meessen einzutragen sich mithin verobligiret. Vnd mit dem sollen alle, und jede zwischen dem Closter, und der Stadt etwo quocunque modo habende verechungen, verraitungen, ansuchungen, und præensiones gänzlich, und auf

ein ewiges End abgethan, aufgehoben, und abolirt seyn (darunter doch die von der Stadt, oder den Spital dem Closter wegen der bedachung des Closters, und der Kirchen lauth Commissarischen Erkantnuß unter dato Stadt Stain 13. Julii 1682. Jahrs Jährlich zu reichen schuldige 20 f. L. w. dan die 40 lb baumoels keines weegs verstanden, und begrieffen werden, sondern derenselben Raichung allerdings bey Kräfften verbleiben solle) und haben sich beyde theil für sich, und Ihre Nachkommen diesen Vertrag fest, treü, und unverbrochen mit Mundt, und hand zu halten, auch darwider in keinen punct in mindesten zu handeln versprochen, und angelobet.

Zu wahren Vrkund dessen seynd dieser Verträge mehr gleich lautende Instrumenta aufgesetzt, und nicht allein von denen theilen, sondern auch von denen anfangs eingeführten herrn Commissarien, wie dan auch wegen des fünften das Adam Schagarische Capital, und gestüffte Meessen betreffenden paragraphi von seiner hochwürd. und gnäd. herrn Erz Priester, und denen Adam Shagarischen Erben, und nächsten befreundten mit hand vntershrift, und Petschafft verfertiget, und jeden theil auß denen Interessirten eines zugestellt worden, jedoch denen H. H. Commissarien ohne Nachtheil, und schaden. Datum Stadt Stain den 11. Jener A^o 1730.

(L. S.)	Fr' Constantius Feitl Ex-Diff'or, et Disc. Conv.	(L. S.)	N. N. Richter, und Rath der Stadt Stain alda.
	Fr' Antonius Posel Diff'or act.	(L. S.)	Max. Leopold Rasp
(L. S.)	Johann Andre v' Flachenfeld	(L. S.)	Wolff Cajetan Kushlan frey. alß von denen
(L. S.)	ErzPriester in Obercrain Fr' Maximus Ruesh Min'r Pro'alis Prov. Carn. S. Crucis		Franz Adam Shagari- shen gesambten Erben förtiger ohne Nachtheil
(L. S.)	Johann Bap'ta Felber J. U. Dr' alß Franciscaner Syndicus der Crainerischen Provinz		

VII. Ex praeinserto Instrumento clarescit, compositionem factam inter Conventum, et Civitatem concernere tantum praedictas 6. domos pro fabrica applicatas, ac specificata Capitalia apud Civitatem deposita; et quia Conventus magnae Averspergicae domus in foro sitae fundum, seu terrenum pro fabrica non applicuit, sed tantum materialia relicto fundo accepit, qui fundus cum Conventui nullum fructum attulisset, e contra Civitati servitio esse potuit, conventum fuit, ut fundus Civitati erga annuos 10. f. L. w. seu 8. f. 30. Xr' L. w. Conventui praestandos relinqueretur. Pariter exceptio facta est circa 20. f. Carn. Mon. seu 17. f. germ. mon. et 40. lb. olei

olivarum (de hoc cap. seq. agam) quae Civitas, sive Xenodochium quotannis Conventui tribuere tenetur.

IX.⁵¹⁹ Conventus unicum ab oriente ad occidentem in duas contignationes distinctum habet tractum. Inferius sunt officinae necessariae, ambitus medius, sicut et plurimae cellae est fornice munitus, in quo ex utraque parte praeter Bibliothecam libris non contemnendis, et pro hac familia sufficientibus instructam, sunt cellae 13. pro Religiosorum habitatione. In superiori ambitu sunt cellae 16. In hac superiori contignatione est Ecclesiae conjunctus alius separatus tractus, in quo sunt 5. cellae pro totidem Novitiis (est quippe hic Conventus pro Novitiatu destinatus) hinc sunt Cellae universim 34. Quae si addas Arcularia et Pharmacopaeam, efficient cellas 36. In Pannificina â Conventu quidem separata, intra clausuram tamen ejusdem comprehensa sunt praeter Conservatoria, et Laboratorium tria cubacula, quae famuli cum uno Laico Pannifice occupant, relicto unico cubiculo vacuo proInspectore Pannificinae. Habitant verò in hoc Conventu Religiosi una cum Novitiis ordinarie 32. vel ad summum 33. vivuntque de puris elemosynis mendicando acquisitis, ac Missarum stipendiis. Talis igitur est Conventus Camnicensis â Perillustri Domino Jacobo â Schellenburg Nobili Provinciali Carnioliae natione Tyrolensi, et ejus Conthorali Catharina nata Hoffstetterin eodem tempore, quo Collegium S. Ursulae Societatis aedificatus.

X. Tanti benefactoris, ne unquam memoria obliteretur praeconia absoluto jam fermè Conventu **anno 1704. Provincia grati animi tesseram sequentibus versibus enunciavit:**

Nobilis ecce Pater animi, dextraeque beatæ
 Quem Clarum natu nunc quoque gesta docent.
 Si non ignorat mens Nobilis esse benigna
 Nobilior, Jacob, vix erit ulla tuâ.
 Te merito celebrant Franciscus, et Ursula Patrem
 dum fundas Aedes, Templaque Sacra struis.
 Ergo cum dare quam capere esse beati, inquis
 Quo mage prae nobis, quaeso, beandus eris?

Parenti **MIRè** benefico **DIC**abant

Fratres Minores Reform. Prov'iae Carnioliae

Elogium verò **Catharinae ejus conjugis his metris** comprehensum:

Quem tibi, quam cernis⁵²⁰ praefigitur extima, nobis
 Intima Fundatrix, redditur atque Parens.
 Franciscus Claustum, per te Virgo Ursula Sedem
 Possidet, unde tuas nacta reponis opes.
 At quo fœnore? ais: Pro uno centena prehendes
 Sic inopes dito, ut ditior inde litem.
 Perge inopum esse Parens, et tunc diffidito Sorti
 Cum Domini dextrae Maxima defuerit.

His **DIGNae** **MatrI** **CeCInê**

Fratres Minores Reform. Prov'iae Carnioliae

Caput IV. De Lignatione in Feistriz, et Reparatione Tecti.

§. I. De Lignatione in silvis Feistricensibus.

I. Conventus â sui principio ligna focalia habuit ex Arce Oberstein, dein verò circa annum 1701. dum Fratres Minores in Civitatibus degentes declarati fuissent â Leopoldo I. gloriosissimae memoriae Romanorum Imperatore, eos gaudere, et frui posse, ac debere privilegiis, et iuribus aliis civibus concessis, Fratres ligna in silva Feistriz caedere coeperunt, quod videntes Cives mox ligna caesa interdicto supposuerunt, et contra nos agere coeperunt, quasi nobis jus propriè tale, cujus vi Regulae nostrae incapaces sumus, arrogâsemus, de quo tamen nullus somniavit. Quare instante hyeme, ut ligna caesa **Fratres** ex Feistriz educere valerent, ac futuris etiam temporibus ibidem eisdem caedere liceret, **supplicem ad Magistratum Camnicensem porrexerunt libellum**, â quo quoad primam partem favorabilem, quoad secundam negativam reportarunt sententiam **sequenti Rescripto**: Ihro hochwûrd. herrn Supplicanten wirdet das unlängst in der Feistriz abgeschlagenes holz herauß zu heben für dieses mahl erlaubt, von den übrigen begeren werden aber abgewisen. Datum Stain am Rathhauß den 5. 7^{ber} A^o 1701.

N. Richter, Rath, und die
Gemein alda.

II. Ne verò Conventus quolibet anno civium vexationibus exerceatur, A. R. P. Antonius Lazari tertiò Minister Provincialis **ab Imperatore Leopoldo I. humiliter licentiam in silvis Feistriz ligna caedendi** pro Conventus necessitate petiit, et benignè de dato Viennae 23. Junii 1702. ad Interioris Austriae Cameram obtinuit **hoc gratiosissimo Rescripto**:

Leopold

Was bey vnß der P. Antonius Lazari Ord. Min. S^{ui} Francisci Refor. Provinciae Carnioliae Minister Provincialis nomine des Convents zu Stein, wegen gnädigster verwilligung der nöthigen behölzung auß dem von vnß der Stadt Stein überlassenen so genannten Feistrizer wald demüthigist angebracht und gebetten, das gibt Eüch der Einchluss mit mehrern zu vernemen.

Weillen nun auß disen Anbringen Erhöllet

866

das gemelter Wald Feistriz von vns der Stadt Stein zu Ihrer nothwendigen behölzung überlassen worden, und also kheines weegs bey der daselbstigen Burger-shafft stehet gedachten Convent zu verwöhren, die Nothdurfft darauß zu nemben. Alß wollet Ihr die gehörige verfiegung thuen, damit auch besagtes Closter sein nothwendiges holz auß gedachten Wald haben möge. Verbleiben Euch anbey mit gnaden gewogen. Wienn den 23^{ten} Junii 1702.

III. Haec eadem gratisosissima **Caesarea Resolutio** intimata fuit ab I. A. Camera **de dato Graecii 17. Julii eodem 1702.** anno Domino, Vice-Domino Carnioliae: quam idem **Vice-Dominus Magistratui Camniciensi de dato Labaci die 22. Maji 1703.** intimavit **his formalibus:**

Mein Gruss etc. etc.

Was von der Röm. Kay. auch zu Hungarn, und Behaimb König. May. etc. etc. meinem Allernädigsten herrn, und Erblandsfürsten über das bey deroselben durch herrn P. Antonium Lazari Ord. Min. St. Francisci Refor. Provinciae Carnioliae Ministrum Provinciale nomine des Convents zu Stein, darumben, das gleich besagten Convent die Nothdurfft der behülzung auß dem von Allerhöchst gedacht Ihrer Kay. May. etc. etc. der Stadt Stein überlassenen so genannten Feistrizer Wald verstattet werden solle, eingeraicht allergehor. Suppliciren, an mich für ein Hoff Cameralische gnädige verordnung einkomben, das habt Ihr ob dem Abschriftlichen Einschluss zu vernemben.

Wan dan Ihro Kay. May. etc. etc. in Crafft derselben, obberührten Convent zu Stein in sachen die allernädigste bewilligung gethan, und mich zu vorkerung des zu gehor. volziehung dero allernädigsten Resolution erforderlichen erindert. Alß habe in allerhöchst ernent etc. etc. Eüch solches hiemit nicht allein intimiren, sondern auch dabey anbefehlen wollen, das Ihr solch Kay. allernädigster Resolution den allergehor. vollzug laisten sollet. Dan etc. Datum Laybach den 22. May 1703.

H. Graff Lands Vizdomb
in Crain.

IV. Quamvis verò Conventus ab eo tempore in pacifica passione caedendi ligna in Feistriz imperturbatus maneat, pro majori tamen **Caesareae Resolutionis** firmitate Aug^{ma} Domina Maria The-

resia Romanorum Imperatrix, Regina Hungariae, Bohemiae etc. Archidux Austriae feliciter regnans, dum D. Francisco Josepho Schigan duos districtus lignationis in Feistriz assignâsset, pro sua noviter erecta ferraria, voluit Münkendorffensis Coenobii, et Franciscanorum Conventus Camnicensis jura lignationis in eadem sylva sarta tecta haberi, ùt *ex ejusdem Diplomate de dato Graecii 16. 8'bris 1745.* patet, ubi §. 10. sequentia habentur:

Weillen das Stüfft Münkendorff in krafft des edirten mit der Stadt Stein beschehenen vertrags, wie auch das Franciscaner Closter in der Stadt Stein ihr jus lignandi in der Waldung Feistriz haben, alß sollen dieselbe auch bey Ihren Ihnen gebührenden jure lignandi in so weith diesen zweyen Clöstern besagtes jus lignandi von rechtswegen gebühret, gelassen werden. De dato Graz den 16. 8'ber 1745.

V. Ex hac Sac. Caes. Majestatis Mariae Theresiae confirmatione posset aliquis minus aequus rerum aestimator innixus illis verbis: Sollen dieselbe auch bey ihren ihnen gebührenden jure lignandi in so weith diesen zweyen Clöstern besagtes jus lignandi von rechtswegen gebühret, gelassen werden inferre: Suam Sac. Caes. Majestatem P. P. Franciscanis nihil de novo contulisse, imo dubitâsse de concessio iisdem jure lignandi; hinc Franciscanorum jus in dubio manet. Dico, me neutiquam asserere, hanc confirmationem esse absolutam, sed conditionatam, nempe, si hoc jure (intellige *minus proprio*) hucusque potiti sunt illis â legitima potestate concessio, poterunt eo, etiam pro futuris temporibus icti. Quod verò tale jus Fratribus Minoribus Conventus Camnicensis â Leopoldo Imperatore datum fuerit, ex paulo ante allegatis conspicitur. Ratio autem, quod Resolutio isthaec Caesarea conditionatè loquatur, ista est, quia Suae Majestati non erant documenta in authentica forma proposita, sed tantum eorum realis existentia simpliciter insinuata: ideoque etiam Resolutio facta suppositivè loquitur. Quis autem non videt conditionatam locutionem purificata conditione caeteroquin aequa, et *justa* honesta transire in absolutam.

VI. Minus aliquis jus lignandi PP. Franciscanis concessum in dubium vocare poterit ex eo, quia â Civibus sunt Moniales Münkendorffenses, nullam licentiam habuerunt secandi ligna, imò potius resistantiam, quam consensum. Ad hoc repono: Monialibus potuisse Civitatem Camnicensem jus lignandi concedere, quia Austriaca domus eis silvam donando totum jus attribuit, sive ligna pro suo usu caedendi, sive aliis vendendi: per hoc tamen neutiquam inferendum est, P. P. Franciscanos, quia contradicente Civitate ligna caedunt, non habere aliquod jus in silvam Feistricensem; non est, inquam, inferendum, quia silva fuit Civitati ab Archiducibus Austriacis gratiose concessa, hinc potuit Imperator ipsi concessam gratiam restringere, et partem juris alteri tribuere; semper enim Rescriptis Caesaris, gratias, privilegia, libertates, et exemptiones concessivis haec clausula sive explicitè, sive implicitè inseri solet: *usque ad nostrum beneplacitum* vel *usque ad nostram aliam ordina-*

tionem. Quapropter Imperator sine laesione juris Civitatis, hoc ideo cumulative etiam Patribus Franciscanis conferre potuit, secus dicendum Mariam Theresiam Romanorum Imperatricem, Reginam Hungariae etc. violâsse jus Civium Camnicensium tribuendo facultatem D. Josepho Francisco Schigan pro sua noviter erecta ferraria caedendi ligna in Feistriz, quod esset temerarium dictum.

§. II.

De obligatione Civitatis reparandi, et conservandi sarta tecta Conventus Camnicensis.

I. Obligatio reparandi tectum tum Conventus tum Ecclesiae Fratrum Minorum est penes Civitatem Camnicensem. Unde autem haec obligatio ortum trahat, nullas reperi *litteras*, quae clarè demonstarent; nam litterae sive in *Cancellaria Vice-Dominatus Carnioliae*, aut in Codice Senatus Camnicensis asservari dicitur. Communis fert opinio, quod olim quaedam bona immobilia Conventui ob tunc temporis angustias à piis quibusdam personis relicta fuerint, quae postquam Franciscani Conventum deseruissent, et ex eo Xenodochium factum fuisset, ad ipsum etiam bona devoluta erant. Redeuntibus verò melioris aevi aspectibus, dum Conventus anno 1627. denuo Fratribus Minoribus incolendus traditus fuisset, etiam praedicta bona Fratribus restitui [*debuissent*]⁵²¹ debuerunt, etenim accessorium sequitur suum principale. Quia verò Fratres Minores in altissima paupertate fundati nihil proprii in terra possidere [*valentes*]⁵²² valebant, de consensu eorum, quorum intererat, modo eis licito haec bona immobilia Hospitali erga 20. f. Carn. mon. et 40. lb. olei pro illuminatione annuè tribuenda ultroneè cesserunt.

II. Sive verò haec obligatio sita sit penes hospitale, sive penes Civitatem, id certum est, eam fuisse factam mox ad introductionem secundam Fratrum Minorum ad Civitatem; nam anno duodecimo videlicet 1639. post eorum introductionem, cum 20. f. non videbantur sufficientes, *P. Georgius Guardianus* eo anno *supplicem porrexit Senatui Camnicensi libellum*, ut is abscissis 20. f. tecti reparandi obligationem in se susciperet, qui *Guardiani petitioni annuens sequentem dedit in Originali visibilem Resolutionem*:

Weillen dem herrn Supplicanten die 20 f. zu des dach verbesserung, welche dem Closter von dem armen Spital zu diesen Ende Jährlich zu geben bewilliget worden, nicht erklhehlich. Also will Ein Ers. Stadtgericht in diß begern solcher gestalt einwilligen, und die nothwendige verbesserung des dachs Järlichen fürkhehren, das entgegen die bewilligten 20. f. abgeschnitten werden sollen. Stain am Rathhauß den 15. Junii 1639.

N. Richter, Rath, und ganze
Gemain alda.

III. Si huic suo Decreto se Domini Camnicensis accomodâssent, et tectum pro indigentia successive reparâssent, magnum emolumentum et Civitas, et Conventus habuissent, sicut è contrario uterque magnum detrimentum passus est, Conventus, quia ex neglectu observantiae hujus Decreti adeo ruinosus fuit, ut aqua ad Cellas Fratrum decurrerit, et trabes putrefacti, murusque ipse destruebatur, Civitas, quia majoribus expensis tectum reparare debuit. Patres saepe Civibus insinuabant imminensem necessitatem, sed incassum; hinc apud Vice-Dominum Carnioliae auxilium, et assistentiam implorabant, quatenus Judici, et Senatui tecti reparationem imponat, juxta sua desideria **Conventus acquisivit Decretum de dato Labaci 20. Sept. 1678.** hujusce tenoris:

Von Amtswegen wierdet denen N. Richter, Rath, und der ganzen gemain zu Stain hiemit auferlegt, das Sie in vermelte nothwendige bau besserung ohne Anstandt, und also gewiss fürkern, wie sunsten in dem widrigen zu Einnembung des augenscheins jemand von danen auß deputirt, und Ihme zu dem Ende daselbst zu Stain etliche bau verständige leüth zugegeben, auch so dan nach Erstattung deren Relation das behörige fürgekehrt werden solle. Actum Laybach den 20 7^{bris} A^o 1678.

IV. Quia D. Judex, et Senatores Civitatis Camnicensis huic Decreto parere renuebant, fuit eis denuo injunctum sub die 21. Maji 1682, ut infra 14. dies vel tectum [reparationem]⁵²³ infallibiliter, [aut si]⁵²⁴ incipiant reparare, aut si in contrarium quidquam habent, in Officio Vice-dominali incunctanter exhibeant. **Emanato hoc decreto** petierunt supra praetensionem Fratrum Minorum audiri, quod illis etiam die 12. Junii 1682. concessum fuit, in quem finem assignata fuit dies peremptoria pro 3. Julii ejusdem anni, in qua audientia, cum monumenta Civium minus habentia inventa fuerint, causâ ceciderunt, et ad reparationem tecti condemnati fuere per hanc sententiam:

In der an heünt gehaltenen Extraordinari, und peremptorishen verhör zwischen N. Richter, und Rath zu Stain, dan N. herrn P. Guardian, und Convent S. Francisci Ordens daselbst f. Anhör- und vernembung Ihrer über das gegenseits wegen praetendirender Reparation des Kürchen, und Convents gedachs, und ins künfftig Jährlich raichenden 20. f. reparations gelts, wie auch wegen benennung der Commissarien zu Eine Einnembung des reparations Augenscheins, eingeraichtes anbringen habenden Einreden, habe ich Leonhard Mercheritsch genand Fabianitsch von Gaurau der Röm. Kay. May. etc. etc. Land Rath in Crain, Einer Löb. Landschaft alda Verordneter, der Lands, und hoff Rechten beysizer, hauptman über den gemainen Man in Mitern viertel, auch verwalter des Lands Vizdomb Ambts in Crain, mit Rath der herrn, und Land Räth, zu recht erkennt.

Die von Stain seynd die bey dem Franciscaner

Convent, und Kürchen nothwendige dach reparation, derentwillen v' herrn Johann Antoni von Lebenberg freyherrn, und herrn Johann Ludwig von Hochenwarth, alß hiemit ex Officio benannten Commissarien mit zuziehung der erfahrenen Zimerleith der Augenschein eingenomben werden solle, alsobalden vorzukehrn, inskünftig aber die 20. f. Jährlich zu handen des Franciscaner Syndici daselbst zu Stain paar zu entrichten schuldig.

Hierüber haben die von Stain einen bedacht genomben. Ist fehler zu recht erkannt worden.

Der bedacht hat nit statt.

Alß nun hierüber mehrbemelte von Stain die Appellation vermeld. Ist abermahlen zu recht erkannt worden.

Die vermeldte Appellation hat nit statt.

Dessen allen die herrn klager gerikhts Vrkund begehrt, so Ihnen unter meiner fertigung hiemit zu ertheilen bewilliget worden. Datum Laybach den 3. Julii 1682. Jahrs.

(L. S.)

V. Deputati D. D. Commissarii post 10. dierum spatium die nempe 13. Julii ejusdem anni ocularem inspectionem tenuerunt, videntes magnum damnum ex neglectu reparationis causatum ad praecavendum majus damnum **praedictum Vice-Dominale Decretum** intra 4. hebdomadas executioni dandum, ac in futurum consuetos 20. f. tribuendos **novo** sequentis tenoris **mandato** praeceperunt:

Ich Johann Antoni Leo freyherr von, und zu Lebenberg, herr zu Neüdorff, Raunach, und Manspurg der Rom. Kay. May. Land Rath in Crain, und Einer löbl. Landschafft alda verordneter, auch der lands- und hoff- Rechten beysizer etc. etc. vnd ich Johann Ludwig von Hochenwart zum Gerlachstein, auf Rabensperg, Erbtruksasß in Crain, und der Windischen Mark, Einer löbl. Landschafft in Crain der lands- und hoff Rechten beysizer etc. etc. Bekennen, und bezeügen hiemit öffentlich, das nachdeme der wohl Ehrwürdige herr Pater Guardian und das Convent S^{ti} Francisci Ordens zu Stain wider N. Richter, und Rath daselbst sich bey der löbl. Lands Vizdomb Stöll in Crain höchst beschwert, wie das jezt gedachter N. Richter, und Rath zu wider den von sich nach unter dato 15. Junii des längst verschinenen 1639^{ten} Jahr ertheilten Rathshlusses, die verbesserung des ruinirten Kürchen, und Convents dach (alß jezt die höchste noth erfordert) ungehindert der zurug behaltenen Jährlich zu geben schuldigen zwainzig gulden vorzukehrn renitent erzeugen, und hierdurch der gänzliche Ruin des gebaues

zu besorgen wäre, massen derowegen bey in sachen außgeschriebener verhör von der löbl. Lands Vizdomb Stöll neben der angeordneter beschau Commission (worzu Wir anfangs ernente zwey Commissarien ex Officio per Sententiam denominirt, und bevollmächtigt worden) Ihme Richter, und Rath, die bey dem Convent, und Kürchen nothwendige dach reparation alsobalden vorzukehrn, und fürdershin die vorher obligirte zwainzig gulden zu des P. P. Franciscaner Syndici zu Stain handen Jährlichen paar zu entrichten kraft Abschiedt de dato 3. Julii gegenwärtigen 1682^{ten} Jahr auferlegt worden. Alß haben Wir alß hierzu deputirte Commissarien solche beschau Commission unter dato 13. Julii in beyseyn des Richters, und ganzen innern Rath in loco vorgenommen, darbey dieselbe die durch uns erkannte unverzügliche reparation der dächer, so viell vor jezt zu repariren vor Noth erfunden, und außgezeigt haben, nit allein inner vier wochen würllichen vorzukehrn, sondern auch anstatt der künftg mehrer förfallende reparations- Nothdurfft, die Jährlich Obligirte Zwainzig gulden landswehrung, nemblichen vor erstemahl unter dato 3. Julii nächst einlauffenden 1683^{ten} Jahrs unfehlbarlich zu der H. PP. bestelten Syndici handen zu erlegen, gleich alß Sie verbunden seynd, angelobt, und versprochen. Zu dessen allen wahren Vrkund haben wir anfangs ernente Commissarien diese bezeügnuß mit unser eigner handschriftt und angebohrner Petschafft (doch uns, und unsern Erben ohne allen Nachtheil, und shaden) verfertigt, und bekräftiget. Beschehen zu Stain den 13. Julii des 1682^{ten} Jahrs.

(L. S.)

Joh. Ant. Leo freyherr v' Lewenberg
alß Commissarius

(L. S.)

Hannß Ludwig v' Hochenwarth
alß Commissarius

VI. His Decretis constrictus Magistratus Camnicensis jam anno eodem tectum reparare coepit, quia verò toti expositae necessitati minime providebant, sed tantum aliquam partem reparabant, Conventus denuo anno sequenti ad Vice Dominum Carnioliae recurrit supplicando, ut Civitas compellatur ad omnimodam tecti restaurationem conformiter ad D. D. Commissariorum determinationem: Ad **hoc Decretum** fuit D. Judex cum Magistratu compulsus ad reparationem, aut si quidpiam in contrarium haberet, intra 14. dies proponeret. Cum autem judici nullus effugii locus relictus esset, se ad reparandum Conventum obligavit, ut **ex sequenti Vice-Dominali Decreto** patet:

Weillen die beklagten in sachen Ihren bericht eingebracht, und sich darinnen zu vorkehrung der reparation erbotten haben, alß werden die Supplicanten dessen hiemit

nachrichtlich erindert: Ihnen beklagten aber ernstlich auferlegt, das sie die geworbene expedition Ihnen Supplicanten zustellen, und solche reparation Ihren selbst eigenen Erbierten gemäss ganz fürderlich vorkehren lassen, auch derentwillen alhero fehler zu recurriren kein vrsach geben sollen. Actum Laybach den 11. Augusti des 1683^{ten} Jahrs.

VII. Ab hoc tempore Magistratus Camnicensis fideliter persolvit praedictos 20. f. Carn. mon. usque ad annum 1770. quo anno Hospitale subtractum fuit administrationi Civitatis, ac immediatè subjectum curae, et administrattioni Caesareae piarum causarum Commissioni, quo tempore disceptatio magna exorta fuit, duravitque novem ferme annis, an praedicti floreni solvendi essent ex cassa Hospitalis, vel Civitatis? Civitas quidem asserebat, se solvisse praedictos florenos, ast ex cassa Hospitalis è contrario. Commissio piarum causarum nullam reperit obligationem ex parte Xenodochii, totamque obligationem reparandi tectum in Civitatis Magistratum rejecit, eò vel maxime, quod hucusque ratione dictae reparationis exortae controversiae non nomine Xenodochii, sed Civitatis nomine agebantur. Utriusque partis rationibus in Officio Supremi Capitaneatus Carnioliae matura deliberatione discussis Civitas per sententiam definitivam condemnata fuit ad praedictos florenos non tantum de praeterito, sed etiam pro futuris temporibus fideliter pendendos. Cunctabatur Civitas post latam sententiam debito de praeterito satisfacere idcirco neglecta **commonitione eidem ex Officio Supremi Capitaneatus sub die 26. Aprilis 1779. data, per aliud Decretum de die 27. Maji anni ejusdem sub comminatione sequestrationis ad debitam solutionem faciendam compulsa** fuit sequenti decreto:

Von Kay. König. Landeshauptmanschaft in herzogthum Crain wegen wird N. Richter, und Rath der Stadt Stein hiemit aufgetragen, das dieselben Inerdeüt Jährliche 20. f. inner 3. tägen nicht allein de praeterito seith 3. Julii 1770. sondern auch in futurum zu handen des Geistl. Vatter deren P. P. Franciscanern zu Stein von zeit zu zeit geklagt, und behaubtermassen bey vermeidung der Spanungs execution entrichten sollen. Laybach den 27. May 1779.

Dr' Franz v' Franchenfeld
Secret.

VIII. His comminationibus perterritus Judex cum Magistratu **praedictae obligationi** satisfecit de praeterito die 3. Julii (quae dies anniversaria solutionis est) anno 1779. cum f. 153. germ. mon. Quamvis verò in hucusque recensitis **Actis** nulla mentio habeatur de 40. lb. olei, quod pro illuminatione dabatur, ex hoc tamen non sequitur illud esse debitum, etenim si una causa ex pluribus inter se connexis partibus constat, sufficit evicisse principaliorem, nam minus principales implicite evictae censentur, praesertim si pro omnibus eadem ratio, ut in praesenti negotio, militat. Quod autem 40. lb.

olei Ecclesia quotannis tribui debuerint, patet **ex Instrumento Transactionis de Capitalibus, et domibus inter Civitatem, et Conventum** inita die 11. Jan. 1730. Supra c. 3. §. 2. n. 6. pag. 859. adducto: ibi enim §. *fünffens* postquam conventum fuit, ut nec Conventus Civitati de domibus pro aedificio applicatis tributa solvat, nec Civitas Conventui de quibusdam apud Civitatem in favorem Conventûs investitis legatis Interesse pendat, sequens exceptio facta fuit: *darunter doch die von der Stadt, oder den Spital dem Closter wegen der bedachung des Closters, und der Kirchen lauth Commissarischen Erkanntuß unter dato Stadt Stain 13. Julii 1682. Jahrs Jährlich zu reichen schuldige 20. f. L. w. dan die 40 lb. baumöels keines weegs verstanden, und begriffen werden, sondern derenselben Raichung allerdings bey kräfften verbleiben solle.* Praeterea ipsimet Cives fateri debent, quod usque ad annum 1770. loco olei in natura quolibet anno dederint f. 5. germ. mon. et 40. X. quod non tantum ex Epochis Civitati â Conventu datis, sed etiam **ex Protocollis tum Conventus, cum Civitatis** evidens est, quod quovis anno dederint ⁵²⁵ f. 22. X. 40. germ. mon.

Caput V.

De Ecclesiae, et Altarium aedificatione, et consecratione, de Reliquiis in ea conservatis, de viris conspicuis in ea sepultis, deque Confraternitatibus aliisque piis exercitiis.

§. I.

De Ecclesia, Altaribus, eorumque consecratione.

I. Quo tempore, quove anno Ecclesia S. Jacobi Apostoli aedificata fuerit? nullam certitudinem reperire potui, id certum est, eam ante Conventum extitisse, et jam anno 1493. constructam fuisse, quod **ex litteris Friderici Imperatoris, vi quarum civibus aedificandi Conventum licentiam dederat**, clarè deducitur, ubi Imperator sic fatur:

Wir Fridrich ... bekenen, das Wir unsern, getreüen, lieben, dem Richter, Rathe, und unsern Burgern zu Stain in Crain ... vergunt, und erlaubt haben wissentlich mit dem brieff, das Sie St. Jacobs Capellen in derselben unser Stadt gelegen ... zu einen Closter zu richten, bauen, und darin Münich St. Franciscen Ordens der Observanz nehmen. **D. Valvasor Topogr. Carn. lib. 8. pag. 810.** initium hujus primae S. Jacobi Ecclesiae reponit ad annum 1474. quia suo tempore in antiqua Ecclesia praedictus annus in fornice adnotatus visebatur, ex quo tamen nullam certitudinem, sed tantum conjecturam esse autumat.

II. Anno 1492. fuit Ecclesia consecrata die 8. Septembris in honorem S. Jacobi Apostoli, anno nempe uno ante obtentam facultatem aedificandi Conventum à R^{mo} D'no Jacobo Valaresso Episcopo Justinopolitano, in Patriarchatu Aquilejensi Sede vacante Gubernatore Generali; prout id **ex Instrumento authentico** (nam **originale in Archivio Civitatis** asservatur) **lucu[le]nter**⁵²⁶ constat, quod sequentem continet tenorem:

Jacobus Valaressus, Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Justinopolitanus, in Patriarchatu Aquilejensi Sede vacante gubernator Generalis, Universis, et singulis, praesentes litteras inspecturis, pariter, et audituris salutem in Domino sempiternam. Universitati vestrae fidem facimus, publiceque testamur, quod Nos Anno Nativitatis Dominicae Millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, Indictione decima, die verò octavo mensis Septembris, secundum ritum, et formam S. Romanae Ecclesiae consuetam benediximus, et consecravimus Ecclesiam S. Jacobi oppidi Stain cum suis Altaribus, in quibus piè reclusimus de Sacris ossibus Sanctorum septem Fratrum, Crescentiani, et Fortunati Martyrum. Cupientes igitur, ut ipsa Ecclesia à Christifidelibus jugiter visitetur, et in suis aedificiis, luminibus, paramentis, calicibus, libris, et aliis ornamentis ad Divinum cultum inibi necessariis augeatur, et conservetur, fidelesque, ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, quò ex hoc ibidem dono caelestis gratiae uberius conspexerint se refectos. Idcirco de Omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, et singulis utriusque sexus fidelibus, qui praefatam Ecclesiam S. Jacobi in Natalis Domini, Circumcisionis Epiphaniae, Passionis, Resurrectionis cum duobus sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duobus sequentibus, Corporis Christi, Omnium Sanctorum, duodecim Apostolorum, omnium solennitatum B. Virginis Mariae, nec non Sanctorum Primi, et Feliciani, Spiritus Sancti, Laurentii, ac eorum, quorum Reliquiae in sepulchris Altarium sunt sepultae, Dedicationis, et Patrocinii ejusdem Ecclesiae, quam dedicationem singulis annis in futurum, in festo Nativitatis, Gloriosissimae Virginis Mariae ponimus celebrandam, festivitatis, et diebus devotè visitaverint, et pro conservatione, et augmento aedificiorum, calicum, et ornamentorum praedictorum manus quovis modo porrexerint adjutrices, quadraginta dies, quoties id fecerint, de injunctis eis paenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Praesentibus futuris temporibus perpetuo valituris. In quorum fidem, et testimonium has praesentes litteras scribi fecimus, et nostri rotundi sigilli appensione jussimus communiri. Datam in Oppido Stain Anno, et Indictione praedictis, die verò decima Septembris.

P. **Sanctominus**⁵²⁷ Cancell.
de mandato.

Quod praesens transcriptum cum suo Originali
de verbo ad verbum concordet, testor, et sigillo
Officii mei munivi. Datum in Civitate Stain
die 15. Nov. 1770.

(L. S.)

Franciscus Georgius Hogen
p. t. Syndicus

III. Quia verò Ecclesia antiqua ruinam minabatur, nec populo, qui ad eam devotionis gratia concurrebat, capiendo sufficiens erat, Perillustris D. Jacobus à Schellenburg eam eo tempore, quo Conventum ampliavit, et quasi è fundamentis novam suo aere munificentissime reaedificari curavit, in eaque omnia Altaria, quae nunc adhuc prostant, quas tamen domestici Fratres laici elaborarunt, reposuit. Habet moderna Ecclesia in longitudine orgias 15. pedem 1. et 10. palmos, in latitudine verò orgias 8. pedes 5. et 8. palmos. Anno 1676. fuit turris, quae tribus ornata est campanis, supra tectum, nam prius supra tectum non prominebat, educta, et elevata, ut campanae in Civitate magis audirentur, et ideo Magistratus Camnicensis contribuit ad hoc opus f. 200. Anno 1752. fuit Ecclesia diversorum benefactorum impensis strata lapide quadro, qui labor constitit praeter Murarium, et victum lapicidae datum f. 190. Xr' 26. germ. mon.

IV. Quae Arae in Antiqua Ecclesia fuerint? **ex supra adducto conservationis Instrumento** non constat, quia Altaria quidem conservata recenset, non tamen ea specifiat nominatim. **Ex quadam** tamen **Relatione** D. Joannis Komoriz olim Civitatis Syndici praeter Aram majorem tres alias fuisse conjicitur, una S. Annae, alia S. Catharinae, et tertia S. Sigismundi, quas maximis Indulgentiis condecoratas fuisse commemorat. Nunc septem in Ecclesia numerantur Arae. Prima est Ara major S. Jacobo Apostolo dicata, in cujus festivitate nempe die 25. Julii Ecclesiae Patrocinium celebratur. Antequam Patres Observantes Provinciae Austriae hunc Conventum deseruissent, fuit Ecclesia, et Conventus sub titulo Sanctorum Primi, et Feliciani Martyrum, quod eorum corpora (de quibus §. sequ.) in hac Ecclesia quiescant, notus, ut **Catalogi Provinciae Austriae** indigitant. Postquam verò Conventus Patribus Observantibus Provinciae Bosnae Croatiae traditus fuisset, Ecclesia priorem Patronum, nempe S. Jacobum majorem reassumsit, non relicta veneratione erga corpora Ss. Primi, et Feliciani, quorum festivitatem etiamnum sub ritu 1. classis celebrat.

V. Arae laterales sunt sex, tres ex parte Epistolae, et tres ex parte Evangelii, *prima* ex parte Epistolae est Ara S. Crucis, et dolorosae Virginis Mariae. *Secunda* Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo, Sabbato pro membris Confraternitatis Scapularisticae privilegiata, *tertia* S. Barbarae Virginis, et

Martyris. *Prima* ex Cornu Evangelii est Beatae Hyacinthae de Mariscottis Virginis Tertii Ordinis Sancti Francisci, hujus imago ante aliquot annos substituta est imagini Sanctissimi Nominis Jesu, cui primitus dicata erat, haec Ara, nunc ob statuum in ea collocatam communiter appellatur Ara S. Annae. *Secunda* Ara ex parte Evangelii est S. Antonii de Padua, et *tertia* S. Valentini Martyris. Omnia haec Altaria eo die, quo Ecclesia, nempe Dominica tertia post Pentecosten, quae incidit in diem 18. Junii (obinde anniversaria dedicationis memoria recolitur dominica proxima post festum S. Antonii de Padua) anno 1730. Consecrationis beneficio donata erant à Celsissimo, et Reverendissimo Domino S. R. I. Principe, Domino Felice Sigismundo è Comitibus de Schrattenbach Episcopo Labacensi.

§. II.

De Reliquiis, quibus exornata Ecclesia refulget.

I. Inter reliquias Sanctorum Reliquias, quibus haec Ecclesia exornata est, ac decorata, principem occupant locum Corpora Sanctorum Martyrum Primi, et Feliciani fratrum, quae sub Ara Majori in separata Urna inclusa collocata sunt. **Baronius** eorum Martyrium ponit ad annum Christi 303. qui ad praedictum annum sic loquitur: *Passi sunt Romae hoc tempore Primus, et Felicianus, qui longaevam in Domino vitam piè ducentes gravissima passi tormenta, tandem sub Prometo et apud Nomentum Martyrium consumarunt.* **Martyriologium Romanum** verò de his Martyribus ita canit: *Romae in Monte Caelio natalis Sanctorum Martyrum Primi, et Feliciani, sub Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus. Hi gloriosi Martyres longaevam in Domino vitam ducentes, et nunc simul paria nunc singillatim diversa exquisita perferentes tormenta, tandem felicitatis pugnae cursum à Promoto Praeside Nomentano, gladio animadversi, consumaverunt.* Ut **Baronius**, qui apud Nomentum Sanctos Martyres passos fuisse commemorat, cum **Martyrologio Romano**, quod eos Romae in Monte Caelio à Praeside Nomentano Martyrio affectos enunciat, reconcilietur, dicendum cum **Bollandistis** ad diem 9. Junii eos fuisse Romae comprehensos, dein vero Nomentum, quam Civitatem Lamentum vocant, urbem Italiae decimo tertio ab Urbe milliaro perductos ibique sub Prometo Praeside Martyrii palmam adeptos esse.

II. **D. Valvasor** in **Topogr. Carn. lib. 8. pag. 558.** ait, quod circa annum 974. Abrahamus Episcopus Frisingensis, postquam ab Othone imperatore eò, quod Phillippi Bavari Imperatorum Sceptum percipientis partes tueretur, pulsus fuisset, in Carinthiam profugit, ibique penes lacum **Wertsee** dictum unam Ecclesiam Collegiatam cum Decano, et 5. Canonicis fundaverit, eamque in honorem Ss. Martyrum Primi, et Feliciani dedicaverit, eorumque Reliquias, quae nunc in nostra Camnicensi Ecclesia asservantur, ad dictam Ecclesiam transtulerit. Dein erant

ad Montem quemdam duobus ferme milliaribus â Civitate distantem, ubi Ecclesia in honorem Sanctorum Primi, et Feliciani constructa cernitur, translata. Quia verò populus timuit, ne Sanctorum Reliquiae in loco â hominum consortio semoto constitutae subsint depraedationis pericula, aut ne ab inimicis Christiani Nominis, qui eo tempore has regiones saepius incendiis, depraedationibus, et homicidiis vastarunt, dihonorentur, eas ad Ecclesiam S. Jacobi in Civitate sitam transtulit. Quo anno haec translatio peracta fuerit? nullum prostat monumentum, ex quo id conjicere liceret, id certum videtur, hanc translationem factam fuisse intra annum 1474. et 1493. Quia enim Ecclesia anno 1474. aedificata dicitur, utique Reliquiae ad eam, utpote non extantem transferri nequibant; quod verò haec translatio facta fuerit usque ad annum 1493. quo Conventus aedificari coepit, patet ex eo, quod Conventus nominatus fuerit ad Sanctos Primum, et Felicianum, utique non ex alia causa, nisi quia corpora praedictorum Ss. Martyrum ibidem quieverunt.

III. Dum Patres Observantes Provinciae Bosnae Croatiae conformiter ad concessionem Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris anno 1627. agonizante jamjam in Carnioliae Ducatu Lutheri haeresi ad hunc Conventum introducti fuissent, et Hospitale cum Scholis ad alium opportunum locum transferri jussum esset, Cives Conventum omnibus Scripturis, Ecclesiam calicibus, ornamentis, ut supra visum, aliaque Ecclesiastica suppellectili spoliarent, quae cum ex Caesareo Decreto restituere cogerentur, attentarunt in continenti Corpora Ss. Martyrum Primi, et Feliciani ex Ecclesia P. P. Franciscanorum elevare, et ad Ecclesiam in Monte in eorum honorem constructam transferre allegantes rationem hanc, quod tota devotio cessaret, et frequens ad dictam Ecclesiam populi concursus imminueretur, si Corpora praedictorum Sanctorum in Civitate servarentur, Fratres Minores Civium immaturo desiderio annuere detrectabant, quia in possessione jam erant, neque licitam esse Sacrarum Reliquiarum ab uno ad alium locum translationem absque Consensu Ordinarii ajebant. Quare exposcebant judicium Fratris Nardi â Montopoli Episcopi Ansariensis, Visitoris Apostolici, et Patriarchalis in Dioecesi Aquilejensi.

IV. Visitor Apostolicus, et Patriarchalis causa maturè discussa sententiam die 1. Feb. 1628. in favorem Fratrum pronuntiavit hoc sub tenore:

Nos Fr' Caesar Nardus â Montopoli Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Ansariensis, S. C. M. Concionator, et Consiliarius, Praepositus Lanscronensis, Canonicus Olomucensis, Parochus Gurgfeldt per Styriam, Carinthiam, et Carnioliam cum omnimoda autoritate Visitor Delegatus Apostolicus, et Patriarchalis.

Nemo est, qui nesciat, Martyrum victorias, et glorias ad hoc Divino consilio â populis frequentari, ut illis debitus dicetur, ille verò debitus est, qui in Dei gloriam totus cedit,

inde enim hortatur nos David: Laudate Dominum in Sanctis ejus; ob id custodit Dominus ossa eorum, ne unum ex his conteratur, ut mirabilis in Sanctis suis appareat, atque uti par est, à nobis glorificetur. Quapropter cum discrimen aliquod inter Camnicenses, et Fratres Minores de Observantia nuncupatos Circa Ss. Martyrum Primi, et Feliciani corpora obortum sit, ubinam asservari debeant? num in dictorum Fratrum Templo? ubi nunc à plurimis annis quiescunt, an verò supra Montem procul in Ecclesia ad ipsorum Sanctorum honorem constructa. Hoc primum ducti, quod in Civitate ob vicinitatem, longeque minores temporum molestias, majores fiant populorum concursus ad Templum Fratrum Minorum Observ. ubi propitiatores Christi Dei, ac Domini nostri praesentia, ubi Divina Officia Sacraque celebrantur, cantantur, ubi Sacramentum administratur, frequentantur Conciones, ac Processiones. Ad quam quidem rationem unicè, ac primum respiciendum est, ut Sanctae Ecclesiae usu, Sanctorum Patrum, ac Doctorum testimoniis monemur. Accedente, quod cum custodia adhibenda sit circa tantum thesaurum (depraedari enim vult, qui thesaurum publicè portat in via) nec hostium, et furum, nec solitudinis periculis exponendus est, exemploque edocti sumus, cum ob invadentium Turcarum metum, communi populorum voto de deserto ad habitationem translatus est, ubi nunc dicti Fratres Sacrarum Reliquiarum, Ecclesiae, Altarium non tantum cultui, verum etiam sedulae custodiae operam dabunt, Civesque cum illis. Denum melior est conditio possidentis praesertim Reliquiarum Sanctorum, ut totius orbis consuetudo, et exempla suppetunt, bonaque fide dicti Fratres in dicta Ecclesia sibi cum annexis collatae, possessionem ingressi sunt. Hasce ob causas, aliasque nobis notas de pleno iudicio, sanoque consilio, nullo particularium affectu, sed justitiae, ac Religionis (cujus species est Sanctorum cultus) zelo ducti, Sanctorum Martyrum dictorum depositum Ecclesiae Fratrum adjudicamus, ibique asservari mandamus, ac pronunciamus sub duplici clavi, quarum unam Civitas, alteram Fratres habeant. Verum enimvero cum populorum devotionem erga Ecclesiam supra Montem multi contestentur, et allegent, quod in Sanctorum dictorum honorem fuerit aedificata, quodque, si deleteretur, corrueat, ad majorem Sanctorum honorem, populi devotionem, meritique incrementum, insigne ex utroque corpore ossis frustum honorificè, ac processionaliter eò tranferatur, et asservatur sub duplici itidem clavi, quarum unam Parochus, alteram Civitas teneat. Atque ita Camnik Civitas, ut Sion erit, ponetur in ea murus, et antemurale, duplicique Civitatis, et camporum protectione gaudebit [*hortus intus*] †,⁵²⁸ et extra Spiritus pascua inveniet, in inferiori Ecclesiae peccatis debiles sanabuntur, ut virtutibus procedentibus ascendere possint in montem. Nostri hujus Decreti authenticam copiam partibus communicare volumus, Originali apud Parochum diligenter servato. In fidem etc. Datum Labaci die prima Februarii Anno à Virginis partu MDCXXVIII.

Fr' Caesar Ep'us Ans. Visit'r Apost. et Pat'is.

V. Quia Episcopus prae nominatis mandat, ut ex utriusque Sancti corpore unum ossis frustum ad Ecclesiam in Monte in honorem Ss. Primi, et Feliciani constructam transferatur, evidens est, dictam illas prius horum *Martyr[i]um*⁵²⁹ Reliquias habuisse Ecclesiam, quia etiam nunc populo ad Montem concurrenti in una scatula rotunda et oblonga eorum Reliquiae monstrantur, signum est eas hoc tempore ex tumba apud PP. Franciscanos asservata sub majori Ara extractas fuisse, ac tumbam duabus Clavibus obseratam juxta mandatum praedicti Episcopi, ac sigillis munitam fuisse. Animadversum fuit hisce temporibus, sigilla Tumbae ob vetustatem fuisse corrosa, et rupta: idcirco supplicatum fuit pro renovatione Celsissimo, et Reverendissimo Domino, Domino S. R. I. Principi, et Archiepiscopo Goritiensi Carolo Michaeli e Comitibus ab Athembis, qui Suas vices delegavit Ill^{mo}, ac Ad'm Reverendo Domino, Domino Ferdinando L. B. ab Apfaltrern, Decano, Commissario, ac ejus Civitatis Plebano de data Goritiae die 19. Aprilis 1773.

VI. Illustrissimus D. Parochus suae delegationis muneri satisfactorius, capsam, in qua Sanctorum Martyrum lipsana continentur, novo Sigillo obfirmavit, ut *ex attestatione propria manu subscripta*, et *ex Originali desumpta* patet, quae hujus est tenoris:

Lecturis Salutem in Domino.

Ego, infrascriptus à Celsissimo, et Reverendissimo S. R. I. Principe, et Archiepiscopo Archidioecesis Goritiensis Carolo Michaeli e Comitibus ab Attems, ad intercessionem Ad'm R'ndi P. Provincialis Bonaventurae Skerpin Ord. S. Fran. in scriptis sub dato Goritiae 19. Aprilis anni 1773. delegatus, ut cistam sub Ara majori in ejusdem supranominati Ordinis Ecclesia S. Jacobi Apostoli in Civitate nuncupata Stein sitam, ubi Reliquiae Sanctorum Primi, et Feliciani M. M. asservari dicuntur, eò, quod ob vetustatem ligaturae, et sigilla deciderint, novis denuo nomine altissimi Archiepiscopi (praevia tamen secundum praescriptum aliquot Religiosorum sub fide Sacerdotali accepta assecuratione, quod nihil in iis Reliquiis immutatum fuerit) ligaturis, ac sigilli impressionibus firmarem: fidem facio, et attestor me ad normam mandati gessisse, ac Cistam praememoratam (non tamen ob clavium defectum apertam minus inspectam) consueto meo Sigillo hic pariter appresso ligaturis naturalis lini coloris superductis in quinque locis sub hodierno dato in praesentia A. R. P. Provincialis: A. R. P. Floriani Tschokl ejusdem Conventu p. t. Guardiani firmasse. Dabam aedibus Parochialibus Civitatis, et plebis Stein 19. Julii 1773.

Ferdinandus L. B. ab Apfaltrern

(L. S.)

Decanus, Commissarius, ac loci Plebanus.

VII. Praeter corpora Sanctorum Martyrum Primi, et Feliciani reperiuntur et aliorum Sanctorum Reliquiae in hac Ecclesia custoditae cum suis Authenticis, et sunt sequentes:

1^{mo} Sanctorum Pii, Honesti, Constantii, et Columbae M. M.

2^{do} S. Valentini Martyris

3^{no} Ex ossibus S. Jacobi Apostoli majoris

4^{to} Ex ossibus S. Antonii Patavini Orbis Thaumaturgi

5^{to} de Tunica S. Bernardini Senensis Conf. Ord. Min.

6^{to} Ex ossibus S. Petri Regalati Conf. Ord. Min.

7^{mo} Ex velo nigro, quo utebatur B. Hyacintha de Mariscottis, Virgo 3^{ta} Ordinis S. Francisci, dum in vivis ageret.

§. III.

De viris conspicuis in Ecclesia Camniciensi Fratrum Ordinis Minorum sepultis.

I. Multi Nobiles erant olim in hac Ecclesia sepulti, ut **commemorat Valvasorius**, quorum autem nomina antiquitas, et divisae Vicissitudines hujus Conventus nobis notata non reliquerunt. Nihilominus paucorum, quorum ad me pervenit notitia, texam **Catalogum**. Praeprimis

Domina Sophia Comitissa Hönigin relictæ vidua Comitis Mathiae à Thurn

III^{ma} Domicella Elisabetha à Thurn, Domini Achatii Comitis à Thurn filia, quae in arce Oberstein fulmine tacta obiit.

III^{ma} Domicella Dorothea Franciscina Domini Viti, et ejus Conthoralis Bianchæ Polixenæ à Thurn filia.

Dominus Franciscus à Thurn praedicti Viti filius ab anno 1534. usque ad annum 1540. quatuor suas proles, nempe Julium, Jodocum, Evam, et Adamum sepeliri jussit.

Domina Eleonora filia Viti à Thurn, et Conjux D. Ludovici (qui Camnicii in Parochiali Ecclesia sepultus est) ab Hochenwarth in Gerlachstein relictæ vidua una cum suis prolibus Joanne Christophoro, Catharina, Mathia, Sebastiano, et Dorothea hic sibi quietis locum selegit.

Domicella Magdalena D. Viti à Thurn soror mortua est in anno 86. suae aetatis, et hic sepulta fuit anno 1555.

III^{mus} D. Franciscus Adamus L. B. a Liechtenthurn.

1742. 6. Aprilis honorata Virgo Catharina Anna Maria Primashizin 3. Ord. S. P. Francisci, de qua Confessarius retulit, quod mundo totaliter demortua, et Voluntati Divinae resignata id unicè in deliciis habuerit de Deo, et rebus caelestibus sentire Sermones, dumque de amore Divino discursum percipiebat, prae teneritudine cordis lacrymae decidebant. Insigniter flagrabat erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quod quotidie etiam in sua infirmitate anxie desiderabat percipere: Singulari hac gratia eam dignabatur Sponsus, quod bina vice in Sacra Hostia Eumdem sub forma amabilis Pusionis intueri meruerit, una vice sub Sacrificio Missae, altera dum Sacra Synaxi refecta fuit. In Oratione fuit fervida, et in vigiliis, quas tota nocte protrahere desiderabat. In meditatione Dominicae Passionis assidua, unde plurimas virtutes hauriebat. Macerabat

corpus suum disciplinis, et jejuniis: cupiebat in terra, aut duro ligno quietem sumere, idque practicabat, dum Confessarius non interdiceret. Portabat interulam ex pilis equinis, et diversa cilicia in manibus, et pedibus, ac ita severe in corpus agebat, quod Confessarius cogeretur eam retrahere; inde putabatur obtinuisse gratiam, quod duobus annis ante obitum saepius diebus Veneris in latere magnum dolorem senserit, internè tamen maximam consolationem. Fuit semialtero anno valetudinaria, et 15. septimanis lecto affixa magnas infirmitates maxima pertulit patientia, ut nunquam signum alicujus contrarietatis adverti potuierit. Die Veneris vivere desiit magna Sanctitatis fama. Ista testantur Discreti hujus Conventus.

1751. 13. Martii Illustrissima Domina Rosalia Michelina L. B. de Liechtenthurn, nata L. B. de Pilichgraz vidua 3. Ord. S. Francisci. Erat exemplar Matronarum, profusa in pauperes, erga infirmes valde misericors, quibus medicinis opitulabatur, qui obitum Suae Matris profusis lacrymis parentabant.
1762. 21. Sept. Illustrissimus D. Maximilianus de Skerlichi.
1764. 11. Nov. Illustrissima Domina Maria Anna L. B. ab Apfaltrern nata Comes de Liechtenberg.
1768. 5. Maji Illustrissima Domina Josepha Francisca L. B. de Rauber, nata Comes de Liechtenberg.
1768. 3. Sept. Illustrissima Domina Rosalia L. B. de Apfaltrern nata L. B. de Grimbschiz.
1771. 21. Oct. Illustrissima Domicella Rosina Maximiliana a Margarita L. B. de Grimbschiz 3. Ord. S. P. Francisci.
1772. 4. Julii Illustrissimus Dominus Carolus L. B. de Apfaltrern.
1775. 17. Oct. Illustrissima Domicella Francisca Xaveria Comes à Barbo de Waxenstein.

II. Praeter duas Cryptas pro nostris Fratribus defunctis tumulandis, erectae erant anno 1732. duae aliae pro Saecularibus. Quia verò Conventus, et Ecclesia sita sunt sub Monte Sallenberg, ex quo multae aquae stillant, adeo, ut Cryptae aqua repletae essent, indeque ob communicatam Ecclesiae humiditatem Mappae Altarium ac ipsa Altaria multum damnum patiebantur, Patres nostri, ut huic malo remedium ponerent, cogitabant ex Cryptis ducere Canalem per Civitatem ad aquam dictam *Schusbach*: obinde Magistratui supplicarunt pro licentia educendi Canalem, ast praeter omnem spem sub die 17. Novembris 1751. repulsam tulerunt: quapropter recursum fecerunt ad Capitaneum Circuli, qui auditis utriusque partis rationibus sententiam incassum obstrepentibus Civibus tulit in favorem P. P. Franciscanorum **sequenti (quod in Originali extat) iterato Decreto**:

Von dero Römisch. Kay. In Germanien, zu Hungarn, und Böhaimb König. May. Creyßhaubtmanschaft in Ober-Crain wegen N. P. Guardian, und Convent P. P. Franciscaner zu Stain hiemit anzufügen.

Demnoch bey solcher beschaffenheit, wie ich mit meinen bey der hochlöß. Kay. König. Repraesentation, und Cammer eingebrachten bericht von 28^{ten} Augusti nächsthin angezeigt, kein erhöhlicher Anstand gefunden worden Ihnen P. P. Franciscanern die gebettene Extruirung eines zu Außführung des in Ihre Gruft rinnenden Regenswassers dienenden Canals durch die Stadt unter den so genannten Schusbach eingerathnermassen umb so mehr zu gestatten, alß eines theil andurch unter einstens der vnflath von der Stadt abgeführt werden kan, anderten theils aber denselben, oder dasigen? Luft nicht nur gar kein schaden beschicht, sondern vielmehr der bißherige üble dampf auß besagter gruft abgewendet wirdet.

Alß wirdet in kraft der von der hochlöß. Kay. König. Repraesentation, und Cammer unter d^o 14. p^sto 17. hujus in sachen ergangenen verordnung sothann gestattete Canals Extruirung N. P. Guardian, und Convent P. P. Franciscaner zu Stain pro directione hiemit intimirt, massen ein gleiches unter heüntigen dato an dem Richter, und Rath der Stadt Stain erlassen worden. Laybach den 19^{den} Septembris 1752.

Anton fr. von Taufner
Creyß hauptman.

Ex Cæs^o Reg^o circulari Capitaneatu Ducatus Carnioliae
Superioris
Joseph Seyfrid Germek.

§. IV. De Confraternitatibus, aliisque Spiritualibus exercitiis.

I. Prima, et Principalior Confraternitas est Sacratissimi Scapularis B. V. Mariae de Monte Carmelo erecta anno 1703. auctoritate Reverendissimi in Christo Patris Fr' Aegidi à S. Cyrillo Vicarii Generalis Ordinis B. Mariae Virginis de Monte Carmelo Discalceatorum **de dato Romae in Conventu S. Mariae de Scala die 3. Decembris 1702.** cum Consensu R^{mi} Domini Joannis Andreae à Flachenfeld per superiorem Carnioliam in Dioecesi Aquilejensi Archidiaconi. Quia autem Instrumentum concessionis deperditum putabatur (quod tamen revera existit), dubium exortum est, an Confraternitas legitimè et canonicè erecta fuerit? Unde ad submovendum omne dubium, ad R^{mu} P. Generalem Ordinis Discalceatorum B. V. de Monte Carmelo anno 1763. pro confirmatione, et respective nova concessione recurrerunt, qui eam non tantum confirmavit, sed etiam Guardiano facultatem dedit alios etiam Sacerdotes pro benedictione habitus, et receptione substituendi **his ex Originali desumptis litteris:**

JESUS + MARIA

FR Philippus â S. Francisco Praepositus Generalis Carmelitarum Excalceatorum B^{mae} Virginis Mariae de Monte Carmelo.

Rev. ad'm Patri Guardiano Conventus Camnicii in Carniolia Ordinis Minorum Reformatorum Sancti Francisci.

Pro Parte Tui fuit Nobis porrecta petitio, quae continebat, quod ad augendam devotionem erga beatissimam Virginem de Monte Carmelo, ditandosque fideles Spiritualibus gratiarum thesauris potestatem tibi concedi â Nobis optares, quatenus Scapularia parva benedicere, et fidelibus imponere valeas. Nos itaque pium, quem versus eandem beatissimam Virginem geris affectum peculiari favore prosequi volentes, tibi, de cujus probitate, et prudentia multum in Domino confidimus, facultatem ad beneplacitum nostrum, et successorum nostrorum duraturam, impertimur, ut habitus, seu Scapularia parva â Confratribus, et Consororibus Confraternitatis B^{mae} Virginis Mariae de Monte Carmelo gestari solita benedicas, atque ipsis imponas cum benedictione, et Caeremoniis consuetis, et ad participationem bonorum omnium Spiritualium Ordinis nostri admittere, itemque benedictionem, ac plenariam Indulgentiam in articulo mortis impendere valeas, dummodo id fiat in locis, ubi Conventus nostri Ordinis non reperiuntur, et nomina conscripta ad viciniorem Conventum nostrum quam primum transmittas, ut in libro **Confratern[itis]**⁵³⁰ notentur. Admonentes te, ne quaestum, aut lucrum ullum etiam sub specie eleemosynae pro habitu, aut receptione ad habitum quaeras.

Datum Romae in Conventu nostro Ss. Theresiae, ac Joannis â Cruce die 28. Januarii 1763.

Extenditur supra dicta facultas ad successores praefati Guardiani, et ad omnes Religiosos ejusdem Conventus, quos ipse, vel ejus Successores designaverint in perpetuum.

FR' Philippus â Sancto Francisco
Praep. Generalis

Fr' Joseph â Sancto Paulo
Secretarius.

II. Cum in praememorata facultate praescribatur, ut nomina, et cognomina Confratrum, et Consororum in dicta Confraternitate descriptorum mittantur ad viciniorem Conventum Carmelitarum, quaesitum fuit eodem anno â praelaudato R^{mo} P. Generali Ordinis Carmelitarum, an, si Album extat, in quo describuntur nomina Confratrum, sit etiam mittendum ad viciniorem Conventum Carmelitarum nomina Confratrum? ad quod dubium **praedictus Generalis de dato Romae die 7. Maji 1763 rescripsit** sequentibus verbis: Necessarium non est, ut nomina conscripta ad viciniorem nostri Ordinis Conventum transmittantur illis in locis, in quibus erecta est Confraternitas Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo, et Confratrum Album

884

habetur, bene verò in illis, in quibus neutrum reperitur. Circa aliud punctum facultatem concedo R. R. P. P. Guardianis Conventus Camnicensis pro tempore existentibus in perpetuum necdum Sacristam, sed omnes, et singulos Sacerdotes subdelegare possint, pro inscribendo, suscipiendo etc. donec in eodem Conventu permanserint. Hucusque praeaudatus Generalis.

III. Altera Confraternitas est S. Antonii Patavini, quae anno 1668. erecta fuit, et à Clemente IX. Summo Pontifice variis Indulgentiis decorata extitit, ut ex ejusdem Bulla patet sequentis tenoris:

Clemens P. P. IX.
Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus in Ecclesia domus Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia Oppidi Civitatis nuncupatae Camnicen. Aquileien. Dioecesis una pia, et devota utriusque sexûs Christifidelium Confraternitas sub invocatione S. Antonii de Padua, non tamen pro hominibus unius specialis artis canonicè erecta, seu erigenda existat, cujus Confratres, et Consorores quam plurima pietatis, et charitatis opera exercere consueverunt. Nos, ut Confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, auctoritate nobis à Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus. Si verè paenitentes, et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam, ac eisdem tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus, et Consororibus verè paenitentibus, et confessis, ac Sacra communione reffectis, qui praedictae Confraternitatis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium die festo S. Antonii de Padua à primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem Confratribus, et Consororibus verè pariter paenitentibus, et confessis, ac Sacra communione reffectis dictam Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium in quatuor aliis anni feriatis, vel non feriatis, seu Dominicis diebus per Confratres praedictae Confraternitatis semel tantum eligendis, et ab Ordinario approbandis, ut praefertur, visitantibus, et orantibus, quoties praedictorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas: quoties verò Missis, et aliis divinis Officiis, dicta Ecclesia, Capella, vel Oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis, vel recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, aut etiam, qui corpora defunctorum tam Confratrum, quam Consororum, et aliorum ad sepulturam Ecclesiasticam associaverint, vel quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, et quomodo-

cumque pro tempore deferetur, comitati fuerunt, aut si impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, et salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem, et salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum, et Consororum praedictorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reducerint, et ignorantes praecepta Dei, et ea, quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis paenitentibus in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis Confratribus, et Consororibus praemissa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsam duratura concessa fuerit, utque si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel imposterum aggregetur, seu quavis alia ratione uniatur, aut etiam quomodolibet instituatur, praesentes, et quaevis aliae litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint. Datum Romae apud Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XV. Martii MDCLXVIII. Pontificatus nostri anno primo.

JC.[†] Slusius.

Georgius Skerlichius Archidiaconus Aquiliensis Dioecesis Superioris Carnioliae. Dies in Brevi hoc Apostolico nominandae concessae pro consequendo Christi thesauro statuuntur imprimis festum S. Antonii Abbatis, festum S. Catharinae Virginis, et Martyris, quod incidit 25. Novembris, Dominicae Quinquagesimae, et Dominicae ante festum S. Laurentii Prothomartyris.

Litopoli 29. Maji 1668.

III. Tertia Confraternitas est Cordigerorum S. P. N. Francisci, de qua re vide dicta **de Conv. Labac. c. 7. §. 3. pag. 334.** Praeterea viget hic tertius Ordo S. Francisci cum magno pietatis incremento. Via quoque S. Crucis sedula piorum devotione frequentatur, quae ad majorem populi commoditatem quolibet mense semel hora prima pomeridiana in una dominica die publicè Sacerdote praeunte, et Mysteria Dominicae passionis praelegente ducitur. Praeterea quolibet Dominico, et festo die verbum Dominicum proponitur fidelibus in magna copia concurrentibus à duobus Concionatoribus, quorum unus diebus Dominicis, alter diebus festivis praedicat. Evocantur etiam saepius Conventus hujus Religiosi ad Vicinorum Parochorum subsidium. In Hospitali etiam qualibet Dominica unus Sacerdos ejusdem incolis Mysteria Catholicae fidei explicat. Fuit quoque olim consuetudo ex nostra Ecclesia educendi in die Parasceves processionem per Civitatem, pro cujus mantentione Civitas contribuebat 7. f. Anno vero 1678. cum Syndicus Conventus pro dictis 7. f. sollicitaret, Magistratus tantum 5. etiam pro futuris temporibus dandos decrevit; quia verò Syndicus etiam pro aliis 2. f. instituit, D. Laurentius Coballi p. t. iudex Civitatis praedictos 2. f. addere renuens, processionem propriis Civitatis expensis instituit. Videns autem Civitas expensas non tantum ad 7. sed ad 50. f. excrevisse, sequenti anno denuo nobis processionem obtulit, quam Patres nostri amplius suscipere noluerunt.

Caput VI.

Catalogus Fratrum (qui innotuerunt) in hoc Camniciensi Conventu piè in Domino defunctorum.

1497. Rel. Fr' Gregorius de Nördling [~~laic.~~]⁵³¹ cler.
 Rel. Fr' Casparus de Athesi cler.
 1498. VP. Bartholomaeus de Misna.
 1505. VP. Nazarius de Polonia maximae activitatis, et prudentiae.
 1508. Rel. Fr' Josephus de Labaco laic.
 1510. VP. Wolffgangus de Campoliliorum.
 1522. Rel. Fr' Valentinus de Traubenstein laic. mirè pacificus .
 1527. Rel. Fr' Bonifacius de Rudolphswert laic.
 1662. 10. Dec. Rel. Fr' Jacobus Sliver laic. ann. Rel. 13.
 1668. 7. Mart. Rel. Fr' Ludovicus Benzel laic. ann. Rel. 15.
 1704. 23. Dec. V.P. Bernardus Feitl Conc. act. ann. Rel. 25.
 1716. 18. April. MVP. Leonardus Wolff act. Guard. ann. Rel. 26.
 1721. 10. Mart. V.P. Cajetanus Sedenich ann. Rel. 23.
 21. Oct. Rel. Fr' Vincentius Lachner laic. ann. 59. Rel. 37.
 1722. 26. Jun. MVP. Antonius Plank multorum annorum utriusque Monasterii
 Münkendorffensis, et Michelstadiensis Sancti Monial. Confessarius ann.
 Rel. 40.
 1725. 9. Jan. Rel. Fr' Daniel Podmiller laic. ann. 49. Rel. 27.
 1726. 7. Mart. MVP. Norbertus Samez Conc. act. ann. 59. Rel. 29.
 1727. 2. Sept. MVP. Theodorus Sanutich Vic. et Guard. an. 40. Rel. 19.
 1728. 22. Feb. A.R.P. Ludovicus Gallenfels Con'or, lect. gener., Ex-Diff'or, Ex-
 Cust. et Prov. Pat. et anno 1711. Prov. Austriae Commiss. Visit. Gener.
 ann. Rel. 47.
 30. Jun. Rel. Fr' Probus Fochner laic. ann. 55. Rel. 31.
 1732. 2. Maji Rel. Fr' Felix Wiestner laic. ann. 70. Rel. 42.
 1733. 18. Dec. MVP. Godefridus Huppenberger Novit. Mag. saep. Vic. et Guard.
 ann. 68. Rel. 46.
 1735. 25. Aug. MVP. Ildephonsus Pomayr saep. Guard. et. act. Novit. Mag. ann.
 56. Rel. 35.
 1737. 5. Maji A.R.P. Jacobus Hoffstetter lect. Emer. bis Prov'iae Pat. Inspect.
 Pannif. ann. 58. Rel. 43.
 1740. 1. Sept. A.V.P. Fridericus Skerpin Con'or, Ex-Diff'or, et Guard. act. ann.
 59. Rel. 40.
 1741. 1. Mart. MVP. Leo Kalzhizh ann. 72. Rel. 50.
 16. Oct. Rel. Fr' Elzearius Penz laic.
 1742. 1. Jan. M.V.P. Maximinus Sibeneichner Con'or act. Nov. Mag. ann. 40. Rel.
 21.

- 8.8. Jan. Rel. Fr' Patritius Zacharia laic. an. 81. Rel. 51.
1746. 12. Maji Rel. Fr' Remigius Gabersheg cler. Theol. moral. Studens ann. 25. Rel. 2.
1747. 6. Mart. V. P. Castulus Stadler ann. 43. Rel. 24.
- 3. Jun. Rel. Fr' Leonardus Kleer laic. ann. 30. Rel. 8.
1748. 1. Jun. V.P. Andreas Schustertschitsch ann. 61. Rel. 42.
1749. 24. Apr. V.P. Maxentius Stör ann. 34. Rel. 15.
1750. 18. Jan. Rel. Fr' Canutus Näker laic. ann. 23. Rel. 1.
1751. 6. Feb. V.P. Oswaldus Schäffer ann. 40. Rel. 18.
- 13. Mart. Rel. Fr' Dominicus Schötter laic. ann. 74. Rel. 46.
- 11. Maji Rel. Fr' Leo Schilliger laic. hort. ann. 72. Rel. 42.
- 13. Aug. Rel. Fr' Fortunatus Jemiz tert. ann. 31. Rel. 6.
1752. 26. Feb. Rel. Fr' Lazarus Mayr laic. Tyrol. pict. an. 26. Rel. 4.
- 29. Apr. M.V.P. Donatus Valvasor 30. annis Sanctimon. Münkendorff. et Michelstad. Confess. ann. 69. Rel. 51.
1753. 24. Maji Rel. Fr' Joan. Capistranus Auderer laic. an. 43. Rel. 17.
- 6. Sept. V.P. Emericus Ukmayr ann. 50. Rel. 30.
- 1757 16. Mart. MVP. Christophorus Pochmayr saep. Vic. et Guard. ann. 71. Rel. 53.
1758. 1. Jan. V.P. Clarus Witniz Org. ann. 52. Rel. 33.
1759. 13. Jun. M.V.P. Silvanus Lachner saep. Guard. an. 59. Rel. 38.
1763. 7. Aug. Rel. Fr' Philibertus Ibisch laic. pannif. an. 36. Rel. 13.
- 1765 4. Mart. A.R.P. Nepomucenus Tropper Ex-Diff'or, Ex-Cust. et iterato act. Min. Prov. fuit ann. 1752. Prov. S. Ladislai in Slav. Commiss. Vis. Gen. ann. 58. Rel. 43.
1766. 6. Jul. Rel. Fr' Vicentius Pettenhauer laic. ann. 67. Rel. 43.
1770. 13. Jan. A.R.P. Vincentius Mariaschitz iterato act. Min. Prov. fuit anno 1759. Prov. Bohemiae S. Wenceslai et anno 1765. Prov. S. Ladislai in Slavonia Commiss. Visit. Gen. ann. 70. Rel. 50.
- 28. Jul. M.V.P. Isidorus Durchenwald Conc. ann. 68. Rel. 46.
1775. 8. Jun. Rel. Fr' Silvester Zapff laic. ann. 76. Rel. 50.
1776. 24. Apr. VP. Augustus Strukl ann. 29. Rel. 12.
1777. 10. Sept. A.V.P. Philippus Petteneg Ex-Diff. an. 50. Rel. 32.
1778. 14. Aug. Rel. Fr' Damianus Möhr laic. chyr. an. 68. Rel. 43.
1780. 9. Nov. MVP. Caesarius Seidl Carn. Religione, et Sacerdotio Jubil. Conc. saep. Guard. ann. 76. Rel. 58.
1782. 1. Oct. AVP. Paulinus Koratsch Con'or, lect. Th. Ex-Def'or Carn. ann. 68. Rel. 51.
1783. 29. Jan. Rel. Fr' Anicetus Selkovich laic. Croat. an. 52. R. 27.
1784. 1. Mart. MVP. Caelestinus Hriber Conc. lect. G'lis, Carn. Lab. a. 60. R. 41.
- 14. Aug. MVP. Casparus Rubida Con'r lect. Carn. Eisn. saep. Vicar. ac Guard. multis an. Conf. Sanctim. Münk. an. 65. R. 48.

1785. 8. Apr. AVG. Florianus Tschokl Con'or, lect. Thlg. Styr. Sibbic. ter Ex-Def'or, ac an. 1764. Com. Vis. Gnl. Prov. Austr. an. 70. Rel. 54.
- 28. Oct. AVP. Waychardus Posarelli Carn. plur. ann. Nov. Mag. Vic. Guard. et Def'or, ac Sanctim. Conf. an. 79. Rel. 61.
- 1786.⁵³² 26. Mart. Rel. F. Henricus Widmann Bavar. laic. Pannifex vir solidae Religiositatis, cultorque Dominicae Passionis eximius. ann. 73. Rel. 48.
1786. 18. Jun. RP. Emericus Zorn Carn. Lab. Org. Mag. Nov. quondam terrae Sanctae incola an. 83. Rel. 66.

Caput VII.
**Elenchus Patrum Guardianorum (quorum
notitia haberi potuit) Conventus Camnicensis.**

- M.V.P. Benedictus Mauritsch 1632.
M.V.P. Georgius Gulin, seu Ugulinus 1639.
A.V.P. Fabianus Widmer Diff'or act. 1640. 1641. 1642.
A.V.P. Petrus Seidetti Ex-Diff'or 1643. 1644. 1645.
M.V.P. Bartholomaeus Zulliani 1646.
A.V.P. Fabianus Widner Ex-Diff'or 1647. 1648. 1649.
A.R.P. Leo Magliavaz bis Provi'ae Pat. 1650.
M.V.P. Antonius Posarelli 1651. 1652. 1653. 1654.
M.V.P. Gregorius Jurgulinchich 1655.
A.V.P. Antonius Posarelli Ex-Diff'or 1656. 1657.
A.V.P. Gregorius Jurgulinchich 1658.
M.V.P. Constantinus Percopiz 1659. 1660. 1661.
A.V.P. Gregorius Jurgulinchich Ex-Diff'or 1662. 1663.
M.V.P. Capistranus Ozepick Con'or 1664. 1665.
M.V.P. Zacharias Textorius Con'or Gener. 1666.
M.V.P. Capistranus Ozepick Con'or 1667.
M.V.P. Paulus Langer Con'or gen. lect. Theol. Prov. Secret. 1668. 1669.
M.V.P. Vitalis Majeritsch 1670. 1671. 1672.
M.V.P. Alexander Schuebl Con'or Gener. 1673.
M.V.P. Bartholomaeus Zulliani Con'or, lect. gener. 1674.
A.V.P. Laurentius Thomassich Con'or. Ex-Diff'or 1675.
M.V.P. Vitalis Majeritsch 1676.
M.V.P. Ludovicus â Premb lect. gener. 1677.
M.V.P. Gabriel Scheffertnig Con'or, et lect. 1678. 1679. 1680.
M.V.P. Franciscus Kimerle Con'or 1681.
M.V.P. Ambrosius Jambschig 1682. 1683.
M.V.P. Eugenius Weilhan lect. 1684. 1685. 1686. 1687.
M.V.P. Franciscus Kimerle elect. 6. Maji 1688.
A.V.P. Paulus Surian Con'or gener. Ex-Diff'or el. 25. Aug. 1688.
M.V.P. Vitus Juriavitsch Con'or, et lect. 1689. 1690.
M.V.P. Franciscus Kimerle Con'or 1691. 1692. 1693.
M.V.P. Antonius Plank Con'or elect. 26. Nov. 1693. 1694.
A.V.P. Augustinus Decleva Con'or, Ex-Diff'or 1695.
M.V.P. Nazarius Vidrich 1696.
A.V.P. Zacharias Battich Con'or, Ex-Diff'or 1697.
M.V.P. Antonius Planck Con'or 1698.
M.V.P. Fridericus Codelli 1699.
M.V.P. Victorinus Zegnar 1700. 1701.

M.V.P. Antonius Plank Con'or 1702. 1703. 1704.
 M.V.P. Leonardus Wolff 1705. 1706. 1707.
 M.V.P. Godefridus Huppenberger Con'or 1708.
 M.V.P. Leonardus Wolff 1709. 1710. 1711.
 M.V.P. Antonius Possel Con'or, lect. Theologus 1712. 1713.
 M.V.P. Leonardus Wolff 1714. 1715.
 M.V.P. Godefridus Huppenberger Con'or 1716. 1717. 1718.
 M.V.P. Bernardus Schein Con'or, lect. gener. 1719.
 A.R.P. Ludovicus Gallenfels Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or. Ex-Cust. Prov'iae Pat.
 1720. 1721. 1722.
 M.V.P. Godefridus Huppenberger Con'or 1723. 1724. 1725.
 M.V.P. Cyriacus Spreizer Con'or 1726. 1727.
 M.V.P. Donatus Valvasor Conf. Sanctim. 1728.
 M.V.P. Cyriacus Spreizer Con'or 1729.
 A.V.P. Sigismundus Babel Con'or, lect. Ex-Diff'or 1730.
 M.V.P. Fridericus Skerpin Con'or 1731. 1732. 1733.
 M.V.P. Florentius Pober Con'or 1734. 1735.
 M.V.P. Felicianus Brattusch Con'or 1736. 1737. 1738.
 A.V.P. Fridericus Skerpin Con'or, Ex-Diff'or 1739. 1740.
 M.V.P. Felicianus Brattusch Con'or 1741.
 M.V.P. Florentius Pober Con'or 1742. 1743. 1744.
 M.V.P. Maximilianus Clevisher Con'or 1745. 1746. 1747.
 M.V.P. Benedictus Schiffrer Con'or 1748.
 M.V.P. Paulinus Koratsch Con'or, lect. Theologus 1749. 1750. 1751.
 M.V.P. Florianus Tschokl Con'or, lect. Theologus 1752. 1753. 1754.
 M.V.P. Paulinus Koratsch Con'or, lect. Theologus 1755. 1756.
 A.V.P. Bonavita Dietrich Con'or, Ss. Theologiae lect. 1757. 1758. 1759.
 M.V.P. Eugenius Laver Con'or 1760. 1761. 1762.
 M.V.P. Simeon Purger Con'or, lect. gener. 1763. 1764. 1765.
 M.V.P. Jacobus Wocalitsch Con'or 1766. 1767. 1768.
 M.V.P. Ludovicus Buset Con'or, lect. generalis 1769. 1770.
 A.V.P. Florianus Tschokl Con'or, lect. Theol. Ex-Diff'or 1771. 1772. 1773.
 M.V.P. Joannes Nepomucenus Wallensperg Con'or, lect. Theologus 1774.
 A.V.P. Philippus Petteneg Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or 1775. 1776.
 M.V.P. Chrysostomus Pogatschnig Con'or 1777.

890a

- M.V.P. Cosmas Geislmann Con'or, lect. gener. 1778. 1779. 1780.
MVP. Casparus Rubida Con'or, lect. 1781. 1782. 1783.
MVP. Remigius Baschnig Con'or 1784. 1785.
ARP. Ambrosius Koratsch 1786.
A.R.P.⁵³³ Abundus Pilpach Df'tor 1787. 1788. 1789. 1790. 1791. 1792.
M.R.P. Zachaeus Rappe Lect. Th'giae 1793. 1794. 1795.
A.R.P. Abundus Pilpach 1796. 1797. 1798. 1799. 1800. 1801. 1802.
A.R.P. Victor Bratusch Df'tor 1803.
M.V.P. Nereus Floriantschitsch 1804. 1805. 1806. 1807. 1808. 1809.
M.V.P. Alexander Schrag 1810. 1811. 1812. 1813.
A.R.P. Vincentius Panze Lect. Df'tr 1814. 1815. 1816.
M.R.P.⁵³⁴ Claudius Meditsch Con'or 1817
M.R.P. Philippus Marouth Con'or 1818. 1819. 1820. [P. Philippus ornavit ecclesiam Camnicensem restaurato Organo, quod per incendium fuerat destrutum: item paramentis pluribus festivis, quibus destituebatur, ac adparatu solemni col. albi.]⁵³⁵
M.R.P. Constantinus Walland Con'or 1821. 1822 (infra) 1823. Hujus solertia in acceptis refert Conventus Campanas 3 novas 25. Ctt. item Aras 4 laterales novas. Item lectus fuit sub eodem ad Aerarii expensas Conventus totus cum Ecclesia imbricibus Anno 1824. Arae omnes coloribus tinctae, ac deauratae.
1821.⁵³⁶ M.R.P. Constantinus Walland 1822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. –
Anno. 1832 A.R.P. Jacobus Marentsichitsch, schol. Director 833. 834. 835. 836. 837. 838. –
~ 1838. M.R.P. Coelestinus Novak, Director, 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. –
~ 1847. M.R.P. Raymundus Marenčič, Director, 1848. 1849. 1850. 851. 852. 853. usque ad Capitulum.
~ 1853. M.R.P. Gotthardus Spende, Catech. 854. 855. 856. 857. 858. 859. die 24. Junii mortuus
~ 1859. M.R.P. Generosus Marschal 1860. 861. 862. –
~ 1862. M.R.P. Joachimus Nastran, Coop. emer. 1863. –
~ 1863. M.R.P. Ferdinandus Götzl, Catech. 864. 865. 866. 867. eo mortuo, P. Theodorus praesidens. –
~ 1868. M.R.P. Rudolphus Dolinšek, Dir. 869. 870. 871. –
~ 1871. M.R.P. Godefridus Hlebec, Dir. 872. 873. 874. 875.
~ 1875 R. P. Ehrenfridus Zupet, Mag. schol. 876. 877. 878. 879.

Sigillum⁵³⁷

Conventus Camnicensis praesefert imaginem S. Jacobi Majoris cum baculo, et cucurbita â latere more peregrinorum, et Sanctorum Francisci Seraphici in manu

tenentis Crucem cum haec inscriptione: SIGIL. CONVENT. CAMNIC. ORD. S.
FRANC. REFORM.

20. Sept. 1779.

VII. CONVENTUS ad S. LEONARDUM in Sylvis In Regno Croatiae.

Caput I. De regno Croatiae.

I. Croatarum nomen, alii â Carnis, ut **D. Joan. Christoph. de Jordan de Orig. Slav. c. 12. §. 9. fol. 40.** derivant, ubi sic habet: *Croatarum nomen Slavicè Charvat derivatur â Carnis, in quorum Provinciam Slavi â Constantino M. suscipiebantur, et terminatio Vat. addita est ex Slavico idiomate, Charvati igitur se nominarunt Slavi, quod ejusdem terrae cum Carnis, et ejusdem nexus erga Romanum Imperium fuerint incolae.* Alii, ut **Joannes Sulpitius** nomen Croatarum â *Curete*, et *Chrobysi* derivant; ait enim: *Illi, qui olim Curetes, vel Chrobysi dicebantur, paululum immutata voce, ut fieri assolet postea Chrobati, et Croati appellati sunt.* Croatia, seu Regnum Croatarum olim extendebatur â Flumine Dravo usque ad mare Dalmaticum, dividebaturque inter tres partes: Prima nuncupabatur Croatia *Savia*, sive *Interamnensis* dicta inter flumina Dravum, Savum, et Danubium, quae nunc Sclavonia dicitur: secunda inter fluvios Savum, et Bosnam, et inter montes Bebiun, et Albiun, quae Croatiae nomen retinet. Tertia *maritima* inter Montes praedictos, et mare Adriaticum, quae nunc in Dalmatia includitur. Ita **Michael Baudrand in lexic. geogr. Antonii Ferrarii tom. 1. pag. 227.** Sclavonia, et Croatia erat olim nomen aequivocum, totamque Regionem, quam Sclavonia, et Croatia comprehendit, modo Slavoniam, modo Croatiam appellarunt, ut testatur **Bombardius Topogr. Hung. part. 3. c. 3. n. 1.** ita disserens: *Slavonia post Slavorum, â quibus nomen accepit, adventum, quidquid Dravo fluvio, marique Adriatico includitur, complectebatur, nimirum Slavoniam proprie dictam, Croatiam hodiernam cum parte Dalmatiae.* Et post paucas lineas: *Itaque Slavoniae, et Croatiae nomen olim aequivocum fuit: unde nec mirum, quod nonnullis Scriptoribus ansam confusionis praeberit, ut hujusmodi vocabulis pro libitu uterentur, iisque modo certam terrarum portionem, modo plures Provincias designarent.* Idem testatur **Lucius lib. 6. c. 1.** dicens: *Nomen Slavoniae aequivocum cum Croatia fuisse reperitur.* Imo successu temporis *Slavoniae* Nomenclaturam obolitam fuisse conjecturatur **ex Chorographia Hung. A. C. 1734 Tyrnaviae edita**, in qua de hoc **pag. 46.** haec leguntur: *Denique inusitatum antiquis Regibus Hungariae nomen Regis Slavoniae â Mathia primum Corvino Regis titulis*

appositum esse novissime legimus.

II.⁵³⁸ Moderna, et propriè dicta *Croatia* hodie magis constringitur, â meridie enim pro termino habet Dalmatiam hungaricam, et Morlachiam, ad occasum â Carniolia per fluvium *Zhebranka* vulgò dictum secernitur, hic fluvius post trium horarum spatium in Colapim non procul ab ejusdem scaturigine sese exonerat. Dein praedictus fluvius Colapis vulgo *Kulp* dictus pro termino servit nonnihil ultra *Metlicam*. Dein statuuntur Confines Carnioliae, et Croatiae per Montes usque ad amnem *Bergana* penes Mokrizium, donec se Savo non conjungit. Septentrionem versus per Savum fluvium â propriè dicta Sclavonia dividitur. Ab Oriente habet Bosniam, quam â Croatia fluvius *Unna*, neutiquam *Verbas* secernit, ùt jam **part. 1. c. 1. §. 2. n. 2. pag. 3** insinuavi, etenim si fluvius *Verbas* Bosniam â Croatia divideret, tunc et *Jaicza* fortalitium, et olim Bosniae Metropolis, et *Banialuca*, prius Bosniae *Bassarum* Sedes intra fines Croatiae concluderentur, ut cuilibet **Geographos** consulenti patet, quod tamen nullus **historicorum** hucusque [...] ⁵³⁹ asserere ausus erat.

III. Croatae, postquam cum natione Slavica circa annum Christi 220. **juxta P. Josephum Bedekovich de Nat. solo S. Hier. part. 1. c. 43. n. 17. pag. 170.** vel circa A. C. 334. **juxta Christ. de Jordan de Orig. Slav. part. 1. c. 22. §. 1. fol. 140.** in Illyricum ex Dacia antiqua transdannubiana, intrâssent, subinde Ducibus propriis, et Regibus parebant, dein Imperio Francico colla submiserunt, ut praedictus **Bedekovich loc. cit.** apertè asserit his verbis: *Sub initium adepti supradicti (Illyrici) districtus Croatas Ducibus suae nationis paruisse ex pluribus historicis constat, sed cum â Francis devicti fuissent, jugumque eorum post modicum temporis intervallum excussissent, suo aliquantulum jure vixerunt, ast denuo â Carolo M. septennali bello subjugati Christianique effecti, domesticos iterum Duces, ut feudatarios habere permissi sunt, quorum Ordine octavus Dircislaus nomine Regium sibi titulum assumpsit, propriisque exinde Regibus paruerunt usque ad ... Zuonimirum Regem Croatiae, aequae ac Dalmatiae ultimum, cujus ab obitu Sacrae itidem Hungarorum Coronae gloriam adauxerunt.*

IV. Cl. **D. de Jordan part. 1. c. 22. §. 23. 24. et. 25. fol. 151.** Croatas non â Francis victos, et subjugatos, sed sponte sub protectionem Francici Imperii, ut Hunnorum in se irruentium vim retunderent, confugisse, commemorat, hujus rei seriem sequentibus verbis enarrat: *A. C. 659. per 35. annos, quibus Samo Rex Croatis praefuit, omnia prosperè cedebant, et gens sui juris in libertate manebat, quo mortuo Croatae sub Belliducibus vivere desiderabant. Quia verò Hunni ultima hac vice circa annum 744. in Croatas irruerunt multitudine magna nimis, crearunt denique Regem Boruth nomine, quoniam verò se impares tantis Hunnorum viribus resistendi sentiebant, ad protectionem Francici Imperii confugerunt. Anno 750. mortuo Borutho Croatis per jussionem Francorum ejus filius Caratius in Successorem*

deligitur 754. et post hunc anno 774. Chetamarus uterque jam Christianus, sub quibus Regibus fides Christiana Croatis illuxit. Dein successit Walinch. Croatae Regibus Franciae Austrasiae exhinc usque ad interitum stirpis Carolingicae obediētes erant.

V. P. Franciscus Wagner quondam Soc. Jes. histor. Prof. in suo Mense **Chronologico** initium Regum Dalmatiae, qui et Croatiae imperarunt, reponit ad A. C. 545. eorumque seriem perduxit usque ad *Zuonimirum* ultimum Dalmatiae Regem. Primumque Regem statuit *Strogilum*, seu *Stroilum* fratrem *Totilae*, qui à Justiniano Caesare proelio in Dalmatia victus perimitur circa annum 541. 2^{tus} fuit *Suejodadus* frater Strogili sola Christianorum persecutione clarus moritur anno 559. 3^{tus} *Selymirus* Patri dissimilis, Princeps mansuetissimus, aequae Christianis ac suis gentilibus favit mor. an 590. 4^{tus} *Bladinus*, seu *Mladinus* paternarum virtutum ex asse haeres mor. circa annum 631. 5^{tus} *Razimirus* ab avita humanitate penitus degener, et alter in suo Regno Christianorum Nero; sine liberis moritur circa an. 634. Hunc sequuntur quatuor Anonymi ex Razimiri stirpe. 10^{mus} *Sadimirus* princeps vel inter bonos optimus, Christianos tyrannorum metu in nemora profugos benevolè collegit, pristinisque sedibus restituit, moritur circa an. 641. Post *Sadimirum* lacerato jam Romano Imperio, Avars populi Dalmatiam, Croatiamque, deletis ubique Romanorum praesidiis, occupant. Illyrii ad Heraclium juniorem Imperatorem confugiunt, quo suadente arma ducem *Porgam* secuti, corripunt, hostemque patrio solo depellunt, rebus dein suis compositis, è popularibus suis Reges Dalmatiae, et Croatiae titulis ornandos deligere incipiunt.

VI. Primus Christianus Rex fuit *Budimirus*, doctus, et pius Princeps, cum purpura fidem Catholicam opera Constantii Tessalonicensis suscipit. Regnum totum in varias Dynastias secernit, iisque tribunos idiomate patrio dictos *Bojanos* praeficit, hinc *Banorum* nomen originem duxit. mor. an. 681. hunc sequitur *Sueticus* paternarum virtutum haeres, et aemulus mor. an. 703. *Uladislaus* et corpore, et animo fortis, sed vita, et moribus Patri, Avoque dissimilis, mor. circa ann. 709. *Polislaus* juvenis fortis Patri sufficitur, et sine masculino haerede mor. circa an. 726. *Sebeslaus* Polislai ex filia nepos avo succedit, relictis duobus filiis *Milivojo*, et *Bladimiro* mor. circa ann. 750. *Milivojus*, et *Bladimirus* partito inter se regno, tranquille imperant, sed illo post annos 12. vita sine haerede functo, in Bladimirum natu minorem omnia devolvuntur, qui tandem et ipse moritur circa an. 770. *Canimirus* divisa nuper à Patre, et patruo regna conjunxit, praecedentium quoque Regum potentiam opibus aequavit, sed morum ejus asperitatem Croatae non ferentes, ad arma convolarunt, hos dum bello Rex persequitur, ab iisdem proelio victus occubuit circa an. 781. Post Canimirum quatuor Reges nempe *Tuerdislaus*, *Ostrivojus*, *Toly-mirus*, aliis *Zolymirus*, et *Pribislaus* alter alteri succedentes, annis 40. regnarunt. *Pribislaus* à Mysiis occisus fuit circ. an. 821. *Copimirus* paternae caedis Authores è medio sustulit: Germanorum Istriam populantium, proelio victor occubuit circa annum 846.

Suetoslaus Princeps mansuetus, et comes mor. circa annum 859. *Radoslaus* Parens optimus pessimi filii *Seislai*, à quo regno exutus, Romam proficiscitur, mortuo filio regnum suum repetit in eoque moritur anno 875. *Seislaus* ex sceleribus omnibus conflatum monstrum, vivo adhuc Patre solium prensat. Crudelis in subditos, Sacerorum contemptor, hinc palam tyrannus, et apostata dictus Vidum inter Pannonios Principem opibus, et autoritate potentem inter venandum crudeliter enecat. Sed tantis flagitiis faemina modum posuit. Vidi enim uxor, supra sexum fortis, *Seislaum* rursus venantem, paulo post adoritur, vinculis onerat, naso auribusque truncat: contumeliis, et convitiis vulgi exponit, ac tandem toto Savi flumine scelus absorberi praecipit, ut aquis praefocaretur. Anno 870.

VII. Reliquerat quidem *Radoslaus* adhuc alium filium *Colomanum* nomine, sed ne Patri succederet, obstiterunt Procerum discordiae, et Regni status. Unde *Branimirus* omnium consensu Rex acclamatus. Regias ejus virtutes **Joannes VIII. Summus Pontifex in datis ad illum Apostolicis litteris** fusè commendat mor. an. 900. *Gostumilus* Princeps insignis, sed unici filii *B. Ivani* Bohemicae eremi incolae genitor, mor. an. 912. ab ejus morte rebus undique perturbatis *Sudomirus* Dalmatiae, et Croatiae Banus regnum invadit, annisque duobus titulo Regis moderatur, quem sine prole mascula vita functum interregnum annorum 51. consequitur. Tandem *Cresimirus Major* Principis *Terpimiri* filius, et *Sudomiri* gener, singulari in Deum religione, ac pacis studio conspicuus à Proceribus eligitur, moriturque anno 994. *Dircislaus* cum *Cresimiro* fratre natu majore de regno contendit, eique jura primogeniti eripit mor. sine liberis ann. 1000. *Cresimirus II.* frater *Dircislai*, eo mortuo, factionibus divisa regna conjungit. *Stephanus* *Cresimiri* filius apud Venetos obses mor. ann. 1052. *Cresimirus III.* *Stephani* filius mor. anno 1073. *Slavix* vel *Slavizo* regnum diversis Banorum factionibus perturbatum adit, quo turbine, et ipse intra breve tempus à Comite *Amico* captus, involvitur circa annum 1074. *Zuonimirus* vocatus *Demetrius* anno 1075. millenis adhuc turbis inquietum regnum obtinuit. Singularis in eo sedis Apostolicae observantia, studium pacis, aliaeque Regiae virtutes illuxère. Uxorem habuit *S. Ladislai* Hungariae Regis filiam. decedens sine liberis Reginam haeredem instituit anno 1082. Quae tandem et ipsa moriens fratrem *Ladislaum* Regnorum suorum haeredem instituit anno 1091. atque ita Dalmatiae, et Croatiae Regna ad Hungariae coronam venère.

VIII. Ex dictis vides, **Franciscum Wagner in suo Mense Chronologico** de Regibus Croatiae non convenire cum **Cl. D. de Jordan**, hic enim *Samonem*, *Boruthum*, *Caratium*, *Chetemarum* etc. Regibus Croatiae adnumerat, de quibus **P. Wagner** nullam mentionem facit. Dicendum proinde, salvo meliori judicio, quod primaria intentio **P. Wagner** fuerit seriem Regum Dalmatiae texere, et per accedens tantum Croatiae, in quantum Croatia Dalmatiae unita fuit. Quia autem Croatia etiam sui juris, et independens à Regibus Dalmatiae erat, propriisque subin Regibus parebat, non est mirum, si **D. de Jordan** etiam alios, et diversos à relatione **P. Wagner** Croatiae Reges nominat. Croatia nunc dividitur in Banatum, et Genera-

latum, Croatia cis Colapiana Dalmatiam versus Generalatui Carlostadiensi subjecta est, ac militares leges audit, Croatia trans-Colapiana Banis Croatiae paret.

IX. Inter Croatiae propriè dictae loca, Carlostadium Civitas, et fortalitium caeteris eminet. Croatae lingua loquuntur Slavica et Illyrica in nonnullis terminis tantum discrepante. Croatarum gens bellicosissima est, quae ad nullum hostium assultum trepidare solet, sed in maximis vitae periculis immobilis persistit, in mediumque hostium, si necessitas exigit, ruere non formidant. Si verò spes alicujus capiundae affulget praedae, leonibus ferociores evadunt, nec facile à suis Officialibus in Officio contineri valent. Croatae in Generalatu in pluribus locis Valachis Schismaticis graecae fidei permixti vivunt, sunt tamen in aliquibus locis, ut Sichelburgi, Valachi Romanae Ecclesiae uniti, caeteroquin quoad accidentalalia, et Caeremonias externas, puta jejunia etc. in suo antiquo ritu permanentes. [...] ⁵⁴⁰

Caput II.

De apparitione S. Leonardi, ac de aedificatione, et reaedificatione Conventus.

I. Origo Ecclesiae S. Leonardi mirabilis fuit, ac Divina jussione indicata; contigit namque circa annum 1531. ut Ill^{mus} D. Petrus Comes Erdoedy de Monyorokerek Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae Banus sese intra montes *Plissiviza*, et *Osterz* venando oblectaret, dumque peracta venatione circa tempus *Ave Mariae* Jaskam ad suum dominium aequitaret, vidit quamdam petram totam inflammata, proseguendo suum iter menteolvebat, quid hic insolitus splendor (non enim naturalem agnoscebat) indicaret, proinde Deum exorabat, ut sibi suam voluntatem patefaceret. Sequenti die circa tempus Aurorae apparuit ei S. Leonardus dicens ad eum Dei voluntatem esse, ut in loco, in quo praecedenti nocte illum Caelestem splendorem conspexerat, in sui honorem Ecclesiam aedificaret. Cujus monito obtemperans piissimus Comes quamdam Capellam mox aedificari fecit in honorem S. Leonardi penes praedictam petram, cujus partem muris Capellae intercepit. In hujus apparitionis memoriam posita est in muro Ecclesiae **quaedam petra polita**, cui **haec inscriptio incisa** legitur:

Comes Petrus Erdoedy de Monyorokerek existens
in venatione, apparuit ei Sanctus Leonardus in magno splendore supra hanc petram, eumque adhortatus est, ut ad honorem ipsius aedificet Ecclesiam, et petat gratias MDXXXI. ⁵⁴¹

II. Ut autem devotio erga hunc Sanctum indies majora sumeret incrementa, majorique veneratione celebraretur, praedictus Comes Capellam Fratribus Minoribus Provinciae Bosnae Croatiae donavit, ac penes Capellam Conventum 13. aut 14.

Cellarum pro singulari, quâ in beatum Seraphicum Patrem Franciscum, ejusque religionem ferebatur, devotione propriis sumptibus pro iisdem aedificari, et construi curavit anno eodem 1531. eosque tum ad victum, cum vestitum, necessariis benignè providit, ut *ex ejusdem litteris, quae in Originali etiamnum prostant*, deducitur, quae hujus sunt tenoris:

Nos Petrus Erdoedy de Monyorokerek Comes Comitatus Castri ferrei etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes, qualiter nos matura deliberatione considerantes, vitam hominis fore brevissimam, et juxta dictum Salvatoris: ea hominem metere, quae seminavit. Nos itaque cum intuitu contemplationum Omnipotentis Dei, tum etiam ob devotionem, quam erga olim Christi Confessorem beatum Franciscum, et ejus Religionem ab ineunte aetate semper habuimus singularem, in Dominio nostro *Okych, et Jastrebarszka* $\vdash$ [...] ⁵⁴² juxta quandam Capellam in honorem S. Leonardi Confessoris constructam, ad nostramque collationem spectantem, et pertinentem, unum Monasterium Fratribus Provinciae Bosnae regularis Observantiae Ordinis beati Francisci, nostris propriis sumptibus, et expensis construere, et aedificare, ipsosque Fratres ibidem decrevimus intronizare ad laudem, et gloriam Dei Omnipotentis, Ejusque Genitricis, et praefati olim Confessoris beati Francisci, et divi Leonardi, ut ipsi Fratres pro expiatione nostrorum peccatorum, et praedecessorum nostrorum, ac felici statu ac fausta conservatione Conthoralis nostrae charissimae, et liberorum nostrorum Dominum ferventius orare sint obligati, dictam Capellam ad nostram collationem jure patronatus spectantem, et pertinentem, eisdem Fratribus per praesentes donamus, et conferimus, ac ibidem claustrum construere, et aedificare, et eosdem Fratres intronizare, nec non pro eorum victu, et vestitu singulis annis, pro emendo panno, et oleo in paratis pecuniis sedecim florenos, et sex porcos bonos, et de nostra propria agricultura frumenti singuli generis tritici, millii, hordei, siliginis, et avenae, ac vini instar aliorum dominiorum regni Croatiae promittimus justas decimas administrari facere. Ad quod faciendum nostros haeredes praesentes, et futuros volumus esse obligatos. In cujus rei fidem, et memoriam, firmitatemque perpetuam per praesentes ipsis Fratribus duximus dandas, et roborandas.

Datum in Castro nostro Monorlo feria secunda proxima post festum beatae Catharinae Virginis, et Martyris Anno Domini 1531.

(L. S.)

Petrus Erdoedy

III. *Ex* mox adductis *litteris* patet, quod Capella S. Leonardi in loco apparitionis mense Novembri anno 1531. jam fuerit aedificata, quia *in Instrumento* expressè dicitur: *Capellam ad nostram collationem jure patronatus spectantem, et pertinentem eisdem Fratribus per praesentes donamus, et conferimus.* Conventus verò initia reponenda sunt ad annum sequentem nempe 1532. quia praedictum *instrumentum* exaratum in mense Novembri (ubi ob hyemem aedificium inchoari

haud potuit) loquitur de futura aedificatione; non de praeterita, ut clare patet ex illis verbis: *juxta Capellam ... unum Monasterium Fratribus Provinciae Bosnae Regularis Observantiae Ordinis beati Francisci, nostrisque propriis sumptibus, et expensis construere, et aedificare, ipsosque Fratres ibidem decrevimus intronizare*. Patet praeterea **ex praedictis litteris**, quod primaeva fundatio sita fuerit in 16. f. hungaricalibus, sex porcis, et in decimis omnis frumenti generis, ac vini, quae praelaudatus Comes ex fundis propriae agriculturae percipiebat, quae eleemosyna postmodum ab ejus successoribus ad certam quantitatem, ut Cap. sequi videbitur, reducta fuit. Cum igitur Conventus hic non tantum ab Inclyta Familia Erdoediana aedificatus, sed etiam pluribus eleemosynis dotatus fuerit, merito Conventus Illustrissimam hanc Familiam pro suo fundatore agnoscit, et veneratur.

IV. Primitus fuit Capella S. Leonardi separata à Conventu, nam Conventus erat nonnihil in loco eminentiori positus, habuitque suam particularem Ecclesiam parvulam, in qua Fratres Divina Officia peragebant, licet etiam in Capella S. Leonardi quotidie aliquae Missae celebrarentur. Cum verò successu temporis tam Conventus, quam Ecclesia S. Leonardi ruinam minarentur, A. R. P. Sigismundus Skerpin actualis Minister Provincialis anno 1733. et Conventum, et Ecclesiam quasi è fundamentis aedificare coepit, ita, ut Capellam S. Leonardi versus Conventum extendere, Conventumque cum Ecclesia conjungeret, ex Conventu novus tractus factus est cum quatuor cellis, per quem ad Chorum, et Sacristiam descenditur. Ab ultima Cella novi ambitus descenditur ad Chorum per 18. gradus, et à Choro usque Sacristiam per gradus viginti, sicque totus descensus ex Conventu est 38. graduum. Ex Capella, seu Ecclesia Conventuali facta est Capella domestica pro infirmis, et ex Choro duo cubicula Conventus hic est quadriangularis, fornice una cum Cellis instructus, distat Samaborino, et Jaska uno milliari, Zagrabia tribus milliariibus. Situs est intra duos Montes *Plissiviza*, et *Osterz*, habet Cellas Religiosorum una cum Arcularia, et alio adjacente cubiculo 21. In hoc Conventu communiter habitant 18. aut 19. Religiosi.

Caput III.

De variis foundationibus huic Conventui factis.

§. I.

De Fundatione ab Inclyta familia Erdoediana pro hoc Conventu facta.

I. **Ex Instrumento fundatoris Petri Erdoedy de Monyorokerek cap. praec. n. 2. adducto** patet, quod praelaudatus Comes pro victu et sustentatione Fratrum Minorum S. Leonardi legaverit, et fundaverit 16. f. et 6. S. V. porcos, ac justas omnis generis frumenti propriae agriculturae decimas. Quia verò successu temporis bona

praedicta inter duos nepotes Thomam, et Petrum juniorem divisa erant, ita ut uni Jaska, alteri Kereztinacz remaneret, etiam onus factae ab Avo eorum foundationis divisum fuit, ita ut cuilibet media pars foundationis praestanda incumberet. Cum autem Familia Erdoediana adhuc magis multiplicaretur, ita ut subin ad unum tantum medietas quartae partis praefatae foundationis venerit danda, hinc fuit anno Domini 1707. in Arce Sellin per Dominum Comitem Joannem Pallffy Banum Croatiae, Slavoniae, et Dalmatiae, sequens, quae in Originali prostat, compositio facta:

Nos Comes Joannes Pallffy ab Erdödy Comitatus Poseniensis perpetuus Comes, Sacrae Caesareae, Regiaeque Majestatis intimus Consiliarius, Camerarius, Generalis Campi Mareschallus, Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae Banus, ejusdemque Regni Slavoniae Confiniorum Collapianorum, et Unanorum Supremus Capitaneus, unius regiminis cathafractorum Colonellus, damus pro memoria, quod generosus Magister Georgius Plemich de Ottok Altefatae Suae Majestatis Sacratissimae Consiliarius, et praefatorum Regnorum Prothonotarius nobis sub juramento Officii sui retulerit tali modo, qualiter in anno Domini Millesimo Septingentesimo Septimo nunc labenti, die verò decimâ nonâ mensis Julii in arce Sellin, Comitatuque Zagrabiensi existen. habit. Excellentissimus, et Illustrissimi Domini Comites Georgius Senior Erdoedy de Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus Varasdiensis Supremus, ac perpetuus Comes, Sacrae Caesareae, Regiaeque Majestatis intimus Consiliarius, Camerarius, Judex Curiae Regiae: Alexander item Erdoedy de praefata Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus Varasdiensis perpetuus, Castri ferrei verò Supremus Comes altetitulae Suae Majestatis Sacratissimae Consiliarius, Camerarius, et Praesidii, Confiniique Petrinensis Supremus Capitaneus: Georgius item Junior Erdoedy, uti etiam Plenipotentarius Illustrissimorum, et Reverendissimi Dominorum Comitum Adami Episcopi Nitriensis, locique ejusdem, et Comitatus Supremi Comitum, Summefatae Suae Majestatis Sacratissimae Consilarii, Inclytae Cancellariae Hungaricae primarii Assistantis, Emerici, et Josephi Erdoedy Fratrum suorum carnalium, et uterinorum: ac Gabriel Erdoedy Praepositus B. V. Mariae Albei, et Canonicus Jaurinensis frater carnalis pariter, et uterinus mentionatorum Dominorum Comitum Georgii, Adami, Emerici, et Josephi Erdoedy coram eodem Prothonotario personaliter constituti assumptis in se more legali, et juridico, et Georgius junior quidem suo, suorumque Dominorum Comitum Fratrum veluti plenipotentarius nomine, oneribus, et quibusvis gravaminibus, universorum haeredum, fratrum, sororum, affinium, proximorum, et consanguineorum suorum, ac aliorum quorumvis, quos videlicet infrascriptum tangit, et concernit, seu tangere, et concernere posset negotium, quomodolibet etiam in futurum, in se ipsos, et antelatus quidem Dominus Comes Georgius Junior Erdoedy modofatorum Dominorum Comitum Adami, Emerici, et Josephi fratrum suorum per omnia assumptis, et levatis sponte, et benevolè vivarum vocum suarum proloquiis fassi sint, et retulerunt eo modo. Quod siquidem Illustrissimus olim Dominus Comes Petrus Senior Erdoedy de praefata Monyorokerek Montis Claudii perpetuus Comes etc. pro sustentatione Patrum Franciscanorum Conventus S. Leonardi

in Silvis pertinen. Arcis Jaszka, et Comitatu Zagrabiensi existen. fundati piè ordinâsset, et legâsset, imo in perpetuum fundâsset, ut ex bonis Jaszka, et Keresztinecz annuatim futuris temporibus eidem Conventui praestentur in parato aere floreni hungaricales sedecim, sex Majales boni, deinde decimae fructuum praescriptorum bonorum, quas postmodum decimas praefato Conventui ita ordinatas Illustrissimi **condam**⁵⁴³ Domini Comites Thomas, et Petrus junior Erdoedy (tit.) mutarunt in infrascriptum in natura annuatim praestandum quantum, et imprimis ex bonis Jaszkensibus tritici modios viginti quatuor, milii, sive siliginis modios viginti quatuor, vini cubulos duodecim, tres bonos Majales, in pecunia florenos hungaricales octo, totidem per omnia ex bonis Keresztinecz eidem Conventui S. Leonardi de frumento, pecunia, vino, et majalibus ordinanda, et obliganda. Unde memorati quoque Domini Comites fatentes pium suum erga mentionatum Conventum remonstrare cupientes, zelum praefatus quidem Dominus Excellentissimus, et Illustrissimus Dominus Comes Judex Curiae Regiae, cum suis Dominis Comitibus fratruelibus ratam praemissorum victualium, et pecuniae medietatem: Illustrissimus autem Dominus Comes Alexander aliam medietatem praefato Conventui sese, et suos Successores annuatim daturos, et praestituros compromiserunt, et obligârunt tam de bonis Keresztinecz, quam Jaszka secundum tenorem, et continentias litterarum fundationalium bene memorati olim Comitis Petri, et Confirmationarium praedictorum Dominorum Comitum Thomae Bani, et Petri Junioris Erdoedy, eo per expressum declarato, quod si per antecessores mentionatorum Dominorum Comitum fatentium praefata fundatio in toto, vel in parte immutata futuris temporibus fuisse comprobabitur, ut in tantum, ac eatenus etiam obligatio praesens, benevola potius Dominorum Comitum fatentium praestari compromissa eleemosyna cesset, et tollatur. E converso verò ex parte memorati Conventus Reverendus P. Antonius Fanton ejusdem Conventus Guardianus pro tempore itidem coram eodem Protonotario personaliter constitutus compromisit, et obligavit se, et suos in Officio Successores, ac praefatum etiam Conventum quod durante praefata obligatione Dominorum Comitum fatentium pro conservatione Inclytae Familiae Erdoedianae unum in mense Missae Sacrificium, aliud verò pro animabus demortuorum ex Familia modo, et in futurum, ac etiam eorum, quorum nemo memor est, quolibet mense sacrum dicere, et celebrare velit, celebrandâque eadem bina praemissa Sacra indubitâte per se, et suos praefatos faciet, et committet, et hoc etiam non ommisso, ut praedeclaratam obligationem, et compromissionem suam per Superiores suos ratificari, et corroborari quocitius non intermittat, et Dominis Comitibus fatentibus authenticas Reversales super praemissa obligatione procuret, et procurare teneatur, ac pro majori notitia, hujusce obligationis suae praescripta menstruatim duo Sacra celebrari debita, in Sacristia Ecclesiae annotare, et appendere tenebitur. Tandem postremo id etiam *praetitulati Domini Comites fatentes postulâsset, quatenus titulum, quem in suo*

sigillo eadem Provincia Regni Croatiae antea habuisset, et in suis publicis actibus eodem usa fuisset, eodem autem amplius uti recusâsset, et intermisisset, eadem Provincia modofato Regno Croatiae restituere teneatur, sitque obligata. Harum nostrarum ad fidelem memorati Protonotarii relationem vigore, et testimonio emanatarum litterarum mediante. Datum loco, die, mense, et anno suprascriptis.

(L. S.)

Lecta per me Magistrum Georgium
Plemich praefatorum Regnorum
Protonotarium. Idem.

II. Ex hac legali compositionis instrumento patet, quod Eleemosyna, quam Successores Petri Senioris Comitis Erdoedy loco justarum omnis generis frumenti decimarum ad certam quantitatem redigerunt, constiterit in f. 16. hungaricalibus, 6. Majalibus bonis. 48. modiiis tritici, ac totidem siliginis, aut hordei nec non 24. cubulis vini, quam eleemosynam Conventus adhuc hodiedum fideliter percipit, pari fidelitate annuatim Sacra, ad quae se Conventus obligaverat, peragit. Quod autem in fine praedictae Conventionis apponatur Provinciae obligatio restituendi titulum Regno Croatiae, sciendum est, quod Provincia ante Reformationem vocata fuerit Provincia *Bosnae Croatiae*, tempore verò Reformationis Provincia in suo sigillo titulum ommisso ly *Croatiae* gerere coepit *Carnioliae* simpliciter, quod Magnatibus Croatiae valde displicuit: unde eorum voluntati deferre volens haec Provincia titulum *Croatiae* denuo assumpsit, vocatur Provincia *Croatiae Carnioliae*. de hoc recale dicta part. 2. c. 13. §. 2. per tot. pag. 203.

III. Cum bona Erdoediana Kerestinicensia, et Jaskensia multiplicata familia in plures palmites divisa fuissent, hinc quilibet pro rata bonorum ad se devolutorum onus tribuendae eleemosynae in se assumpsit, ut **ex singulorum confirmatoriis litteris** desumetur. Praeprimis Ill'mus D. Josephus Comes Erdoedy se obligabat ad quartae partis medietatem, ut **ex ejusdem Originalibus litteris** constat sequentis tenoris:

Comes Josephus Erdoedy de Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus Varasdinensis perpetuus Comes committo Officialibus meis modernis, et futuris bonorum horum Kerestinicensium, quatenus deputati fundationalis per antecessores familiae meae Venerabili Conventui S. Leonardi Ad'm R'ndorum Franciscanorum facti quartae partis medietatem juxta successionem ductorum bonorum proportionatam in me ad praestandum derivatam, utpote tritici modios sex, milii modios itidem sex, vini cubulos tres, majalem unum, licet tres quadrantes solummodo unius majalis ex parte mea dandi venirent, ac paratae pecuniae hungaricales florenos duos quotannis mentionato Venerabili Conventui praestare noverint. Pro quo fundationali Deputato ab antecessoribus meis ordinato antelati Venerabilis Conventus Ad'm R'ndi Patres successivis semper temporibus singulis mensibus duo Sacra Missarum Officia, unum pro conservatione familiae meae, aliud verò pro animabus demortuorum ex familia mea, ac etiam eorum, quorum nemo memor esset,

erga mentem; et intentionem eorumdem antecessorum meorum celebrare tenebuntur, eruntque obligati. Datum in Arce Kerestinecz die 6. Decembris 1711.

Comes Josephus Leopoldus Erdoedy (L.

S.)

IV. Comes Georgius Senior Erdoedy se ad quartam partem praecitatae eleemosynae praestandam obligabat, ut id **ex ejusdem Originalibus litteris** patet sequentis tenoris:

Comes Georgius Senior Erdoedy de Monyorokerek Judex Curiae Regiae, Montis Claudii, et Varasdinensis perpetuus, ejusdemque, et Barsiensis, ac Atrensis Comitatum Supremus Comes, suae Majestatis olim Sacrae intimus Consiliarius, committimus Officialibus nostris modernis, et futuris bonorum nostrorum Jaskensium, et Kerestiniczensium, quatenus deputati fundationalis per antecessores nostros Venerabili Conventui S. Leonardi A. R. P. P. Franciscanorum facti, et ordinati quartam partem juxta successionem dictorum bonorum proportionatam in Nos ad praestandum derivatam, utpote tritici modios duodecim, milii modios itidem duodecim, vini cubulos sex, majalem unum, et medium, ac paratae pecuniae florenos hungaricales quatuor, ratam medietatem quidem ejusmodi quartae partis Jaskenses, alteram verò medietatem iidem Officiales nostri Kerestiniczenses quotannis mentionato Venerabili Conventui praestare noverint. Pro quo fundationali deputato ab antecessoribus nostris ordinato antelati Venerabilis Conventus Ad'm R'ndi Patres successivis semper temporibus singulis mensibus duo Sacra Missarum Officia, unum pro conservatione familiae nostrae, aliud verò pro animabus demortuorum ex familia nostra, ac etiam eorum, quorum nemo memor esset, erga mentem, et intentionem eorumdem antecessorum nostrorum celebrare tenebuntur, eruntque obligati. Datum in Arce Kerestinecz die 6^{ta} Decembris 1711.

Comes Georgius Senior Erdoedy (L. S.)

V. Ad Illustrissimum D. Comitem Georgium Juniozem Erdoedy praestanda venit medietas quartae partis eleemosynae fundationalis, quam **sequentibus litteris ex Originali desumptis** confirmavit, ac dari praecepit:

Comes Georgius junior Erdoedy de Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus Varasdinensis perpetuus Comes Sacratissimae olim Caesareae, Regiaeque Majestatis Consiliarius, et Camerarius. Officialibus meis modernis, et futuris bonorum Jaskensium per praesentes demandando, quatenus Reverendis Patribus Franciscanis ad Sanctum Leonardum deputatum fundationale per antecessores meos institutum, utpote parata pecunia florenos hungaricales duos, tritici modios sex, milii modios itidem sex, vini cubulos tres, Majalem unum, quamvis Majalis tres quadrantes pro parte mea dandi venirent, singulis annis dent, et assignent incipiendo ab anno 1772. die 1. Januarii, quae quidem fundatio per antecessores meos, qua non acquirentes antelatorum bonorum, instituta, me nequitquam obligaret, nihilominus tamen, ex beneplacito meo, et zelo erga antelatum Conventum ductus praespecificata ordino, pro quorum praestatione idem Conventus obligatus erit per decursus temporum duo Sacra singulis mensibus, unum quidem pro conservatione familiae meae, aliud verò pro ani-

mabus demortuorum ex familia, ac etiam talium animarum, quarum nullus recordaretur, celebrare. Datum Jaskae 9. Decembris 1711.

Comes Gregorius Junior Erdoedy (L. S.)

VI. Comes Alexander Erdoedy pro sua parte quoque jussit dari annuam fundationalem eleemosynam, videlicet quartam partem, quae constitebat in f. 4. hungaricalibus, duodecim modiis tritici, totidem milii, sex cubulis vini ac uno, et medio majali. *Litterae* ejusdem *in Originali* sic sonant:

Committimus praesentibus Officialibus nostris Jaskensi, et Kerestiniczensi, quatenus in praesentia Inspectoris nostri Francisci Gallyuff cum Venerabili Conventu S. Leonardi Ordinis Minorum S. Francisci computum ineant, et tam de praeteritis restantiis successive, si quae fuerint, quam imposterum emergendis juxta tenorem fundationalium obventionibus de anno in annum contentabunt, nec secus fiat. Selinii 27. Decembris 1711.

Comes Alexander Erdoedy m'ppa

VII. Ex nunc allatis Comitum Erdoedy *Scripturis* conflantur tres partes eleemosynae totalis, quae Conventui S. Leonardi in Silvis dicto ex Arcibus Jaskensi, et Kerestiniczensi ex fundatione praedictae familiae annuatim obvenit; quarta enim pars Ill'nis Dominis Comitibus Adamo Episcopo Nitriensi, Gabrieli Praeposito B. V. Mariae Albei, et Canonico Jaurinensi, nec non Emerico praestanda incumbabat. Quamvis verò supra hanc quartam partem nullas litteras particulares praeter supra n. 1. adductas praetactae partis confirmatorias reperire est, id tamen certum est, quod praedicta quarta pars ex Arce Selliniensi quotannis fideliter pendatur. Nec cuiquam ex eo, quod Josephus, et ambo Georgii Erdoedy suis litteris inseruerint obligationem quolibet mense duo Sacra celebrandi, inferre licet, quod plura quam 24. Sacra in anno sint celebranda, quia omnes ad idem onus respiciebant: Neque poterant diversum, et diversum Sacrorum onus intendere, quia nullus eorum in totalem substantiam, seu hereditatem, cui totalis eleemosynae praestatio annexa est, ut supra n. 1. visum successit, sed tantum in partes: proinde quia onus duarum quolibet mense celebrandarum Missarum toti substantiae, seu eleemosynae annexum est, neutiquam una pars onus â toto ad partem extendere potuit.

VIII. Cum autem anno 1776. tota Arx Kerestiniczensis, et medietas arcis Jaskensis Genuensibus creditoribus ad solvenda debita â Comitibus Erdödy contracta extradita fuisset, etiam onera arcibus annexa in eosdem creditores translata sunt: quapropter P. Guardianus p. t. Rolandinus Vidkovich nomine Conventus eisdem *supplicem porrexit libellum* pro continuatione, et praestatione praedictae eleemosynae, â quibus sequens favorable, *quod in Originali in Archivio Conventus* asservatur, tulit *responsum*:

Anno Domini 1776^o die 6^a mensis Julii in arce Kerestinecz erga praesentem Reverendorum P. P. Ordinis Sancti Francisci Seraphici ad S. Leonardum fundatorum instantiam, eisdem Patribus

significatur, apud Officialatum arcis, et dominii Kerestinecz jam ita dispositum esse, ut Officiales dominii fundationalem quotam **Tabulae Salariorum, et Deputatorum** insertam primo loco quotannis Claustro erga quietantiam Patris Guardiani rite praestare teneantur. Datum ùt suprà

(L. S.)

Joseph Aloysius de Solignac Plenipoten^{trius} m'ppa

§. II.

De colonis, vineis, aliisque immobilibus utilitatibus olim Conventui legatis.

I. Praeter supra specificatam eleemosynam Illustrissimi Petri Erdoedi Successores Conventui S. Leonardi pro commodiori Fratrum sustentatione donarunt aliquos Colonos, vineas, prata, silvas etc. quas Fratribus tunc ob aspera tempora **ex dispensatione Sixti IV. Bulla incip. Romanus Pontifex** de dato Tibure pridie idus Augusti 1473. et Julii II. Bulla incip. **Hodie emanarunt** de dato Romae decimo Kal. Februarii anno 1511. ùt visum part. 2. c. 12. §. 2. n. 3. pag. 194. habere licuit. Et quidem primo Ill^{mus} D. Petrus Erdoedy donavit unum Colonum nomine Michaellem Krayachich de S. Leonardo, ut **ex ejusdem litteris de dato in castro Okych feria sexta in festo Ss. Cosmae, et Damiani anno 1549. Idem de dato in Castro Okych in festo S. Benedicti Abbatis anno 1550.** donavit Conventui unum fundum in villa sua *Juraychian*, in quo residebat Joannes Bobojelich. **Petrus Junior Erdoedy de dato Kerestinecz die 23. Aprilis 1610.** donavit Conventui de jure Montano cubulos quatuordecim, et capones octodecim, silvam Capellae, seu claustro vicinam, et duo prata: insuper trans montem vineam unam magnam, et quinque alias vinearum particulas, colonos verò duodecim, et spatia terrarum, unde isti possint habere necessaria ad sustentationem. Ill^{ma} D^{na} Comes Susanna Erdoedy nata à Stumberg relicta vidua Petri Junioris **de dato Kerestinecz 4. Aprilis 1616.** donavit Conventui jus montanum 2. cubulorum vini, quod Colonus Ecclesiae S. Leonardi Georgius Mihsich dare debuit ad arcem Kerestineczensem. **Eadem Illustrissima Domina Susanna cum filiis suis** Petro, Wolffgango, Thoma, Nicolao, Valentino, Francisco, et Simone donavit Conventui duos colonos Georgium Zuetniak, et Thomam Tandarich **de dato Kerestinecz feria 2^{da} Paschatis anno 1617. Sigismundus** itidem **Erdoedy** donavit Conventui S. Leonardi colonum Nicolaum Mrakussich cum omnibus pertinentiis, et utilitatibus **de dato Samaborini die 12. Maji 1620.**

II. Quia autem praedicti Coloni quasdam contributiones et labores ipsi Regno praestare obligati erant, fuit tum ex parte Conventus S. Leonardi, cùm ex parte Conventus, seu pro tunc Residentiae Jaskensis statibus Regni supplicatum, ut Coloni horum Conventuum à praedictis laboribus, et servitiis liberarentur. Quos etiam Generalis Magnatum, et Nobilium Regni Congregatio habita Zagrabiae anno 1610. liberavit his terminis:

Ex Articulis Dominorum Magnatum, et Nobilium Regni Sclavoniae, in publica eorumdem Congregatione ad feriam tertiam proximam post Dominicam *Quasi modo* proximè praeteritam per Spectabilem, et Magnificum Dominum Comitem Thomam Erdoedy de Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus Varasdiensis Comitem perpetuum Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Banum, ac Sac. Regiae Majestatis Consiliarium etc. publicata, et indicta in Area Capitulari Zagabiensi conclusis, sequitur unus Anno Domini Millesimo Sexcentesimo decimo.

Fratres Franciscani Monasteriorum Sancti Leonardi sub Lipovecz, et Beatae Mariae Virginis in Jaztrebarzka petunt suos exiguos Colonos à publicis contributionibus, et laboribus eximi, et liberari, qui per status liberantur. Orent igitur Deum pro incolumitate Regnicolarum, et permansione Regni.

(L. S.)

III. Dum tempora meliora illuxissent, et Fratres eleemosynas mendicando facilius obtinuissent, ii colonos, terras, vineas, aliaque bona immobilia, quibus tantum in necessitate uti licebat, partim fundatoribus restituerunt, partim iisdem consentientibus divenderunt, pretium inde acceptum pro aedificatione Conventus, et Ecclesiae applicarunt, retentis pratis pro intertenendis equis, qui necessarii sunt pro conducendis lignis, aliisque necessitatibus, nam Conventus in solitudine positus, et vicinitate destitutus non habet homines, qui id charitatis praestarent. Fuit quippe circa annum 1747. id probatum, erant equi alienati, et prata fundatoribus restituta, quia autem Fratres nequibant habere conductores gratis, denuo supplicarunt fundatoribus pro eorumdem quoad usum simplicem facti restitutione remanente penes ipsos fundatores dominio, et proprietate, quod etiam Ill'mi Domini Comites Erdoedy qua fundatores benignè concesserunt adjecto mandato, ne Conventus amplius attentet praedicta prata alienare absque eorumdem expressa licentia. Unde etiam Conventus in signum resignatae proprietatis quolibet anno à fundatoribus petere debet facultatem defalcandi faenum, illudque per modum purae eleemosynae, quod Sacrae Regulae non contrariatur, ad Conventum deducendi.

IV. Quamvis verò etiam pars Silvae circa Conventum etiam simplici usui Fratrum relicta sit, nihilominus fratres ligna focalia ex aliis silvis Domini Kerestineczensis per annuentiam dominorum fundatorum accipiebant, quia haec silva partim non est sufficiens, partim verò, ut in rigida hyeme, dum ligna ex remotiori loco adduci nequeunt, in aliqua necessitate ex hac Conventui adjacente silva excindi valeant. Dum anno 1776. Domini Genuenses possessionem arcis Kerestineczensis acceperunt, eisdem nomine Conventus supplicatum extitit, quatenus eisdem uti antehac, ita imposterum ex praedictis silvis ligna educere, ad quod sequens, quod in *Originali* praestat, favorable tulerunt *responsum*:

Erga praesentium exhibitionem Dominus Georgius Termachich Inspector, et Provisor Domini Kerestinecz R'ndis Patribus

Ordinis S. Francisci Seraphici ad Sanctum Leonardum fundatis, dum se insinuaverint in sylvis dominalibus claustro Sancti Leonardi vicinioribus imprimis decidua focalia ligna, dein etiam alia infructifera pro foco deservibilia medio sylvanorum exassignari, et per eosdem Patres liberè, atque gratis in tantum, in quantum necesse fuerit, auferri permittet. Datum Jaskae 9^{ma} Augusti 1776.

(L. S.)

Joseph Aloysius de Solignac Plenipot^{rius} m'ppa

V. Praeterea quidam pius, ac devotus Parochus (cujus nominis, aut quo anno? non est compertum) in *Basilovo* Ecclesiae S. Leonardi legavit ducentos florenos germ. mon. ut iidem in loco tuto investirentur, ac ex annuo Interesse oleum pro continua illuminatione lampadis coram Sanctissimo Sacramento ante altare majus S. Leonardi ardere solitae procuretur. Haec 200. f. summa primo investita fuit *Metlicae* apud D. Joannem Thomam Weiss dictae Civitatis civem anno 1714. Quia verò hic successu temporis adeo ad paupertatem redactus fuit, ut ipsa Capitalis summa periclitaretur, attamen operâ clarissimi Domini Joannis Baptistae Felber J. U. Doctoris pro tunc Provinciae Carnioliae, et Croatiae Fratrum Minorum Syndici Apostolici illa summa feliciter salvata fuit, ac postmodum Carlostadii 1731. apud D. Joannem Georgium Koronäk fortalitii Quaesitoris erga annum 6. pro cento tribuendum Interesse investita fuit. Mortuo D. Joanne Georgio Koronäk Interesse solvi intermittebatur, unde Conventus S. Leonardi à Generalatu Carlostadiensi Interesse anni intermissi solvi, ac, ut Capitem Summam in se suscipere velit, humiliter petiit. Conventus sui voti compos factus est vigore sequentis **Rescripti**:

Es ist bereits die Verfügung geschehen an den H. Plaz Major, das derselbe denen H. Patribus nicht nur die 12. f. vor das ruckstehende Jahr nemlichen biß Ende April 1751. sondern auch biß Ende Aprilis 1752, alß das eingehende Jahr von denen eingehenden arrest geldern in voraus bezahle, und solcher gestalten wird auch hinführo continuirt, und jederzeit mit anfang, und Eintritt jeden Jahrs denen H. Patribus dieses Quantum entrichtet werden. Carlstadt den 7. May 1751.

Baron de Schertzer General m'ppa

§. III. De Capellania Fodinensi.

I. Anno Domini 1708. Conventus se obligabat quolibet die Dominico, et festivo ad fodinas Cupri horâ à Conventu distantes mittere unum Sacerdotem, qui ibidem Missam celebraret, et brevem exhortationem faceret, ac quolibet die Jovis applicare unam Missam pro felici successu praedictarum fodinarum cum aliis oneribus in mox adducendo contractu videndis erga

annuè 80. f. Parenti Spirituali Conventus S. Leonardi pendendos. **Contractus ex Originali desumptus** sic sonat:

In Nahmen des höchsten Gott.

An dy 22^{ten} Aug. Anno 1708. ist mit den löb. Closter St. Leonhard Brüdern des heiligen Francisci Mindern an eins, dan mit der Ehrbarn herrschaft alhier in den bergwerkh Szamabor nachfolgender Contract, oder Vergleich beschehen, alß folget:

Erstlichen gebet obgelmelte herrschaft dem Löb. Closter in paaren geld, nemblichen achzig gulden Reinisch.

Andertens: dem Priester, welcher in den Gottesdienst zu verichten abgeschikt wird, seine freye Taffel, alß sichs einen Geistlichen, oder Seelsorger gebühret.

Drittens ist der H. Pater Guardian schuldig alle Sonn- und Feyertag so viel, alß möglich ist pro possibili einen Priester mit der heiligen Meeß zu schiken, alle Sonn- und Feyertag das heilige Evangelium, und eine Exhortation vor dem Altar abzulesen, und zu verichten.

Viertens: Wan von hier eine Procession wohin gehet, einen Priester mitzuschiken, den andern aber zu verichtung Gottes diensts alhier gleichwollen zu verichten abzuschiken.

Fünfftens: alle hochheilige Feyertag alß weynachten, Ostern, und Pfingsten, der Priester ordentlich die Canzel besteigen, und predigen.

Sechstens, und lezten seynd sie obligiert, das alle Donerstag ein heilige Meeß umb Ertheilung eines reichen Seegen verichten sollen, das geld solle quartaliter abgelegt werden, alß nemblich alle quartal 20. f. Rey. Actum anno, die ut supra.

Der Röm. Kay. May. Verwalter in Schmölnitz
und Inspector des alhiesigen bergwerks Szamabor

Fr' Antonius Fanton
p. t. Guardian.

(L. S.)

Mathiaß Franz Ethesy etc.
ad Abszavone m'ppa

II. Postquam vero Arx Samaboriensis, cui fodinae annexae sunt, è manibus Erdoedianis ad Comites de Aversperg transiisset, fuit praedictus **contractus renovatus**, et **de novo ratificatus**, ut **ex Originali ejusdem Transumpto** patet sequentis tenoris:

Vertrag

Zwischen den Ehrwürdigen Closter deren P. P. Franciscanern zu Sant Lenhard, und Ehrsamem Kupfer Knapschaft des Kupfer bergwerks, und herrschaft Szamabor.

Primò. Ist zwischen erdeuten Ehrwürdigen Closter, und der Knapschaft schon zu zeiten der löb. Erdödischen Famili dahin verglichen worden, das die Patres Franciscaner zu St. Lenhard alle Sonn- und Feyertag schuldig seyn einen Geistlichen in das bergwerkh zu schiken, welcher die Heilige Meess zu lesen, das Evangelium bey dem Altar zu verkündigen, und bey dem Altar eine kurze Catholische lehr, wie biß anhero beschehen, zu thun schuldig seyn.

2^{dò}. Ist dieser Pater zu Weynachten, Ostern und Pfingsten ein ordentliche Predig von der Kanzel an das volk, und alles Jenes, was biß anhero in löb. brauch gewesen, zu leisten schuldig.

3^{tiò}. Obligiret sich das Ehrwürdige Closter alle Sonntag zu Erlangung des Göttlichen Seegen des bergwerks ein heilige Meeß zu lesen. Wohingegen

Die Ehrsame Bergschaft vor diese Geistliche dienstleistung Jährlich 80. sage gulden achzig zum almosen, und ein ehrliche kost, wie biß anhero in dem berghof von dem Bergwerks vorstehern zu geben sich verbinden.

Szamabor den 18^{ten} Aug. 1761.

Von der herrschaft, und Kupfer bergwerk Eigenthum wegen wird dieser Contract biß meiner weitem disposition hiemit ratficirt, und bestätigtet. Datum ut supra.

(L. S.)

Anton Joseph Graf von Auersperg m'ppa.

III. Anno 1776. post emensum aliquorum annorum curriculum, quo Arx Samaboriensis iterum ad Familiam Erdoedianam devenerat, diversi Erdoediani Creditores una cum aliis bonis Erdoedianis, etiam Arcem Samaboriensem una cum fodinis in suam acceperunt potestatem. Cum Creditores hoc tempore, quo scribo, nondum circa fodinas convenerunt, ac etiamnum ignoratur, quis earumdem curam suscipiet, hinc etiam, an haec Capellania in suo vigore sit permansura, prorsus ignotum est. Si intra breve tempus res denuo ad pristinum statum reducetur, aut aliam vicissitudinem, et immutationem patietur, leniorem de his fertilissimis fodinis notitiam dare non intermittam.

Caput IV.

De Ecclesiae, et Altarium aedificatione, eorumque Consecratione, de Confraternitate, aliisque Spiritualibus exercitiis, nec non Sacris Sanctorum Reliquiis.

§. I.

De Ecclesiae et Altarium erectione, eorumque
Consecratione.

I. Fuisse Capellam S. Leonardi in loco apparitionis ejusdem ante constructum Conventum circa annum 1531. aedificatam, **ex litteris foundationalibus supra c. 2. n. 2. pag. 896. allatis** clarè desumitur, cui mox sequentibus annis Conventus, ac alia Ecclesia Conventualis adjecta fuit, in qua Fratres horas Canonicas persolvebant, ac Missas celebrabant, licet et quotidie aliquae Missae in ipsa Capella S. Leonardi legerentur. An autem hae Ecclesiae primitus consecratae, vel tantum benedictae fuerint? antiquitas alto obvolvitur silentio.

II. Anno 1734. A. R. P. Sigismundus Skerpin Minister Provincialis novam Ecclesiam aedificare coepit à fundamentis, eandem extendit, ac cum Conventu conjunxit, ita ut Ara Major S. Leonardo Sacra occupet locum prioris Capellae, murusque Sanctuarii post Aram, medietatem petrae, supra quam apparitio S. Leonardi facta est, intercipit, quae olim videbatur, nunc verò, quia hominibus Aram circum-euntibus offendiculo fuit, ad aequalitatem muri excisa est. Quia verò Ecclesia ligaturis ligneis ab initio ligata erat, iis putrefactis muri quoque extendebantur, ut in fornice rimae apparerent, unde ne prorsus collaberetur, eam reparari, et ligaturis ferreis muniri oportebat anno 1747. qui labor anno 1750. ut denotat hic annus in Campanili [(ad quod anno 1761. tertia Campana 436 lb. imposita fuit)]⁵⁴⁴ adnotatus, terminatus fuisse censendus est. Ecclesia in loco adeo demisso est, ut intrantes eam per 10. gradus descendere debeant. Longitudo modernae Ecclesiae est 14. orgiarum, et 5. pedum, latitudo vero 5. orgiarum, et 7. palmorum.

III. Quinque Arae in hac Ecclesia nova successu temporis erectae erant diversorum benefactorum eleemosynis. Prima honoribus S. Leonardi dicata extructa fuit munificentia Illustrissimi Domini Comitis Ladislai Erdoedy anno 1741. ut **ex Cronographico in Ara Majori sub imagine S. Leonardi posito** constat sequentis tenoris: **LaDisLaVs ErDöDI neCessItates IntVens Ista eXtrVXI**t. Supra effigiem S. Leonardi cernitur Insigne Gentilitium familiae Erdoedianae, in cujus circumferentia sequentes notantur litterae: **E. D. C. L. E. de Mo. M. C. et I. C. V. P. C. Sac: Caes. R^{ae}que Maj. C. C. nec non P. P. et C. P. C. C.** ante Aram majorem sunt clathra lapidea, sicut et tota Ecclesia lapide quadro strata. 2^{da} Ara ex parte Evangelii sita S. P. N. Francisci honoribus dicata est, quam anno 1742. erexit suisque sumptibus fieri curavit Perillustris Dominus Nicolaus Voikovich. 3^{tia} Ara ex adverso Arae S. Francisci posita eodem anno 1742. erecta fuit in honorem S. Antonii de Padua impensis perillustris Domini Adami Illiaschich. 4^{ta} Ara est Immaculae Conceptionis B. V. Mariae diebus Sabbatinis pro Confratribus ejusdem Confraternitatis privilegiata extructa est anno 1746. munificentia Dominae Catharinae Skerlizin. 5^{ta} tandem Ara S. Josephi erecta fuit sumptibus Dominae Joannae Milloshin anno 1744.

IV. Ecclesia una cum Altaribus consecrata fuit die 17. Aprilis anno 1750. âb Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Domino Josepho Bonifacio Cechot-
ti Episcopo Petinensi olim hujus Provinciae Alumno de expressa licentia Excel^{lmi}
Ill^{lmi}, et R^{lmi} Domini Domini Francisci Klobussizky Episcopi Zagrabiensis, in cujus
Dioecesi haec Ecclesia sita est. Anniversaria Dedicationis dies assignata, et posita
fuit Dominica quarta post Pascha, ut **ex ipso Consecrationis Instrumento**, quod **ex
Originali** adduco, clarius patet:

J. J. Bonifacius Cecotti Dei, et Apostolicae Sedis
gratia Episcopus Petinensis.

Notum facimus omnibus, et singulis, qualiter die 17. Aprilis Anni 1750. ad
instantiam, et petitionem â Superioribus Conventus factam ex Commissione Excel-
lentissimi, Ill^{lmi}, et R^{lmi} Domini Francisci Klobussizky pro tunc Episcopi Zagrabiensis
solemni ritu consecraverimus Ecclesiam Fratrum Min. Strict. Observ. S. Leonardi
in Sylvis nuncupatam existente tunc loci Guardiano M. V. P. Theodorico Skende-
rich sub Provincialatu A. R. P. Godefridi Pfeiffer, cui Solemnitati praeter domesticos
Religiosos interfuerunt ê Conventu Samaboriensi multum Venerandi Patres Alanus
Bauzher, et Rudolphus Gorshe. Diem porro, qua Dedicatio ejusdem Ecclesiae futu-
ris temporibus quotannis celebranda sit, determinavimus auctoritate nostra Domini-
cam quartam post Pascha. In quorum fidem sigillum nostrum appressimus, et propria
manu nos subscripsimus. Dat. in Conventu S. Leonardi in Sylvis die 17. Aprilis 1750.

(L. S.)

J. J. Bonifacius Ep'pus Petenensis.

V. Praeter Cryptam, in qua Fratres nostri tumulantur, unica est Crypta, quam
pro familia Erdoediana, si quispiam ex ea hic sepeliri vellet, Illustrissimus D. Comes
Ludovicus Erdoedy fieri curavit, quique anno 1753. die 14. Februarii ex hac vita
decessit annos natus 61. ac hic sepultus est **lapidi emortuali haec inscriptio incisa** est:

Siste Viator

Hic jacet Excell^{lms}, et Ill^{lms} D'nus, Dnus Comes
Ludovicus Erdödi de Monyorokerek, Montis Claudii,
et Comit. Varasdinensis perpetuus, Posegensis verò
Supremus Comes, S. C. R. M. actualis intimus Consi-
liarius, per Regna Dalmatiae, Croatiae, ac Sclavoniae
locumtenens Banalis etc. etc. Vixit mundo, vivit
Coelo, ubivis sine labe, sine naevo aetat. suae 61.
obiit 14. Febr. Ann. 1753.

§. II.

De Confraternitate B. V. Mariae sine labe conceptae, aliisque Spiritualibus exercitiis, ac Reliquiis.

I. Unica in hoc Conventu viget Confraternitas sub titulo B. V. Mariae sine
labe conceptae erecta anno 1745. auctoritate Dioece-

sana, quam Benedictus XIV. Summus Pontifex variis Indulgentiis decoravit, ut **ex ejusdem Bulla incip. Cum sicut de dato Romae die 10. Martii 1745.** clarius elucescit, quae hunc continet tenorem:

BENEDICTUS P. P. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus, in Ecclesia Sancti Leonardi in Silvis Ord. Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Zagrabienensis Dioecesis una pia, et devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas sub titulo Conceptionis B. V. Mariae Immaculatae, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonicè erecta, seu erigenda existat, cujus Confratres, et Consorores, quam plurima pietatis, et charitatis opera exercere consueverunt, seu intendunt. Nos, ut Confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè paenitentes, et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum susceperint, plenariam: ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus, et Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo. Si verè quoque paenitentes, et confessi, ac Sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, Nomen Jesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam, nec non eisdem nunc, et pro tempore existentibus dictae Confraternitatis Confratribus, et Consororibus etiam verè paenitentibus, et confessis, ac Sacra communione reffectis, qui praefatae Confraternitatis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium die festo principali dictae Confraternitatis per eosdem Confratres semel tantum eligendo, et ab Ordinario approbando à primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis Confratribus, et Consororibus verè pariter paenitentibus, et confessis, ac Sacra communione reffectis, Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium hujusmodi in quatuor aliis anni feriatis, vel non feriatis, seu Dominicis diebus per memoratos Fratres semel tantum eligendis, et ab eodem Ordinario approbandis, ut supra visitantibus, et ibidem orantibus, quo die praefatorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas: quoties verò Missis, et aliis Divinis Officiis in Ecclesia, seu Capella, vel Oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis, et recitandis, et Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, ac pauperes hospitio receperint, vel pacem inter inimicos composuerint,

seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam, qui corpora defunctorum tam Confratrum, et Consororum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, vel quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel si impediti, campanae ad id signo dato semel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem, et Salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum, et Consororum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam Salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei et ea, quae ad Salutem sunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, et charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praefatorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis paenitentibus, in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis Confratribus, et Consororibus praemissa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus necdum elapsam duratura concessa fuerit, praesentes nullae sint. Utque si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel imposterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituitur, priores, et quaevis aliae litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die X. Martii MDCCXLV. Pontificatus nostri anno quinto.

D. Card. Passioneus.

1745. die 22. Aprilis Zagrabiae Breve hocce Apostolicum super erigenda Confraternitate sub titulo Immaculae Conceptionis B. V. M. in Ecclesia Sancti Leonardi in Silvis P. P. Franciscanorum Reform. Dioecesis Zagradiensis conformiter ad clausulas in eodem Brevi Apostolico, iisdem rite observatis, et populo idiomate intelligibili publicatis, publicandum, et observandum admittimus. Pro principali festo lucrandarum plenarum Indulgentiarum statuimus Dominicam infra Octavam Immaculae Conceptionis: pro aliis verò Indulgentiis quater in anno lucrandis Dominicas quatuor temporum.

Sigismundus L. B. de Sinersperg
Vicarius, et Causarum Auditor Gen'lis m'ppa

II. Quanta auxilia, quantas gratias homines ad hunc locum, et Sanctum Leonardum confugientes, praesertim, qui sub Turcica tyranide ferreis compedibus constricti detinebantur, perceperint? testes sunt tot anathemata, et horribiles ferrei compedes ad utrumque Arae majoris latus pendentes, quos miseri in captivitate Turcica gementes Christiani per intercessionem S. Leonardi à vinculis absoluti huc ad explendum votum, debitasque piissimo Liberatori gratias agendas detulerunt. Praeter captivos sunt et alii, qui diversis infirmitatibus oppressi per intercessionem S. Leonardi sanitati restituti erant, ut **ex inscriptionibus tabellis votivis, in ipsa Ecclesia appensis, subjectis** patet, quae hujus sunt tenoris:

Primâ: Perillustris Domina Francisca Busichin gravissimis partus doloribus pressa ad S. Leonardum voto facto feliciter bis evasit. Anno 1733, et 1735.

2^{da} Barbara uxor Mathiae Stengel filiam Magdalenam mortuam parit, voto facto ad S. Leonardum, et Sacro oblato, prolem vivam recepit anno 1734.

3^{tia} Perillustris Dominus Stephanus Miloss copiosum sanguinem ejiciens ad Sanctum Leonardum recurrens sanatur mirabiliter anno 1741.

4^{ta} Colonus Croata in vincula coniectus, voto facto ad S. Leonardum â vinculis solutus evasit 1741.

5^{ta} Quaedam Styra ê scalis cadens, manum fregit, quam voto facto ad S. Leonardum, integram recepit 1741.

6^{ta} Occhicenses in periculo summo naufragii existentes voto facto ad Sanctum Leonardum felices ad littus pervenerunt 174[= N^b. *ultimus numerus non conspicitur.*]⁵⁴⁵

7^{ma} Quidam Regnicola misera turcica captivitate detentus voto facto ad Sanctum Leonardum ruptis vinculis, ac hîc prae Ecclesiae foribus repertis sub Sacro votivo sanus, ac laetus advenit.

8^{va} est cujusdam Franciscani cum sequenti substrato distichon:

Dum pedis insolito pulsatur planta dolore
suspirat, vovet, mox dolor omnis abest.

F. P. M. 1747.

III. Tot tantisque prodigiis, quae Deus per intercessione Sancti Leonardi operari dignatus est, excitati fideles in magna copia praesertim dominicis quatuor temporum concurrere solent, imo in anniversaria die apparitionis S. Leonardi, quae celebratur cum institutione nundinarum Dominica proxima post festum S. Margaritae Virginis, et Martyris, copiosus non tantum ex Croatia, sed etiam ex Styria, et Carniolia affluit populus ad venerandum hunc Sanctum, et lucranda Indulgentiam plenariam â Summis Pontificibus ad septennium dari solitam. Etiam ipsa aqua communiter *aqua S. Leonardi* appellata, quae sub petra, in qua apparitio facta est, scaturit, hausta, et domum deportata infirmis pristinam sanitatem restituit, quod non semel mirabiliter evenisse comprobatum est. Praeterea hujus Coenobii Religiosi non tantum subsidium in excipiendis confessionibus vicinis Parochis praestant, sed etiam infirmos in fodinis, in Monte *Plissiviza*, ac sub monte *Osterz*, totaque in interjacente valle habitantes extremis Ecclesiae Sacramentis, videlicet Paenitentiae, Eucharistiae, et extremae unctionis, provident, cum non levi fatigio, praesertim tempore brumali, et nimbo eo vel maxime, quia nulla est planities quae gressum faciliteret. Hic duo instituuntur Concionatores Croatici, quorum unus in domestica Ecclesia ad populum sermones habet, alter verò singulis diebus Dominicis, et festivis in fodinis celebrat, Evangelium praelegit, ac brevem Exhortationem ad aram tenet: festis verò principalioribus formatas Conciones habet, ut supra visum est. In Ecclesia duae asser-

vantur Reliquiae, una ex ossibus Sacris S. Leonardi Confessoris, altera ex ossibus S. Petri Regalati Conf. Ordinis Minorum. † [...] ⁵⁴⁶

Caput V.

Catalogus Fratrum (quorum notitia ad nos per- venit) in hoc S. Leonardi Conventu defunctorum.

1651. Rel. Fr' Fortunatus Klobuzar laic. ann. Rel. 1.
 1655. 5. Junii Rel. Fr' Josephus Miller laic. Arc. an. Rel. 32.
 [1660. 8. Mart. M.V.P Leopoldus Borkovich] ⁵⁴⁷
 1663. 16. Jan. Rel. Fr' Didacus Speth laic. an. Rel. 42.
 1665. 3. Oct. M.V.P. Ruffinus Schreiner Guard. act.
 1674. 4. April. M.V.P. Valentinus Pizott Guard. act. an. Rel. 22.
 29. Aug. Rel. Fr' Juniperus Smolika laic. ann. 26. Rel. 5.
 1679. 13. Jan. Rel. Fr' Ivo Preshern laic. an. 34. Rel. 11.
 1682. 14. Feb. V.P. Ludovicus Bander ann. Rel. 46.
 17. Feb. V.P. Sebastianus Kunover an. 42. Rel. 21.
 1687. 7. Jan. Rel. Fr' Bernardus Martinelli laic. an. 50. Rel. 27.
 9. Feb. V.P. Gregorius Gailler ann. 52. Rel. 27.
 2. Mart. M.V.P. Ambrosius Jamschig ann. 51. Rel. 31.
 1688. 13. Mart. M.V.P. Benignus Compar, Guard. act. ann. 32. Rel. 12.
 1690. M.V.P. Leopoldus Borkovich Guard. act. an. Rel. 29.
 1691. 30. Oct. V.P. Clemens Gertschman ann. 42. Rel. 22.
 1699. 25. Apr. M.V.P. Joachim Perger Conc. et Guard. an. 56. Rel. 37.
 1703. 19. Sept. A.V.P. Eugenius Weilhard Ex-Diff. Guard. act. an. Rel. 44.
 1707. 15. Jun. A.V.P. Daniel Lucan Ex-Diff. Sac. Jub. ann. Rel. 63.
 1710. 25. Aug. V.P. Silvanus Bishelsrieder Bav. an. Rel. 19.
 1712. 8. Mart. Rel. Fr' Stanislaus Perez laic. an. 63. Rel. 40.
 22. Sept. Rel. Fr' Zachaeus Schiffrer Salisb. laic. an. 32. Rel. 4.
 26. Nov. V.P. Sabinus Halassar Lab. ann. Rel. 21.
 1713. 22. Jan. M.V.P. Emericus Gollobich ann. Rel. 37.
 1715. 11. Jul. Rel. Fr' Matthaeus Pollinger Tyr. laic. an. 37. Rel. 14.
 1718. 8. Jun. Rel. Fr' Bonaventura Springer Metlic. laic. an. 41. Rel. 13.
 1720. 7. Nov. Rel. Fr' Petrus Martinetti Neost. laic. an. 77. Rel. 40.
 1723. 17. Jun. V.P. Ignatius Polliak Croat. ann. Rel. 10.
 1724. 4. Aug. V.P. Ferdinandus Janchich Croat. Con. an. Rel. 19.
 1727. 29. Dec. A.V.P. Antonius Fanton, Ex-Diff'or, saep. Guard. an. Rel. 51.
 1730. 1. Jan. Rel. Fr' Marius Micholovich laic. an. 51. Rel. 22.
 1. Mart. V.P. Gorgonius Cogoi Gorit. an. 39. Rel. 21.
 24. Sept. M.V.P. Antonius Vodnik Billuchgr. Conc. Mag. Nov. saep.
 Guard. ann. 50. Rel. 32.

1731. 15. Jun. Rel. Fr' Abraham Schweinperger laic. Suev. an. 41. Rel. 21.
 1735. 26. Nov. V.P. Philippus Gobbi Gorit. ann. 32. Rel. 11.
 1736. 5. Mart. Rel. Fr' Otho Pipan laic. Carn. an. 71. Rel. 51.
 3. Aug. M.V.P. Leonardus Staffenheller Conc. fuit Mag. Nov. et Guard.
 act. ann. 55. Rel. 36.
 1737. 17. Feb. V.P. Liborius Greill Lab. ann. 46. Rel. 26.
 1739. 22. Feb. V.P. Leopoldus Hansizh Carn. ann. 72. Rel. 48.

1741. 10. Nov. Rel. Fr' Dionysius Hoffer laic. Tyr. ann. Rel 43.
 1742. 18. Jun. Rel. Fr' Remigius Miller laic. Bav. an. 60. Rel. 32.
 26. Aug. V.P. Hilarinus Dionysi Bav. ann. 44. Rel. 10.
 1744. 12. Mart. Rel. Fr' Aegidius Camerer laic. Tyr. an. Rel. 32.
 1746. 5. Oct. M.V.P. Ivo Christian Lab. ann. 68. Rel. 46.
 1747. 6. Dec. V.P. Joachimus Jemiz ann. 29. Rel. 10.
 1749. 12. Jan. V.P. Edmundus Logar ann. 45. Rel. 26.
 1751. 10. Jan. Rel. Fr' Jacobus Pitterle laic. Crainb. ann. 53. Rel. 35.
 1755. 3. April. Rel. Fr' Crescentianus Sidarich laic. Gorit. an. 67. Rel. 45.
 1757. 20. Jul. Rel. Fr' Xaverius Pals laic. Bav. ann. 43. Rel. 17.
 1759. 1. Feb. Rel. Fr' Emericus Valentinzhib Tolmin. hujus Conventus 48. annis Clericus, in omni servitio claustrali indefessus, et licet delirus, virtuosam tamen, et in Domino jucundam vitam semper duxit. Tandem quatruiduana cathari suffocativi indispositione obrutus, plene tamen sibi compos, pronuntiavit finale suum jam imminere tempus, Ss^{mis} itaque Sacramentis rite praemunitus, exemplaritate piissima placidè expirans aeterna petiit ann. 70. Rel. in 50^{mo}.
 10. Apr. V.P. David Nusdorffer Conc. et Vic. Vipac. an. 42. Rel. 24.
 13. Aug. M.V.P. Maximilianus Clevisher Conc. saep. Guard. ann. 62. Rel. 42.
 1761. 2. Feb. V.P. Theodorus Zanuthi Salcan. Org. an. 50. Rel. 30.
 1764. 1. Maji. M.V.P. Gregorius Thomassich Guard. act. Flumin. ann. 60. Rel. 40.
 1773. 19. Jan. V.P. Angelicus Kaydasch Conc. exim. an. 59. Rel. 43.
 1774. 29. Oct. V.P. Edmundus Schinkovitsch Croat. an. 40. Rel. 21.
 1775. 3. Feb. V.P. Ruffinus Rogel Gorit. ann. 73. Rel. 53.
 27. Nov. Rel. Fr' Nilus Kraunigger Carint. laic. an. 43. Rel. 19.
 1776. 26. Nov. Rel. Fr' Benitius Türk laic. Carint. an. 45. Rel. 25.
 30. Mart. V.P. Parthenius Knilling Tyrol. an. 46. Rel. 27.
 1778. 31. Dec. Rel. Fr' Pelagius Werlitz laic. Lab. an. 60. Rel. 37.
 1780. 11. Oct. VP. Agricola Preslauzer Salcan. an. 68. Rel. 48.
 1784. 15. Aug. RF. Juniperus Doller Carn. Arc. an. 75. R. 51.

Caput VI.

Elenchus Patrum Guardianorum (quorum notitia haberi potuit) Conventus S. Leonardi in Silvis.

- M.V.P. Andreas Strackel 1610.
M.V.P. Ludovicus Volar 1616. 1617. 1619.
A.V.P. Antonius Vitelius aliter Telletenovich Con'or Diff'or act. 1620.
A.V.P. Franciscus Horvoy Diff'or act. 1623. 1632.
M.V.P. Ludovicus Volar 1636. 1639. 1640.
M.V.P. Michael Noyse 1641. 1642. 1643. 1644. Item ut act. Diff'or 1647. 1648.
1649.
M.V.P. Henricus Urtica 1650.
M.V.P. Joannes Maria Trivisanus 1651. 1652.
A.V.P. Mihael Noyse Ex-Diff'or 1653.
M.V.P. Michael Angelus Bosnyak lect. Conc. gener. 1654. 1655.⁵⁴⁸
M.V.P. Maxentius â Castua Conc. 1656.
M.V.P. Ludovicus Bandar 1657. 1658.
M.V.P. Emericus Mikulcich Praes. 1659. 1660.
M.V.P. Silvester Gaber Con'or 1661.
M.V.P. Bonifacius Priuchich Con'or, et lect. 1662. 1663. 1664.
M.V.P. Ruffinus Schreiner el. 15. Nov. 1664. 1665.
M.V.P. Bonifacius Priuchich Con'or, lect. 1666.
A.V.P. Vincentius Comel Con'or, Ex-Diff'or 1667. 1668. 1669.
M.V.P. Franciscus Uzollin Con'or, lect. 1670. 1671.
M.V.P. Joannes Baptista Magnetich 1672.
M.V.P. Valentinus Pizzol 1673.
M.V.P. Bernardus Martinelli 1674.
M.V.P. Ludovicus Bandar Con'or 1675. 1676.
M.V.P. Paulus Faustinger Con'or, lect. 1677.
M.V.P. Eugenius Weilhard Con'or 1678.
M.V.P. Joachimus Perger Con'or 1679.
M.V.P. Leopoldus Borkovich Con'or 1680.
M.V.P. Franciscus Uzollin Con'or, lect. 1681. 1682.
M.V.P. Franciscus Kimerle Con'or 1683.
M.V.P. Paulus Faustinger Con'or, lect. 1684. 1685.
M.V.P. Benignus Compar Con'or 1686. 1687.
M.V.P. Bernardus Martinelli 1688.
M.V.P. Leopoldus Borkovich Con'or gener. 1689.
M.V.P. Gabriel Scheffertnig Con'or 1690. 1691. 1692.
M.V.P. Joachimus Perger Con'or 1693. 1694.
M.V.P. Gabriel Scheffertnig Con'or 1695. 1696. 1697.
A.V.P. Eugenius Weilhard Con'or, lect. Theol. Ex-Diff'or 1698. 1699. 1700.

M.V.P. Antonius Fanton Con'or 1701.
 A.V.P. Eugenius Weillhard Con'or, lect. Theol. Ex-Diff'or 1702. 1703.
 M.V.P. Georgius Lucich Con'or gener. 1704.
 M.V.P. Josephus Radovich 1705.
 M.V.P. Antonius Fanton Con'or 1706. 1707.
 M.V.P. Timotheus Gollubich Con'or 1708.
 M.V.P. Eugenius Gottschever Con'or, lect. Theol. 1709.
 M.V.P. Juniperus Merschnig Con'or 1710.
 M.V.P. Antonius Fanton Con'or 1711. 1712. 1713.
 M.V.P. Nazarius Vidrich 1714.
 M.V.P. Antonius Fanton Con'or 1715. 1716.
 M.V.P. Iuvenalis Sgauz 1717.
 M.V.P. Casimirus Schlattner Con'or, lect. Theol. 1718.
 M.V.P. Silverius Vidig 1719.
 A.V.P. Antonius Fanton Con'or, Ex-Diff'or 1720.
 M.V.P. Theodorus Zannutig 1721.
 A.V.P. Mauritius Bobner Con'or, lect. gen. Ex-Diff'or 1722.
 A.V.P. Eugenius Gottschever Con'or, lect. gener. Ex-Diff'or 1723. 1724.
 M.V.P. Silverius Vidig 1725.
 M.V.P. Casimirus Schlattner Con'or Ss. Theol. lect. 1726. 1727.
 M.V.P. Ildephonsus Pomayr Con'or 1728.
 M.V.P. Antonius Vodnik Con'or 1729.
 M.V.P. Franciscus Corradini Con'or, Ss. Theol. lect. 1730.
 M.V.P. Leonardus Staffenheller 1731.
 M.V.P. Ildephonsus Pomayr Con'or 1732.
 M.V.P. Leonardus Staffenheller Con'or 1733. 1734. 1735.
 M.V.P. Polycarpus Marchioli Con'or 1736. 1737. 1738. item 1739. ut Praesidens.
 M.V.P. Hyacinthus Snediz, Con'or, lect. Theol. el. 6. Dec. 1739. 1740. 1741.
 M.V.P. Isidorus Durchenwald Con'or 1742. 1743.
 M.V.P. Cyrillus Makay Con'or 1744.
 M.V.P. Hyacinthus Snediz Con'or, lect. Theol. 1745.
 M.V.P. Vigilius Dinarich Con'or, Ss. Theol. lect. 1746. 1747. 1748.
 M.V.P. Theodoricus Skenderich Con'or 1749.
 M.V.P. Maximilianus Clevisher Con'or 1750. 1751.
 M.V.P. Caesarius Seidl Con'or 1752.
 M.V.P. Maximilianus Clevisher 1753.
 M.V.P. Ladislaus Wergler Con'or 1754. 1755. 1756.
 M.V.P. Gregorius Thomassich Con'or 1757. 1758. 1759.
 M.V.P. Adamus Kobler Con'or 1760.
 M.V.P. Gregorius Thomassich Con'or 1761. 1762. 1763.
 M.V.P. Daniel Arzon 1764. 1765.

M.V.P. Illuminatus Tricarico Con'or 1766. 1767.
 M.V.P. Amandus Voitschiag 1768. 1769. 1770.
 M.V.P. Adalbertus Bechtan Con'or 1771.
 M.V.P. Romanus Wider Con'or 1772.
 M.V.P. Simon Kappus Con'or 1773. 1774.
 M.V.P. Marianus Schuppiz 1775.
 M.V.P. Rolandinus Vidkovich Con'or 1776. 1777. 1778.
 M.V.P. Generosus Spek Con'or 1779. 1780.
 M.V.P. Wenceslaus Praepeluch Con'or 1781. 1782. 1783.
 RP. Nicasius Tibaldi Con'or 1784. 1785. 1786.
 M.R.P. Probus Penky Con'or 1787. 1788. 1789. quo anno Conventus sublatus est,
 imperante Josepho II.⁵⁴⁹

Sigillum

Conventus S. Leonardi praesefert captivum ê carcere eductum coram S. Leonardo
 stante in genua demissum: supra verò S. Michael in una manu ensem strictum, in
 altera stateram tenens visitur. In orbe ejus prostant hae litterae **S. C. B. L. I. S.** id est
Sigillum Conventus beati Leonardi in Sylvis.

17. 8'bris 1779.

